QUOS IN AMBIGUO EST
AN DIGNOS MAGIS REDDAT
IMMORTALI AEVO
ET TRANSSCRIBAT
AETERNITATI
REIPUBLICAE CURA
AN
ORTHODOXIAE PATROCINIUM
AN
LITERARUM AMOR
IN SANCTISSIMAE ERGA EOS
VENERATIONIS ET PIETATIS
TESSERAM
MENTISQUE DEVOTAE
PIGNUS
INSCRIBIT OFFERT
ET
CONSECRAT

CUM CALIDISSIMIS IMO EX PECTORE

AD

DEUM TER OPT. MAX.

VOTIS

UT TUTIS IPSIS INVICTIS

ET

GLORIOSIS

DET REM PROLEMQUE

ET

DECUS OMNE.

ILLUSTRIBUS ET PRAEPOTENTIBUS

EORUM NOMINIBUS

DEVOTISSIMUS

ALBERTUS SCHULTENS.

L. S.


image
not
available

Illibato quinetiam, qui ſuis quibuſque ſuperioribus Sacræ Scripturæ Interpretibus conſtare debet, honore & laude. Quibus nominibus & hoc eruditiſſimi Auctoris ſcriptum, cum S. Literarum Cultoribus ſtrenuis, tum iſtius Philologiæ præſtantioris amatoribus commendare de meliore nota non reformido. Si tamen noſtra commendatione opus habent quæ vel inſpecta ſemetipſa commendant. Dabam Groningæ, die XVI. *Julii, An. Dom.* M DCC IX.

PAULUS HULSIUS,

SS. Th. Doct. & Prof. Ord. h. t. Facult. Decanus.

Viro

Viro juveni Eruditissimo atque Elegantissimo

A. SCHULTENS

S. D. P.

T. HEMSTERHUIS.

TUas in Hebræum Codicem Animadversiones ad umbilicum adductas sedulo Tibi, Schulteni Amicissime, atque ex animo gratu-

lor; eaſque adeo madentes adhuc a torculari & muſteas ad Te tranſmitto: quam in iis relegendis atque a typothetarum erroribus purgandis curam mihi ſuſceperam, ſi Tibi, cui gratificari in primis mihi volupe eſt, fuerit approbata, ſatis operæ pretium retulero: nam quod Tu exiſtimas, Vir Doctiſſime, illum mihi laborem aut injucundum accidiſſe aut moleſtum, ac nonnullam etiam temporis mei rationibus injuriam inde factam, vehementer, quod tua ſit pace dictum, animi falleris; neque enim vel luculentiſſimas ingenii Tui atque eruditionis dotes, quas in hoc Tu libro plane explicuiſti, vel meum in literas Orientales amorem atque animum jam inde a puero propenſum ſatis ex vero æſtimas: nam ea ſane tuarum

rum eſt obſervationum peramœna varietas, id ingenii Tui feliciſſimum acumen, ut non tantum me identidem eas relegentem non laſſaverint, ſed perpetua potius & continuo recenti voluptate perfuderint; etenim ea nos in primis oblectare ſolent atque afficere, quæ quidem noſtris auribus inexpectata atque antehac ignara non minus ab ingenii elegantia quam argumentorum pondere commendantur: id Tu utrumque, Politiſſime Schulteni, operam dediſti, ut & nova in lucem promeres, neque Lectorem repetitis centies obſervatiunculis occideres, & iis opiniones tuas rationum momentis confirmares, ut ipſam in pleriſque veritatem diu latitantem detexiſſe videaris. Næ ego, Amiciſſime Schulteni, ſæpius rectam ſtu-

ſtudiorum rationem tuorum apud animum mecum reputavi & maximo opere probavi : nam, cum pleraque omnis juvenum pars, qui ad rerum divinarum cognitionem animum adjungunt, ita ſit ad fugiendos labores & deſidiam ingeniata, ut omnium literarum expertes cruda in ipſam Theologiam Studia inferant, & illotis, quod ajunt, manibus Sacros fontes contaminent, Tu contra ea nobiliorem viam & a paucis agnitam ingredi animum induxiſti, ac cupidam veritatis mentem iis optaſti præmunire diſciplinis, ſine quibus nullus eſt ad ſincerum Sacri Codicis intellectum aditus : pudet enimvero, pudet illam eruditionem lucro damnari, quam liberalius oportebat & ſolo veri amore tractare atque excolere. Tu-

ne

ne quoſdam etiam in eo gloriantes æquo feras animo, ſatis exinde fructuum a ſe reportatum, ſi tantum ex Syſtematibus, quæ vocamus, addicerint, ut vitam ſibi poſſint & commodam invenire ſtationem: hos tamen ipſos ſi olim infauſta gloriolæ titillaverit cupido, conſcribillare non verentur atque ea audere & chartis conſignare, quæ peritioribus bilem dicam an riſum moveant: ſine his fuiſſet hominibus, carerent, opinor, Sacræ Chartæ tot acervatis futilium ingeniorum interpretamentis, quæ veritatem indigniſſimis affaniis circumvolutam & impeditam reddunt difficiliorem: ſed ſatis eſt querelarum, quas juſta nobis indignatio expreſſit, & hæc fruſtra bene monitorum dedecora faciamus miſſa. Euge vero, Schulteni

teni Elegantiſſime, & macte iſthac animi tui virtute ac generoſa indole; perſequere conſtanter & animoſe illam doctrinæ politioris normam, ad quam ſcripta ſoles tua examuſſim dirigere: quæ cum Tibi dico, nolim ita interpreteris, ac ſi vel eam in me ſitam eſſe auctoritatem vel doctrinam putarem, qua mihi Te ſponte properantem impellendi atque excitandi jus fuerit: ſed illud omne noſtræ tribues amicitiæ, amorique meo, quo literas Orientales unice complector: quamquam enim non ſine rubore Tuo, quæ Tua eſt modeſtia, animi mei ſenſus exponere poſſe videar, dicam tamen & profitebor, tantam Te mihi videri ad perdiſcendas Orientales linguas attuliſſe induſtriam, tam accurate illarum in-

ingenium ſingulareſque locutiones perſpexiſſe, & legitimum uſum commonſtraſſe, ut, niſi his tuis tam luculentis ſpeciminibus harum literarum inepti contemtores vincantur, non videam, quid aliud tormentum eorum expugnandæ pervicaciæ validius adhiberi poſſit. Te itaque ſecurum eſſe jubeo & certum de publica Tuarum Obſervationum exiſtimatione: probabunt, *dubitare nefas*, & favore ſecundo accipient genuini elegantium literarum æſtimatores, Teque exſtitiſſe tandem, qui tot tamque difficilibus Sacri Codicis locis turpiter convulſis & male acceptis commodam opem tuleris, gratiſſimum habebunt: nam quid eos Tibi curatio eſt, quos nihil nobile tentantes alienique laboris deſpectores &

in-

inertes fucos ſiniſtra in lucem protulit natura : hos ego Tibi non vanus augur, cultiſſime Schulteni, induſtriæ tuæ eventus prænuncio, in eoque felici omine deſino. Vale.

ANI-

ANIMADVERSIONES PHILOLOGICÆ IN LIBRUM GENESEOS.

CAP. II.

Vers. 2. אעשה לו עזר כנגדו.

VArie & diverſiſſime hæc ab Eruditis exponi ſolent. Maxima difficultas eſt in locutione illa כנגדו, quæ propterea difficilius accurata explicatione elucidari poteſt, quod non alibi unquam uſurpetur.

Non ſatisfacit ſenſus, quem multi huic loco tribuunt, de *comite* Adamo dando, quod כ tunc ſuperfluum ſit, neque נגד co-

mitatum dicat: nec etiam, quod *miniſterium*, vel *adjumentum* per hanc phraſin intelligi putent, nam τὸ כ etiam tunc ſupervacaneum eſt: denique עזר id jam ſignificabat. Liceat mihi modeſte & cum præfatione honoris ea, quæ mihi de hoc loco in mentem venerunt, proponere.

Videtur mihi ſacer Scriptor uſum matrimonii reſpicere, in quam mentem incidi ex paraphraſi Chaldaica Jonathanis, qui ita verſ. hunc transfert: לא תקין דיהי אדם דמין בלחודוהי אעביד ליה איתא דתהי סמיך לקבליה *Non rectum eſt, ut homo dormiat ſolus*; (viden' eum reſpicere ad concubitum?) *faciam ipſi uxorem, quæ jungatur anterioribus ejus.* Scilicet Hebraice נגד notat *anterius*, unde pro *coram, e regione, ex adverſo* ſæpiſſime uſurpatur; quod probari neceſſe non eſt; Quapropter כנגדו vi vocis notat *ſecundum anteriora ejus: faciam ipſi auxilium ſecundum anteriora ejus*; intellige auxilium tale, quod ad matrimonii uſum juſtam cum viro habeat proportionem. *Anteriora* honeſte vocat *pudenda*, ut puto, quod confirmabo aliquantum ex Arabiſmo.

Voci Hebraicæ נגד reſpondet Chaldaicum & Arabicum קבל قبل unde Onkelos pro Hebr: כנגדו verbotenus Chaldaice dedit

dit בקבליה *ſecundum anterius ejus:* קבל autem Chald. & Arabibus honeſte *pudenda* denotat; de Chaldæis quidem dubium non eſt ex loco Jonathanis ſupra citato; *femina quæ jungi queat* לקבליה *anterioribus ejus.* Arabibus قبل קבל itidem hoc ſenſu uſurpatur, uti Golius etiam annotavit, unde per فرج, qua voce tam viri quam feminæ pudenda indicantur, ſolet declarari ab Lexicographis.

Contra دبر *poſteriora* de podice ſpeciatim, uti & ab Latinis & Belgis, ſolet dici. Non auſim porro huc trahere Hebræum נכח Synonymum vocabulo נגר in loco Gen. 25: 21. *Iſaac deprecatus eſt* לנכח *pro* נכח *uxoris ſuæ, quia ſterilis erat:* ſcil. ל poſt עתר notat objectum pro quo ſupplicatur; uti liquet ex Exod. 8: 5. al. 9. אעתיר לך ולעבדיך *deprecabor pro te & ſervis tuis;* licet enim ל poſt עתר aliquando objectum adorationis denotet, id tamen huic loco Geneſ. convenire non poteſt. Non auſim fere, inquam, locum hunc ita explicare, licet vero ſimillimum ſit Hebr. נכח ita olim uſu veniſſe; nam apud Arabes נכח ſeu نكح notat *inire feminam*, منكوحة *nuptam*, نكاح *coitum & matrimonium;* quod non videtur

detur aliunde ortum, quam quod נכח Veteribus Hebræis ita uſurpatum fuerit. Sed de loco hoc Geneſeos infra videbimus; illud ſaltem conſtabit, Arabicum نكاح ab Hebr. נכח deductum eſſe, quaſi dicas *anterioribus applicare*, quod non parum roboris conjecturæ noſtræ de נגר addit.

Vidimus quomodo uſus vocis נגר & *συνωνύμων* nos ducat ad uſum matrimonii in locutione illa עור כנגדו, cui accedit ipſam vocem עור honeſte *auxilium*, quod ad propagandum genus humanum inter ſe conferunt conjuges, denotare; unde עור ſeu عزر a Lexicographis Arabum inter alia exponitur per نكاح *congreſſus*, *concubitus*, *debitum conjugale*. Ita עונה in lege Exod. 21: 10. per quod *debitum conjugale* intelligi omnes conſentiunt Interpretes, nihil aliud eſt quam Arabicum عونة *auxilium*, a radice عون עין *auxilio eſſe*, uti ſuo loco latius oſtendam. Vel potius עור hic vocatur illa ipſa, quæ adjumento viri foret, *uxor* aut *femina*, quomodo Arabibus عوان a radice عون *adjuvit*, eſt *hera*, *conjux*, *materfamilias*, quaſi *adjutricem* dicas vel *auxilium*.

CAP.


image
not
available

ante ſolis occaſum. Confirmatur veterum horum interpretatio uſu verbi רוח apud Arabas. Radix راح ſeu רוח notat *Veſpertino tempore, circa ſolis occaſum facere* aliquid. Ut E. G. راح بالسير *Veſpertino tempore iter fecit:* راح بالشراب *Circa veſperam vino indulſit:* ſimiliaque. Inde رواح *tempus pomeridianum, veſpera.* Lubet hic adponere quæ Clar. Guſſ. ad illuſtrationem hujus loci produxit. „ Hæc locutio, in„ quit Vir Doct. utcunque ſpectetur, ſem„ per aliquid habet inſoliti. Dicere forte „ voluit ſonum Dei ambulantis ab illo hor„ ti [רוח] *latere*, aut *parte*, unde [היום] „ *dies* lucebat; non dicit ab Oriente, quia „ potuit hora meridiana jam veniſſe & „ tranſiſſe, ſed a regione unde dies luce„ bat, prout ſol tunc erat poſitus.“ Hæc obſcuriora paulo Jarchius clarius propoſuit. לרוח היום: לאותו רוח שהשמש נאה משם וזו היא מערבית שלפנות ערב חמה נאה במערב. *Ad ventum diei*, id eſt, *ad illum ventum* (plagam) *unde Sol allucebat* tunc temporis, quæ erat *plaga Occidentis, veſpera enim inclinante, Sol in Occidentem fertur.* Occidentem ergo רוח היום *plagam diei* dici poſſe putant, quoniam ab illa parte Sol tunc lu-

lucet; quod mihi non arridet; quin potius *Orientem* ita *dici* poſſe concederem.

CAP. XVI.

Verſ. 5. חמסי עליך.

VUlg. *Inique agis contra me:* alii hoc ſenſu: *injuria mihi fit propter te.* Guſſ: *injuria quæ mihi fit, contra te ipſum eſt.* Primus Lud. de Dieu vir doctiſſ. & κεφτικώτατος ad hunc locum annotavit על hic eo uſu ſumendum eſſe, quem apud Arabas frequentiſſime obtinet, ut debitum & officium indicet, atque mentem ſuam *de verbis hiſce ita* explicuit.

Injuria quæ mihi fit, tibi incumbit, tuum eſt eam præſtare, mea injuria eſt tuum debitum a te præſtandum. Verum eſt על non raro tam Hebræis quam Arabibus officium ſeu debitum notare, uti etiam ad Cant. 7: 12. annotabo ex ſcriptis Arabum; at huic loco non video quo pacto hic uſus conveniat, niſi hic *debitum* pœnæ intelligas, ad quod tamen exempla a L. de Dieu prolata non ducunt. Ego locum hunc ita explicandum cenſeo. *Injuriæ mihi factæ pœna ſit in te.* DEUS ſæpe pœnam violentiæ & injuriæ

juriæ notat. Ita Judic. 9: 24. ubi Belgæ noſtri Doctiſſ. Gewelt dat is ſtraffe des gewelts: על autem ſeu علي ſæpe Arabice pœnam incumbentem notat: Coran. 11: 37. *An dicent, effinxit illum* (Alcoranum). *Dic, ſi effinxi illum* فعلي اجرامي *in me incumbit peccatum meum* עלי אגראמי. Ita ſæpiſſime alibi infinitis in locis. Non dubito verum hunc eſſe loci noſtri ſenſum, quia id poſtulat locus Jerem. 51: 35. ubi eadem phraſis occurrit: חמסי ושארי על בבל *injuria mihi & carni meæ:*, id eſt, *cognatis meis facta ſit ſuper Babel.* Rabbini etiam in Bereſch. Rabb. Sect. 45. hunc ſenſum tradunt. Dixit Rabbi Berechja nomine Rabbi Abba Bar Cahana בעי דיני גבך, quod Gloſſ. hoc pacto exponit חמס הנעשה לי הוא נתבע אצלך ועלין: *Injuria mihi facta a te requiretur & tibi incumbit.* Mitto nunc aliam explicationem, quam dat R. Abun in Beref. Rabb. Sect. 45. a ſign. Arabica verbi خمش חמש quod eſt *ſcalpere* & *lacerare faciem unguibus* חימסא בפניו *laceravit faciem ejus*, quam explicat: præterea ex *Jelammedenu* citat etiam Gloſſator, ac ſi Sara Abrahamo comminata foret ſeſe in faciem ejus involaturam & unguibus ſuis eam dilaceraturam eſſe, hiſce verbis: חמסי עלין quæ ex mente Rabbinorum ſonant, *Laceratio in te erit.*

CAP.


image
not
available

internecione deleverunt, nullo evadente. Ita ſæpe alibi apud Abulphar. hanc locutionem invenies, cui affinis eſt altera illa عن اخر *ab ultimo*, qua frequentius adhuc quam priori utuntur Hiſtorici Arabes, Abulpharagius, Auctor Hiſt. Tamerl. Patricides Elmacinus aliique, quos mihi evolvere contigit, ex quibus exempla hic non cumulabo; duo tantum loca proferam ex Hiſtor. Sarac. quorum alter in mendo cubat, alter a doctiſſ. Interprete non fuit intellectus. Primus exſtat pag. 184. Hiſtor. Sarac. ubi editio Erpen. ita præfert. ثم قتلوا عن اجرهم quæ Clar. Interpres ita vertit: *Deinde interfecti ſunt uti meruerant.* Verum عن اجرهم ſenſu quem dat Erpen. Arabicum non eſt, ideoque pro اجرهم lego اخرهم *ab ultimo eorum*, id eſt, *ad unum omnes.* Secundus locus eſt pag. 95. verba ſunt وقتلوهم عن اخرهم quæ ita interpretanda rebatur Erpen. *Et omnes a tergo interfecerunt*, cum debuiſſet: *Et omnes ad unum interfecerunt.* Ne autem dubites interpretationi huic noſtræ, quam ex Arabiſmo eruimus, manus dare, ſiſtam tibi egregium locum ex Sacro Codice ubi מאחר *ab extremo* evidentiſſime ita ſumitur.

Is

Is eſt Eſa. 56: 11. כלם לדרכם פנו איש לבצע מקצהו *Omnes illi ad vias ſuas declinant, quiſque ad lucrum ſuum, ab extremo eorum,* عن اقصاهم *ad unum omnes*, qui locus propius aliquanto etiam ad Arabiſmum noſtrum accedit, quod pronomen in fine additum ſit, quod a loco Geneſeos abeſt.

CAP. XXXI.

Verſ. 26. ויאמר לבן ליעקב מה עשית ותגנב את לבבי.

OMnes quos vidi Interpretes: *Quid feciſti quod furatus es cor meum* Lxx. τί ἐποίησας; ἵνα τί κρυφῇ ἀπέδραs. Elegantiſſimum Hebraiſmum ignorarunt Interpretes; quo עשית ותגנב *feciſti & furatus es* ponitur pro ſimplici תגנב *furatus es*. Sic in Fab. Locm. وجعل يلومه. *Et fecit vituperavit eum.* Sed hanc locutionem clariſſima luce perfuſam invenies ad Dan. 8: 12. ubi multa exempla ex Arabum libris congeſſi. Interim ne de Hebræis dubites vid. 1. Reg. 8: 32. & Jud. 9: 16. Ab hoc uſu pleonaſtico verbi עשה apud Hebræos, mihi orta videtur locutio iſta, quam Arabes cum

cum عصي formant. Alcor. Sur. 28 : 21. عسى ربي ان يهدين : *Diriget me Dominus*, & Sur. 66 : 8. عسى ربكم ان يكفر عنكم سيئاتكم. *Dominus expiabit peccata vestra.* עשה אן יכפר. Et عسى يكفر sine ان monente Zjauhario. Hæc ab Hebræorum hoc loquendi more profluxisse fere non dubito; atque inde constat, adeo non attendi ad signif. *faciendi*, in hac phrasi, ut Arabes verbum عسى proprie *facere* significare ignorent.

CAP. XXXI.

Vers. 34. *Et sumsit Rachel Teraphim & posuit ea:* בכר הגמל ותשב עליהם.

OCcurrit hic vox semel tantum lecta *Car*; licet enim כר pro *ariete* in S. Scr. notissimum sit; nihil tamen duabus his vocibus commune est. Inde est quod R. Nathan in Concord, & Kimch. peculiarem ei tribuant radicem. Ex Veteribus Lxx. σάγματα intelligunt. Vulg. *stramenta*: Chald. עבישא· quod idem est. Et sic Magistri in Rabboth Sect. 74. Ex recentioribus Rashi & Kimchius כר exponunt per מרדעת *stramenta* & Arabs Erpen. eadem voce برذعة. Affert etiam Kimch. linguam Rabbinicam Thal-


image
not
available

ſit. Incipio per Damirium. *Camelus eſt*, inquit, *animal admirabile; magni corporis, ſurgens cum onere gravi & cum eo genu flectens,* ويتخن علي ظهره بيت يقعد به الانسان مع ماكوله ومشروبه وملبوسه وظروفه وشايده ويتخن للبيت شقف وهو يمشي بكل ذلك. *Dorſo ſuo domum geſtat, in qua homo degit, cum cibo, & potu, & veſtibus, & vaſis, & pulvinaribus ſuis, & ſupra domum tectum: atque his omnibus onuſtus iter facit.* Boch. Hieroz. tales plerumque domunculas mulieribus parare ſolent, cum ob equitandi minorem peritiam, tum ne promiſcue cernantur. Nomina harum ſellarum quam plurima inter Arabes celebrantur, in quibus præcipuum رحل & noſtrum כר ſeu كور & مكور quod ſpeciatim a Lexicographis dicitur eſſe باداته الرحل *ſella camelina cum omni ſuo apparatu.* Tales ſellas a Jacobo adhibitas fuiſſe longinquitas perſuadet itineris, & feminarum parvulorumque, (quos omnes camelis ſubvectos legimus ſupra vſ. 17.) mollis & tenera ætas. Uni harum, qua ſcil. vehi ſolebat, quæque per noctem in tentorium ejus repoſita fuerat, Rachel inſedit, tanquam in ſedile aliquod aut lectulum commo-

modiorem : pulvinaribus enim aliiſque utenſilibus inſtrui ſolent ; quod ſi in ſtramentis aut clitellis cameli ſediſſet Rachel, nonne fraudem ſubolere potuiſſet Laban, ex eo, quod incommodæ & ad conſidendum ineptæ ſeſe applicaſſet ſupellectili. Poteſt & hoc addi ſi כר *ſtramenta* eſſent, dicendum fuiſſe תחת כר : nunc בכר dixit *in ſella cameli.*

CAP. XXXIV.

Verſ. 13. ויענו בני יעקב את שכם ואת חמור אביו במרמה וידברו אשר טמא את דינה אחתם :

ET *reſponderunt filii Jacobi Sichemo & patri Hemero doloſe* וידברו *quia violaverat Dinam ſororem eorum.* Τὸ וידברו ſenſum hic mire turbat & negotium faceſſit Interpretibus; ſi enim ex uſitatiſſima ſignif. *vertas & locuti ſunt*, coactus eſt ſenſus; quod prima fronte apparet; accedit verſ. ſeq. per ויאמרו incipere. Tamen Onkelos וכלילו *& locuti ſunt* vertit ; & Lxx. Καὶ ἐλάλησαν ſed αὐτοῖς addentes incommode. Egregie hic ut ſolent Noſtri, qui verba iſta אשר טמא &c. parentheſi includunt ; unde ta-

tamen mirus exſurgit pleonaſmus ויענו וידברו ויאמרו cui in tota Hebraica lingua parem non invenies. Quin & cum אמר ſequitur poſt דבר ſolet poni לאמר hoc pacto וידבר לאמר. Concinnior, ab Hebræo tamen aliena Vulgata eſt verſio, quæ reddit. *Et reſponderunt filii Jacobi* &c. *Sævientes ob ſtuprum ſororis.* Qua auctoritate וידברו *& ſævierunt* dederit, mihi non conſtat. Cunctanter & coactus ad Arabiſmum accedo; qui ſane hic omnem tollit difficultatem & ſenſum parit liquidum, ut non poſſim non eum Eruditis proponere. Verto itaque: *Et reſponderunt filii Jacobi Sichemo doloſe, & machinas ſtruxerunt, propterea quod Dinam violaſſet.* Arabice دبر in ſecunda conj. دبّر eſt *dolos ſtruere, machinari.* Abulphar. pag. 294. فبلغ بن مقلة ان القاهر يجتهد في التدبير عليهم *Audiens autem Ebn Mokla Älkaherum contra ipſos dolos moliri.* Sequitur, *illud ſociis indicavit qui Alkaherum imperio amovendum cenſuerunt.* Et pag. ſeq. 295. *Nihil dubito de Kaheri malitia, quem ad Chaliphatum promovendum eſſe negavi. Nunc ſummo eum deſpectui habetis; neque ille contemtum veſtrum patienter fert* الا من خبث طويته ليدبر عليكم *niſi*


image
not
available

CAP. XXXVII.

Verſ. 11. ואבין שמר את הדבר.

ET *pater rem tacitus conſiderabat.* Sic Vulg. & Lxx. Jarchius ex ſignif. *conſiderandi & exſpectandi:* היה ממתין ומצפה מתי יבא, *exſpectabat & ſpeculabatur, quando res eveniret.* Fallitur in eo quod שמר aliquando המתין eſſe putet, & locus Job. 14: 16. quem citat, huic ſignif. non favet; recte tamen מצפה addit: verum aliud שמר hic loci notare puto: ſcil. *cuſtodire* ſimpliciter hic ponitur pro *memoria cuſtodire*, Διατηρεῖν ἐν τῇ καρδίᾳ, Luc. 2: 51. quod ex Danielis phraſi נטר בלב expreſſum eſt. Cap. Dan. 7: 28. Arabice verbum حفظ eandem vim habet, quam Hebr. שמר: id inter alia a Golio exponitur *memoriæ mandare.* Exempla ubivis ſunt obvia. Abulphar. 350. اعدت قراته اربعين مرة وصار لي محفوظا *Ejus libri lectionem quadragies iteravi, adeo ut memoria eum tenerem.* In Arab. eſt; *adeo ut mihi cuſtoditus fuerit.* Sic in Diſſ. Tophaili. ثابت الحفظ *firma memoria præditus*, eſt. Sic alias ſæpe. Non ta-


image
not
available

præſertim quia in nulla linguarum cognatarum, Chald., Syra, Arab. vel Æthiop. verbum שחט *exprimere* notat. Quod ad Rabb. סחט, quod hac ſignif. uſurpatur, poteſt illud ex male intellecto hoc loco originem traxiſſe, unde שחט *exprimere* eſſe ſolide probari non poteſt. Exempla talis erroris multa ſunt. Vox אבוס in Thalm. *præſepe* eſt, ex uſu Biblico, uti putabant Rabbini: at *aream* revera ſignificare ſatis veriſimile reddit Cel. Guſſ. Sic נער Rabbinis eſt *rudere* ex male accepto loco Jer. 51: 38. ubi Lxx. & Vulg. *excutiendi* vulgarem ſignif. recte retinent; multa ejus generis in Rabbinorum idiomate exempla obſervari poſſunt; unum tantum nunc addam omni exceptione majus. Rabbinis כסת eſt *pulvillus*, ex Ezech. 13: 18. ubi כסתות *pulvillos* explicabant, quam ſignif. fundamento carere & textui plane accommodari non poſſe clariſſimum eſt. Atque hic iterum te ad Cel. Guſſ. remitto, qui id ſolide oſtendit. Viginti iiſq; amplius id oſtendi poſſet exemplis, ſi tanti eſſet. Teneamus *jugulandi* ſignif. qua ſexcenties verbum שחט in Sacr. Script. uſurpatur. Hoc ut adſtruam, obſervo locutiones Arabum, *ſcindere*, *ſecare*, *vulnerare*, *occidere*, *jugulare* vinum, pro *miſcere*

&


image
not
available

شراب مجوط apud Golium, *vinum jugulatum* de *mixto*. Contra Rabbinis יין חי *vinum vivum*, & מזג opponuntur Maſſ. Peſach. Et Græcum Ζώρος eſt quaſi Ζώης ρος. Nullus equidem de hoc uſu verbi שחט in loco noſtro dubitarem, ſi pro ענבים legeretur יין, nam שחט ענבים *miſcere uvas* non ſatis recte dicitur, niſi *uvas* de *vino* capias, quomodo Horat. *uvas bibere* dixit. Hebræis id quoque non inſolens eſt. Hoſ. 3:1. אשישי ענבים *crateres uvarum* ſunt *vini crateres*. Sed & hoc locus hicce ægre admittere videtur ob vſ. præc. Nec tamen video, cur dici non poſſit: *Miſcui uvas*, ut ſuccum ex iis expreſſum aqua dilutum indicet, & potui aptum redditum. Ut contra Mich. 6: 15. דרך תירוש *calcare muſtum* dicitur, quum ענבים *uvas* dicere debuiſſet. Sin autem coactum hoc nimis videbitur, diſpici poterit, an non *jugulare uvas* dici poſſit, qui earum *ſuccum*, (rubrum, ſi velis, ut major etiam ſit convenientia;) *exprimit*, quod certe adeo abſonum non eſt; eaque forte Aben Eſræ fuit mens. Cogites etiam præterea ענב דם a Moſe Deut. 32. *vinum* dici.

CAP.

CAP. XLVIII.

Vers. 19. *Ephraimo benedicens Jacobus, prædicit majorem eum fore quam Manasse*
וזרעו יהיה מלא הגוים.

VUlg. *Et semen illius crescet in gentes.* Lxx. πλῆθος ἐθνῶν· *multitudo gentium* Junius : ita plerique sumunt. At aliter plane Onkelos ובנוהי יהון שליטין בעמיא *filii ejus erunt dominantes in populis.* Cujus versionis rationem, quia prima fronte cum Hebraicis non convenire videtur, pandam ex Arabismo. Scil. מלא seu ملا *Arabibus* etiam sunt *Nobiles, optimates* in populo: qua significatione sæpissime hæc vox in Alcorano occurrit. Sur. 10 : 76. الي فرعون وملايه بايانتنا *ad Pharaonem & proceres ejus, cum signis nostris.* Sur. 12 : 44. يا ايها الملا افتوني في رويای ان كنتم للرويا تعبرون *Heus principes, responsa mihi date de somniis meis, si somnia explicare valetis.* Conferantur Doctiss. Erpenii notæ in hunc locum: Vide etiam Sur. 23 : vs. 24. Asserere non ausim verum hujus loci sensum esse,

quem tradit Onkelos: attamen Hiſtoriæ Sacræ mire reſpondet; nam quemadmodum ex poſteris Judæ orti ſunt reges Judæ, ſic penes Ephraimi poſteritatem ſceptrum decem tribuum fuit, unde hæ paſſim apud Prophetas *Ephraimi* nomine veniunt: neque inſolens eſt ut Iſraëlitæ גוים appellentur, quod probare ſupervacaneum duco.

CAP. XLIX.

Verſ. 4. *Superbus inſtar aquarum* פחז כמים.

EX Arabico فخز ſic intellige, non ut vulgo ſolent *levis*, *inſtabilis*; quod fundamento caret. LXX. vel ex ſenſu, vel quia פחת legerunt, ἐξύβρισας· peropportune ad ſententiam noſtram firmandam; nam זיד quod extra controverſiam *ſuperbire* eſt, a LXX. ſemel & iterum ὑβρίζειν redditum eſt. Sicut autem *ſuperbiam* aquis familiariſſime Orientales tribuere exemplis pluribus ad Job. 38: 11. oſtendimus; ſic ἐξυβρίζειν idem apud Græcos obtinere nunc moneo. Plura ad Jobum l. c. reperies, quem adi ſi tanti eſt. Hieron. ſimilitudinis rationem enarrans hæc habet. *Quaſi aqua, quæ vaſculo non continetur*

tinetur, voluptatis effuſus es impetu. Præclare. Fortius tamen, ſi ſic. *Tanquam fluvius ſuperbus, qui alveo non continetur.*

Ibid. *Non excelles* כי עלית משכבי אביך אז יצוע עלה.

Ultimum עלה ſenſum turbat; Vulgat. omiſit. Chald. & Lxx. עליקתא & ἀνέβης, *adſcendiſti*; ac ſi eſſet עלית. Vulgo ſic ſolent. *Quia ſcandiſti cubilia patris; tunc profanaſti: lectum meum aſcendit.* Hoc pacto ſenſus non uno modo interruptus redditur & parum fluens. Primo non additur, quid profanaverit: deinde durum eſt ſubſtant. ſequens *a verbo*, quod illud regere videtur, *divelli*; poſtremo fingendum eſt Jacobum ad alios ſe convertentem perſonam mutaſſe, & quem prius ipſe alloquebatur, de eo nunc ad alios in tertia loqui perſona. Accedit, vanam videri poſſe repetitionem: *Lectum meum aſcendit*: nam in prioribus ſatis id acerbe objecerat. Ego ob has difficultates ſic tento. *Scandiſti cubilia patris, tunc violaſti pellicem meam lactantem.* יצוע *lectum, ſtratum* metaph. hic ſumo; nam *lectum* proprie dictum jam per משכבי ſatis indicaverat. Sic Arab. فراش & فرش *ſtra-*

ſtratum a rad. فرش *ſternere*, de *muliere*, *pellice*, *concubina* uſurpantur: crimen adauget ex eo, quod *lactans* eſſet, unde ipſi conſtare poterat, non rejeciſſe eam aut ejus uſum intermiſiſſe patrem. Poſſet etiam עלה honeſte intelligi, ut Gen. 31: 10, 12. Sed prior tunc redit difficultas, perſonam mutari, & ſenſum dari minus liquidum. Tandem omnium forte commodiſſime vertas: *Tunc violaſti in lecto meo* (ſupp. ב) *lactantem*. Hæc Guſſet. explicatio eſt.

CAP. XLIX.

Verſ. 6. שמעון ולוי אחים כלי חמס מכרותיהם.

PAgninus. *Simeon & Levi fratres; arma iniquitatis in habitationibus eorum*; quaſi eſſet במגורותיהם: uti monet Kimch. in Lexico: qui in explicatione vocis hujus מכרה *Mechera* ad Græcum μάχαιραν recurrunt, plane ἀπεσδιόνυσοι mihi videntur. מכר uſitatiſſime notat *vendere*, apud Arabes autem مكر notat *fallere*, *circumvenire*, quæ ſignificatio ex prima illa *vendendi* facile profluit, cum fallaciis & circumventionibus in venditionibus fere ſemper locus ſit; inde מכרה

ut

ut Arabicum مكر hic ſumo, pro *circumventione*, *fraude* hoc ſenſu: *Simeon & Levi fratres inſtrumenta violentiæ* ſeu *oppreſſionis quoad fraudes ſuas.* Scilicet cum pleriſque Interpretibus מכרות non facio כלים *inſtrumenta*, quia *fraudes* non recte *inſtrumenta* vocares: Fratres autem illi poſſunt metaphor. כלים dici; ut Eſai. 13:5. & alibi: facile etiam eſt ב ſubaudire; & ſic conveniat fere cum locutione illa תאבדו דרך; vel potius נכה רגלים *percuſſus pedes*; aut קרוע כתנתו *ſciſſus tunicam*, & ſimilia.

CAP. XLIX.

Verſ. 8. יהודה אתה יודוך אחיך.

VUlg. *Juda! te laudabunt fratres tui.* Sic Lxx. Ἰούδα σὲ αἰνέσαισαν ἀδελφοί. Vapulant a recentioribus Interpretibus Veteres hi, quod hoc pacto אתה conjunxerint cum ſequenti יודוך, unde inutilis pleonaſmus oriatur; quare τὸ אתה ad præcedens *Juda* referri volunt hoc ſenſu: *Juda tu*, ſupple, *es*: vel ut Belgæ noſtri; **JUDA / GY SYT HET**; Verum ego non dubitaverim verſioni τῶν Lxx. & Vulg. ſubſcribere, neque tunc inutilis quin po-

potius elegantiſſimus emerget pleonaſmus; mitto etiam ſitum accentuum, qui verſioni, quam propugnamus, favet, & ſenſum illum, *tu es Juda*, GY ZYT JUDA/ non eſſe valde ἐνεργητικὸν· qnapropter Belgæ noſtri efficacius maluerunt: JUDA/ GY ZYT HET; ſcil. ſumendo *Judam* ſeparatim, ut Lxx. & אתה etiam ſeparatim: prius laudo; poſterius cum Hebraiſmo non convenire video; itaque potius maluiſſem: Juda! wat u aangaat/ U ſullen uwe broeders loven: nam pronomina illa אתה אני &c. ſæpe valere *quod ad me, quod ad te attinet*, Hebraice docti ignorare non poſſunt. Ego tamen ita rem non inſtituo, ſed אתה cum ſequenti יודך conjungo hoc pacto: *Juda! tu laudabunt te fratres tui*; elegantiſſimo pleonaſmo *tu te* pro ſimplici *te*, qui apud Arabes frequentiſſime uſurpatur. Ita in Alcor. Sur. 19: 3. اني وهن العظم مني *Utique ego, debilia ſunt oſſa mea.* اني *utique ego*, pro ان *utique*: Sic Sur. 22: 56. *Qui impii ſunt & ſigna noſtra abnegant* فاوليك لهم عذاب مهين *certe illi, ipſos manet pœna ignominioſa*: אלה להם *illi ipſos*, pro ſimplici להם *ipſos*. Infinita hujuſce pleonaſmi exempla occurrunt in Corano per אלה اوليك هم הם

הם pro הם. Ita dicitur etiam وهم عن והם עז אלאחרה הם הלאחרה הם غافلون עאפלון *Et illi, a futura vita illi ſocordes ſunt; illi illi* bis ad majorem emphaſin & elegantiam. En tibi etiam exemplum plane ſimile, ex Tograjo. *Quare præcipitem te das in profunda maris, ut naviges* وانت يكفيك منه مصة الوشل *Et tu ſatis eſt tibi ex eo ſorpſiſſe paululum.* Sic in MSS. Hemſt. والثقة بالله انك لا يفوتك ما قسم به لك, id eſt, *Ut de Deo confidas non intermoriturum tibi eorum quicquam, quæ jurejurando promiſit.* In Arab. eſt *quod tu, non intermorietur tibi.* Ita hic *tu te* pro *te.* Similis etiam eſt pleonaſmus familiariſſimus Arabibus, ubi אתה non præcedit pronomen, quod regitur, ſed ei poſtponitur, ut ſcil. pro יודוך אתה dicatur אתה יודוך *laudabunt te tu.* Hiſt. Tamerl. pag. 353. وولاك انت من جملة ذلك قندهار *Et ex earum* (regionum) *numero præfecit te tu* (ולאך אנת) *Kandaharo:* in ead. Hiſt. p. 117. مع وجودك انت *cum tu exiſtas.* In Arabico eſt *cum exiſtentia tui tu.* Abulphar. Hiſtor. Dyn. p. 43. *Et revelavit Deus Samue-*

mueli dicens لم يعصوك انت لكن لي انا عصوا *non rebellant in te tu, verum in me ego rebellant. Te tu* & *me ego* pro ſimplice *te* & *me*. Hebræis etiam pleonaſmus hic ſatis cognitus fuit, uti ad 1. Sam. 25: 24. & Pſ. 9: 7. oſtendam, quæ loca conferri nunc velim.

CAP. XLIX.

Verſ. 10. ולו יקהת עמים

MUlti multa de voce obſcuriore, quæ hic occurrit, יקהה ſcripſerunt. Videatur Theſ. Pagnin. c. 7. cum notis Merceri. Jac. Alting. Schil. L. 3: 9. & noviſſime Guſſ. ſub radic. יקה & נקה. Ego non dubitem R. Jonam ſequi citatum & laudatum a Kimch. in libr. rad. qui hic Arabiſmum in ſubſidium vocat & exponit *obedientiam*; recte equidem, & Arabice יקה وقع cum He mobil. ſeu Mappikato notat *obedire*; at video L. Capell. id jam monuiſſe in Crit. Sacr. ideoque nihil amplius addam.

Verſ.

Verſ. 11. אסרי לגפן עירה.

Omnes in univerſum Interpretes τὸ י in אסרי paragogicum habent, ac nihil quicquam notare volunt, neque illud pro affixo primæ ſumunt. Non obſtinate negare velim id aliquando fieri, ut Jod mere ſit paragogicum; multa tamen loca notavi, ubi Jod, quod pro mero paragogico ſumunt Interpretes, ſi ut affixum ſumatur, elegantiſſimum pariat Hebraiſmum. Sumas exempl. grat. hic pro affixo primo, nonne id eleganter Belgice exprimeres? **Die my ſyn jongen Eſel aan den Wynſtok bindt.** Ita Pſ. 113:5. המגביהי לשבת Belgice eadem elegantia: **die my hoge ſit.** Thren. 1:1. העיר רבתי עם **de ſtad die my veel van volk was** &c. ſic ſequentia in eodem vſ. Eſai. 1:21. מלאתי משפט **die my vol was van geregtigheit.** Hoſ. 10:11. אהבתי לדוש **ſy heeft my het dorſchen lief.** Latinis eadem elegantia in uſu eſt. Horat. Epiſt. Lib. 1:3. *Quid mihi Celſus agit.* **Wat maakt my Celſus.** In Terent. hoc aliquoties obſervari poteſt. Notus quidem fuit hic elegans pleonaſmus Doctis cum pronomine ſeparato, ut quum dicitur לך לי, *i nunc mihi*, pro *ito*: at neſcio an de affixo quiſquam monuerit.

Ara-

Arabibus non tantum uſus hic pleonaſticus affixi primæ in uſu eſt, ſed & ſecundæ. Coran. 14: 64. ارايتك هذا الذي كرمت علي *An vides tibi illum, quem mihi præponis:* ראיתך ſiet gp u pro ſiet gp. Hiſt. Tamerl. p. 444. ارايتك لو امتنعت عن الخروج اكانوا يريقون دمك *putaſne tibi, ſi te exiturum negaſſes, eos ſanguinem tuum effuſuros fuiſſe.* Similis eſt tertiæ pleonaſmus, qui ſingularem etiam habet elegantiam. Hiſt. Tamerl p. 325. *Erat hic Abu Beer ex Zjagataeis equitibus, qui uno ictu caput galeatum medium diſſecabat* يذكر انه كان يوقف بقره او ينيخ بكره ويضر بها بالسيف ضربة لا ضربتين وجعلها قطعتين مفصولتين *De hoc fertur, illum bovem ſuum conſtituiſſe, aut camelum ſuum procumbere feciſſe, eumque unico tantum gladii ictu medium diſſecuiſſe.* Et hic pleonaſmus Latinis eſt uſitatus.

Verſ. 14. Iſſaſchar חמור גרם. Lxx. καλὸν ἐπεθύμησεν, *bonum concupivit:* cujus verſionis ratio mihi non conſtat, niſi pro חמר legerunt חמור, καλὸν, *deſiderabile*, & גרם intellexerunt ex ſign. verbi غرم Arabica.

bica, *addictum esse rei, concupiscere*; unde غرام *cupido*. Rectius Vulg. *asinus fortis*: proprie dicas *asinum ossis*; id est, *bene ossatum, ossibus valentem*; unde mox in seq. subjungitur; *qui inclinat humerum suum ad bajulandum*. Apud Arabas جريم est *corpore validus & robustus*, & جرم seu גרם in laude *jumenti* ponitur: ita dicunt فرس جرم פרש גרם, *equum eximium*; حمار جرم חמאר גרם, *Asinum validum*, aliaque ejuscemodi: unde mirari subit R. Jonam Arabismi alias observatorem haud indiligentem חמור גרם hic exponi voluisse per שנור *asinus fractus*: שאינו יכול לזוז ממקומו *qui loco moveri nequit* ex signif. qua verbum גרם invenitur Num. 24: 8. Vid. Kimch. Libr. Rad.

CAP. XLIX.

Vers. 24. ותשב באיתן קשתו וימזו זרעי ידין.

INvidos Josephi fratres inducit hic Jacob quasi prælium cum fratre committentes, illumque sagittis petentes; Josepho autem in hoc prælio victoriam adscri-

ſcribit verbis citatis. *Et manſit in robore arcus ejus, &* יפו . . . . . *brachia manuum ejus.* Variant Interpretes in expoſitione verbi יפו. Lxx. vim ejus exprimunt per ἐκλύειν, *diſſolvere:* ἡ ἐξελύθη τὰ νεῦρα βραχιόνων χεῖρῶν αὐτῶν, ſcilicet hæc non ad Joſephum, ſed ad fratres ejus referentes contra textum Hebræum, qui habet ידיו, *manus ejus*, non ידם, *manus eorum.* Vulg. *diſſoluta ſunt vincula brachiorum & manuum ejus*, quod quo pacto ad victoriam Joſephi, quam celebrat Patriarcha, faciat, equidem non video. Certe ſi ſcopum verborum conſideres, פוז hic non poteſt eſſe *diſſolvere*, quod locum inſpicienti facile apparet, unde fere ſignificatio *corroborandi* hic recepta fuit ab Interpretibus. Antequam ſententiam meam de hoc verbo aperiam, moneo radicem פוז in Sacro Codice bis tantum exſtare, ſcilicet hic, & 2. Sam. 6: 16. ſignificatio autem *corroborandi*, quæ ei tribuitur, convenit quidem huic loco noſtro, ſed alia quoque convenire poteſt: 2. Sam. 6. ea notio omnino non convenit, quicquid Kimchius aliique tentent; unde Chaldæus רקד *ſaltare*, noſtri Belgæ ſpringen / Hier. *ſubſilire* reddere maluerunt, ſenſu loci id poſtulante; utrique loco ut aptam & conve-

nien-

nientem notionem inveniam, recurro ad Arabicum פז, quod ab Lexicographis Arabum خف *Levem esse* exponitur, præsertim in 10.conj. Camus. استخف استغز *Istaphazza, est levem fecit.* Atque sic duo hæc tanquam synonyma junguntur Histor. Tamerl. pag 301. حتى استخفه الطرب والبطر واستغزه النشاط والاشر *Donec levem ipsum, & agilem reddiderunt lubentia & lætitia exultans.* Hinc פז seu פז in plur. אפזים *leves* sunt & *inanes homines:* פז itidem *pullus vaccæ sylvestris*, a levitate nempe, id est, *celeritate:* nam Latinis etiam *levis* est celer: Virg. Ecl. 1.

Ante leves ergo pascentur in æthere cervi.

& proprie quidem de cervis dicitur: ita Phædrus: *Cursu levi canes elusit;* de cervo. Eodem modo خفة *levitas* pro celeritate ponitur in Fab. Lock. & خف verbum, in قزع, quod exponitur de dorcadis exultantis levi motu, اسرع وخف *properavit & levis fuit* in Camuto habes: In Thalmude etiam radix פז *levitatis* notione cognita est, & פז est *præceps.* Sabb. fol. 88: עמא פזיא דקדמיתון פומיכו לאורנים

præceps eſtis populus, quorum aures os antevertat, id eſt, quorum cognitionem oris ſuffragium & rei non bene intellectæ aſſenſus præcurrat : Ibidem פזיזותא eſt *præcipitatio judicii:* אכתי בפזיזותיכו קימיתו *Ergone in levitate veſtra perſiſtetis? Levitatem* dedi, quoniam id Latinis etiam eſt, animi judicium præceps. Phædr. Prol. Lib. 5.

Ergo non levitas mihi,
Sed certa ratio, cauſam ſcribendi dedit.

Sic & *homo levis* eſt *facilis, ſibi non conſtans, ad omnia præceps.* Miror Viros Doctos, qui hoc ab Hebr. פז *confirmare* deducant, quia, qui feſtinat, vires intendit & roborat. Silices concoquere poteſt, qui hæc ferat: quin etiam פז Hebr. non id, quod volunt, notat, uti jam nunc oſtendam. Puto itaque, ut Arabibus فز *phazza*, ſic Hebræis פז nihil aliud dici, quam *levem eſſe.* Hæc certe ſignificatio pulcre utroque in loco, ubi פז occurrit, convenit, & quam ceteri Interpretes πολυσημίαν ex duobus tantum exemplis admittere cogebantur, evitat, eademque uni tantum ſubjicit notioni *levitatis.* 2. Sam. 6: 16. מפז ומכרכר *Mephazzets, & ſaltans*, verti poteſt per ἐν ὀξῷ δυοῖν *Levem ſe gerebat & ſaltabat*; pro, expedi-

te

te, agiliter ſaltabat; vel etiam ut כרכר ſic פז poteſt *ſaltandi* eſſe verbum, quod putabant Interpretes: quibus equidem haud ægre me adjungam, ſi modo primariam *levitatis* notionem retineant. Sic *levis ſaltu* dixerit Latinus; neque aliter Græci loquuntur. At magis ad rem erit, ſi Arabas rad. *hanc ad ſaltationem* transferre docuero. Dicunt nempe Arabes فزت الظبية, *levis fuit dorcas*, id eſt, *exſilivit*. Et conj. 10. استفز *levem fecit*, exponi debet, *ad ſaltationem incitavit:* in Hiſtor. Tamerl. 301. استفزه النشاط والاشر *lubentia eum & effuſa lætitia levem reddiderunt*, hoc eſt, *ad ſaltandum impulerunt*, ut ex ſequent. clarum eſt, ubi Tamerlanem ſaltaſſe narrat in nuptiis nepotis ſui Olug Beig; actionem autem hanc ſcenico magis Actore quam Summo Imperatore dignam, ita falſe deridet auctor.

ومن عجب الدنيا اشل مصفق
وابكم قوال واعرج راقص.

Miracula mundi ſunt, mancus ſi plaudere, mutus ſi loqui, & claudus ſi ſaltare velit. Videamus an non æque commode ſignif. a me propoſita loco Geneſ. congruat. Utique ſe prima ſtatim fronte commendat.

Permanſit in robore arcus ejus, וידו *& levia fuerunt brachia manuum ipſius. Levia*, id eſt, *agilia*, *expedita*; eodem plane modo Virgil. Æneid. Lib. 9. *Enſe levis nudo.* Sic خفة *levitas* in Hiſt. Tamerl. eſt expedita in pugna agilitas: Et طيش *levitas* eodem ſenſu Hiſt. iſtius pag. 356. ذا طيـــش وشجاعة وتهور ورقاعة. Verbum تهور inf. 5. Lexicis ignotum *virtutem* notat & *ardorem bellicum*, quod ex Sadi Guliſtan didici pag. 46. edit. Gent. & ab Auctore noſtro ſimili iterum ſenſu repetitur, pag. 360. استعمل تهوره وطيشه. Aliud in hac oratione verbum obſcurius eſt رقاعة, quod etiam *virtutem* deſignat & *alacritatem ad pugnandum*: nullum tamen iſtius ſignificationis veſtigium in Lexicis invenias. Auctor autem noſter ter ita hac voce uſus eſt, ſcil. præter hunc locum, pag. 192: 7. ubi cum شجاعة jungitur, & pag. 231. itidem. عثمان عنده شجاعة ورقاعة. Hæc in Arabicæ linguæ ſtudioſorum gratiam ſcripſi, ne verba obſcuriora crucem figerent. Cum his ergo *fortitudinis* & *ſtrenuitatis* nominibus طيش *levitas* conjungitur; unde *alacritatem* ad pugnam eo deſignari perſpicuum

cuum eſt; atque ita ſæpiſſime Arabsjadi noſtro uſurpatur. *Multa* ejuſdem generis hic cumulari poſſent, ſed brevitatis ſtudio ductus unico tantum exemplo, quod ad rem facere videtur, contentus ero: رِبْن eſt *levis fuit*: unde ناقة رِبْدة *camela levis*; inde dicunt Arabes: ربنت يده بالقوس, *levis fuit & agilis manus ejus in arcu* tractando: & ربنت يديه بالقداح *Leves fuerunt manus ejus in ſagittis*, id eſt, agiles fuerunt in ſagittis verſandis. Aurum מופז 1. Reg 10: 18. huc non pertinet, aperte enim ad פז reſpicitur. Sic Thalm. in Joma מופז שרוכה לפז: ut ne dicam Huetium id *contractum putare ex* מאופז quomodo eſt apud Jerem. 10: 9. Aurum autem *phaz* nomen proprium potius a prima exiſtimant origine Viri Docti, licet labente tempore appellativi uſum aſſumſiſſe liquido conſtet, cujus rei exempla dabit Huetius. Hoc ideo moneo, ne cui illud nomen *phaz*, quod a *ſoliditate* dictum autumant, ſignificationi *novæ*, radici פז a me tributæ officere videatur. Ceterum non prætermittendum videtur, Guſſetium in Comm. rejectis etiam vulgatis ſignificat. novam *extendendi* notionem radici noſtræ tribuiſſe; quæ quamvis

non male quadret, fundamento tamen omni deſtituta eſt, utpote quæ ex Viri Celeb. ingenio nata ſit; nulla vicinarum linguarum cognatam ſignificationem ſuppeditante, ac proinde quo jure proponitur, eodem etiam rejici poterit.

ANIMADVERSIONES *PHILOLOGICÆ* IN LIBRUM EXODI.

CAP. II.

Vers. 13. *Duo viri Hebræi* נצים *rixantes.*

ITa vulgo, & recte. Quædam tamen non injucunda forte de radice נצה hic subjungam. Exponi solet *contendere*, *rixari*, *decertare*: Kimchius per ריב *litigare* declarat. Volunt Viri Docti vim verbi esse *verbis contendere*, indeque ad manuum etiam & belli pugnam transferri: Sic Piscat. in Ps. 60: 2. Lud. de

Dieu in Actor. 7: 26. quo pacto נצה apud Chaldæos in uſu eſt & Syros. Mihi aliter videtur: נצה primaria ac propria ſignif. notare puto, *manus conſerere*; vel ſi magis etiam proprie velis, *prehenſis antiis invicem decertare*; quod Belg. una voce dicimus **plokhaiten.** Veteres certe Interpretes amplius quid in verbo hoc animadverterunt, quam nudam verborum contentionem; unde Vulg. *rixari* vertere ſolet: ut hic, & inf. c. 21: 22. & 2. Sam. 14: 6. *Rixa* autem non ſine plagis. Juvenal. Sat. 3.

Si rixa eſt, ubi tu pulſas, ego vapulo tantum:

Et Sat. 15. jurgia ſcite *tubam rixæ* vocat, eamque ita deſcribit.

Dein clamore pari concurritur, & vice teli
Sævit nuda manus, paucæ ſine vulnere malæ.

Lxx. etiam ἀμφιπληκτίζεσθαι, quod eſt, *invicem ſeſe plagis excipere*; & μάχεσθαι, quod quamvis ad jurgia referri ſciam in Homero ſæpe & aliis, unde in Gloſſ. μάχη, ἡ διὰ λόγων, *litigatio, jurgium*, proprie tamen de *bello* dicitur & *verberum decertatione.* Eædem Gloſſ. μάχη, ἡ διὰ χειρῶν, *rixa*: μάχη, ἡ ἐν πολέμῳ, *prælium, pugna.* Itaque tam Hebræi verbi נצה, quam ejuſdem etiam ad Chaldæos & Syros tranſlati propria, ut dixi,

dixi, ſignificatio videtur, *antiis prehenſis pugnare;* quam conjecturam nobis ſuppeditat Arabiſmus. Nimirum ناصية Arabice eſt *coma in fronte, antiæ;* unde in Alcorano Sur. 96: 15, 16. كلا لين لم ينته لنسفعا بالناصية ناصية كاذبة خاطئة: *Certe niſi abſtinuerit, prehenſis ipſum antiis trahemus* in infernum, *antiis*, inquam, *illis fraudulentis & peccantibus.* Inde verbum נצה ſeu ناصا a Golio ita exponitur: *Apprehendit eum antiis ſuis:* & in 3. conj. ناصا *prehendit antias alterius & ita certavit.* Hæc certe ſignif. locis, ubi נצה occurrit, egregie convenit. Inſpice locum hunc noſtrum, & non ſimpliciter *litigationem* denotare hoc verbum, ſed verberum etiam conjunctam animadvertes ſignificationem. Dicit enim Moſes; *Quid percutis proximum?* Sic inf. 21: 22. unice quadrat: *Viri ſi* ינצו *rixati fuerint*, ונגפו *& percuſſerint feminam gravidam, ut abortum faciat* &c. non ſi ſcientes mulierem percuſſerint, ſed imprudentes nec data opera. Maimon. Hilch. Nezikoth, cap. 4. quod fieri aliter non poteſt, niſi putentur ſeſe invicem verberibus excipere, & antiis prehenſis colluctari, ut ita imprudentes in feminam impingant, ac irruant.

ruant. Confer etiam 2. Sam. 14:6. ubi eandem vim obſervare eſt. Reſtat ut oſtendam, qua ratione latius id verbum patere cœperit, atque ad alia transferri. Ad verborum contentionem & litigationem, (qua ſign. in Script. etiam occurrit Num 26, 9. Chaldæiſque fere ſemper & Syris uſurpatur,) indicandam deductum eſt hoc verbum, pari, ac Lat. *rixa*, ratione, quomodo *jurgia* quandoque tantum dici perſpicuum eſt. Ad bella etiam pertinet נצה. Pſ. 60: 2. בהצותו את ארם נהרים *Quum pugnaſſet cum Syris Meſopotamiæ.* Ubi omnino male Lxx. & Vulg. הצות reddunt ἐμπυρίζειν, *ſuccendere*, *flammis devaſtare*, tanquam ſi eſſet הציח a יצת. Errori anſam dare potuit, quod *rixandi* verbum incommode ad *bellum* deflecti crediderint. Verum uſitatius nihil in linguis, quod, ne Latinorum hic aut Græcorum ſcrinia excutiam, vel ex ſolis patet Arabibus. لكز notat *pugno percutere*: in 3. conj. لاكز *pugnis decertare*; hoc de conflictu & bello in Hiſt. Tamerl. p. 318. occurrit. Verbum قرع eſt *pulſare*: in 3. قارع *verberibus contendere*; hoc ad bella iterum & prælia transfertur ab Abulphar. Hiſt. Dyn. pag. 561. لا يحب المها

المسرعة للمقا رعة *non amat feſtinare ad bellum inferendum.* Longum eſſet nimis, ſi hic verba لاطم *alapis pugnare*, عادش & عانق *collo invicem prehenſo certare*, ناقف *ictibus contendere*, pluraque ejuſdem generis alia ab idoneis auctoribus de bellis & pugnæ conflictibus uſurpari oſtenderem. Sufficiat monuiſſe Hebræorum ריב *litigare* ad eundem uſum adhiberi, atque inde מלך יריב Hoſ. 5 : 13. & 10 : 6. non eſſe *regem Jareb*, qui revera nullus eſt, & Interpretum potius figmentum, ſed *regem* eſſe, *qui vobiſcum litigare ſolet*, id eſt, *qui bello vos aggredi conſuevit*, qua nota Rex Aſſyriæ maximus terræ ſanctæ hoſtis, inſigniter declaratur. Futurum illud יריב *litigare ſolet* verti, ita enim Hebræi hoc tempore nonnunquam utuntur, uti annotavit Caſaub. ad Perſ. Sat. 2. ad verba illa,

At bona pars procerum tacita libabit acerra:

Ubi etiam illud *libabit* tantundem eſt ac *libare ſolet*, uti Vir Doctiſſ. ibidem docet. Sic Horat.

Non hic cuiquam parcet amico.

Hoc eſt, *parcere ſolet.* Nec Græci ab hac locutione abhorrent. Heſiod. Oper. & Dies.

Αἶψα

Αἶψα δὲ γηράσκοντας ἀτιμήσεσι τοκῆας·

Celeriter vero ſeneſcentes contumelia afficient parentes.

Id eſt, *afficere ſolent*, uti ad illum locum annotavit Maximus Grævius, cui nihil viget par aut ſecundum, qui ibidem etiam plura hujus locutionis exempla cumulavit. De Hebræis clarus eſt locus Gen. 29: 26. לא יעשה כן במקומנו *Non fit ita in loco noſtro*, id eſt, *fieri ſolet. Non eſt conſuetudinis*; uti recte Vulg.

CAP. XXI.

Verſ. 10. ועונתה לא יגרע.

DE filio familias, qui virginem ſervam duxit uxorem, præcipit Moſes: *Ille victum, veſtitum & עונתה non imminuet.* Veteres pariter & recentiores Interpretes tum Judæi tum Chriſtiani extremam illam vocem עונה de *nuptiali*, quod ait Petronius, *officio*, vel *vacatione maritali*, ut eſt apud Martianum, intellexerunt. Notius hoc eſt, quam ut probari debeat. De etymo vero non conſtat; multo minus de vera ac propria ſignificatione vocis. Quidam

dam *tempus*, alii *habitationem*, primariam esse volunt notionem: *Tempus* illud *amorum tempus* עת דודים explicant, seu עת הקבוע לתשמיש, *constitutum Veneri tempus*, ut Kimch. in Lex. ubi equidem istius hominis constantiam desidero; qui enim עת *tempus* non a rad. ענה cum Aben Esra deducebat, sed a rad. עות, qua tandem auctoritate vel ratione voci עונה *temporis* notionem obtrudere possit, non video: speciosius & magis scite Aben Esra, qui quum עת *tempus* a rad. ענה derivandum esse statueret, fundamenti plus habuit, quo עונה itidem *tempus* exponeret: sed de hac Aben Esræ etymologia jam nunc videbimus, ubi ea, quæ de voce obscuriore & semel tantum lecta conjeci, Eruditis examinanda proposuero. Puto itaque עונה, quod aperte radicem עין indicat, quamvis in Sac. Cod. non lectam, ex Arabismo tamen facile restituendam, proprie notare *auxilium*; עין enim seu. عون est, *juvit*, *adjuvit*: عون & عونة, quod est Hebr. עונה, *auxilium*, *adjumentum*. Exempla cuique in promptu esse possunt, ideoque ea in re clara citare supersedeo.

Auxilii autem verbum tecte & verecunde, id quod Interpretes hic intelligi volebant,

bant, deſignat; eoque ſane magis, genuinam notionem a me poſitam eſſe exiſtimo, quod *tempus* ad συνουσιασμὸν ab Orientalibus referri non videam; at *auxilium* perſæpe: עזר vox notiſſima eſt pro *auxilio*; ea ab Arabibus ad concubitum transfertur: unde عزر in Camus eſt نكاح *congreſſus*, ὁμιλία· quam Hebræis etiam in ſimili fuiſſe uſu, a veritate non abhorret. Vid. quæ ad Gen. 2. ſcripſi. Illud ipſum etiam verbum עין ad eandem rem adhibetur: unde عوان eſt *materfamilias*, quaſi *adjutricem* dicas, ut monet *Golius*: عاذة *pubes*, qua adjuvatur. Neque tamen neceſſe eſt ut *auxilium* hic memoratum tam arctis includamus terminis: percommode enim ad cetera boni mariti officia in שאר & כסות *victu & veſtitu* non comprehenſa illud extendi poteſt; ut adeo neceſſe non ſit ea ex Synedrii & Scribarum decretis repetere cum Maimon. Tract. de matrim. Qualia ſunt, *ut uxorem ſanet, ſi agrotaverit; ut eam redimat, ſi captiva fuerit; ut ſepeliat, cum mortua fuerit;* pluraque ejuſcemodi alia. Hæc, inquam, mariti officia ex magiſtrorum Conſtitutionibus repetere nihil eſt, quod cogat, cum ea verbo עזר *auxilio*, omnia con-

contineri poſſint. Abulphar. certe معونة, quod eſt illud ipſum עונה cum Mem ſervili, hoc ſenſu uſurpavit. Hiſt. Dyn. p. 90. ubi de Platonis loquitur inſtitutis: *E diſcipulis ſuis, qui cœlibem agere vitam non ſuſtinerent, plures unius uxoris participes eſſe permiſit,* لما في ذلك من قلة المؤنة وكثرة المعونة *Cum ita & ſumtui parceretur, & mutuo auxilio abunde proſpiceretur. Victum & veſtitum* una voce مؤنة vocat, *ſtudia* autem & *officia* matrimonii معونة ſeu עונה *auxilium.* Nunc de Aben Eſræ ſententia videbimus. Vult ille עונתה tantundem eſſe ac עתה *tempus ejus;* ratio ejus, uti jam monui, in eo conſiſtit, quod עת *tempus* non a radice עתת aut עות repetendum putet, ut alii exiſtimabant; ſed a ענה, prout בת eſt a בנה & ejuſdem generis alia; hanc ſuam mentem aperuit ad Eccleſ. 9: 12. atque ibidem etiam noſtrum עונה ad hanc ſignificat: trahit. Quod ſi Aben Eſræ conjectura probaretur, egregie eam ex Arabiſmo confirmare liceret: ex receptis enim verbi ענה ſignificationibus nulla apta nata eſt, quæ originem τῷ עת dare poſſit; verum in Arabia ea latet ſub rad. غنى, quod eſt *habitare, commorari:* unde עת commode deduci poteſt,

teſt, ut notet ſpatium quo homo in terra commoratur; ſicut etiam דור *tempus* ab *habitando* dictum eſſe vulgo creditur. Certe Chald. זמן *tempus* aperte Nun radicale exprimit, quod in voce Hebraica ſub Dagesh forti latet. Neque huic Etymologiæ officit Eſai. 50: 4. לעות, quod volunt eſſe a rad. עתע *tempeſtive loqui*; vero enim ſimilius eſt עתת a עת eſſe formatum, quam contra. Mitto L. Capell. ל non pro ſervili habere, ſed rad. ſtatuere לעה, quod eſt *loqui*, *eloqui* apud Arabes. Ceterum ענה priſcis Hebræis *habitandi* notione cognitum fuiſſe, non ſolum liquet ex derivato עת, (ſi modo inde derivandum eſt) ſed & ex altero inde deflexo nomine מעון *domus*; quod eſt a ענה ut מחוז *ſcopus* a חזה, & מעור *nuditas* a ערה. Rabbini etiam duo Ab. Eſra & Raſchi verbum hoc bis in Scriptura per *habitare* expoſuerunt; Eſai. 13: 22. ubi etiam Lxx. κατοικεῖν· & Hoſ. 2: 15. ubi Raſchi לשון דירה, *notionem habitandi poſſidet*. Conferantur etiam Aben Ezræ annotationes. Utrum vero jure hæc duo loca ita explicaverint nunc non inquiro: illud tantum certum videtur ענה eam notionem, quam Rabbini admiſerunt, habuiſſe; neque enim video, quorſum alias τὸ מעון referri poſſit. Atque

ſic

ſic ſponte ſua ad tertiam de voce עונה ſententiam examinandam delapſi ſumus, qua דירה *habitatio* exponi ſolet, quæ ex obſervatione noſtra non parum roboris accipit: עונה enim poteſt eſſe a verbo ענה *habitare* ut גולה a גלה. *Habitatio* autem ad ὁμιλίαν etiam refertur, quod ex Alcorano illuſtri exemplo docebo. Sur. 30: 20. ومن اياته ان خلق لكم من انفسكم ازواجا لتسكنوا اليها وجعل بينكم مودة ورحمة *Eſt & ex ſignis ejus, quod ex vobis ipſis creaverit vobis conjuges, ut eas habitetis* ἐν φιλότητι μιγέντες, *amoreque vos & mutuo affectu conjunxit.* Sic alibi etiam in Corano illud سكن ſeu שכן occurrit. Atque hæc quidem *habitationis* ſignif. hoc pacto ex Arabiſmo etiam ſtabilita eo videtur commodior, quod cum מען eandem tunc habeat radicem, verbum ſcil. غنى ſeu ענה *habitare*, ut adeo neceſſe non ſit novam rad. עין *auxiliandi* Hebraiſmo obtrudere.

CAP. XXXII.

Verſ. 22. *Tu noſti populum hunc,* כי ברע הוא.

Raſchi ſupplet ורך, *quod in via mala ſit.* Alii : *quod in malo ſit;* alii : *ad malum*, ſcil. *pronus;* uti ſupplet *Vulgat.* Nulla erit difficultas, ſi ב pro nota nominativi ſumatur, uti frequenter fit apud Arabes. העם כי ברע הוא *populus, quod in malo ſit*, id eſt, *quod malus ſit.* Ita in Corano من كان بمومن: *qui fuerit in credente*, id eſt, *qui fuerit credens.* Sur. 11 : 99. ما امر فرعون برشيد: *Juſſum Pharaonis non in recto eſt*, id eſt, *non rectum eſt.* انا عليكم بشهيد: *Ego contra vos in teſte ſum*, id eſt, *teſtis.* Et ſic infinitis in locis alibi. Hunc uſum בּ jam notaveram ad Job. cap. 23 : 13. ubi alia reperies exempla : Sic Hebraice Prov. 3 : 26. יהוה בכסלך Pſ. 68 : 5. ביה שמו & Eſai. 26 : 4. ביה יהוה צור עולמים Eſai. 40 : 10. יהוה בחזק. uti in Corano الله بقدير: *Deus in forti*, id eſt, *fortis.*

Verſ.

Verſ. 25. לשמצה.

Vox alibi non lecta. Vulg. *ignominiam ſordis* videtur dediſſe. *Chald.* שום ניש: an quia compoſitam putarunt vocem ex שם & צאה *ſordes?* Lxx. reddunt ἐπίχαρμα. *Rabbini* רבה & רופי & שם רע & גנאי, quæ omnia *contumeliam* ſignificant & *infamiam.* Duplicem de hac voce habeo conjecturam. Prima eſt, quæ cum interpretatione τῶν Lxx. congruit, *ludibrium* notare, a rad. Arab. شمع, *luſit, riſit, jocatus eſt.* In ſecunda شمّع, *ludibrio expoſuit, riſui habuit.* Hanc ſignif. potuit radix שמץ apud Hebræos obtinuiſſe, unde Arabes شمع formaverint; uti pro חלץ *exuere*, خلع; literas צ & ע eſſe permutabiles ſatis notum eſt. Sic שמצה *ludibrium* exponemus, quod ſenſui optime convenit; at quia שמץ, quæ vox bis apud Jobum legitur, ac *parum* notat, vix ad hanc radicem referri poteſt, ideo שמצה etiam hic *parum quid, res vilis & abjecta*, qualis eſt *uvæ pellicula*, commode exponi poteſt: שמץ proprie *pelliculam uvæ* notare vero ſimiliter adſtruxi ad Job. cap. 4: 12. Interim quærant Eruditi, an non

& שמץ Jobi ad rad. شمع *ludere* referri poſſit hoc pacto ſcil. ut *luſus*, vel *ludicrum quid* transferatur ad deſignandum *parum*, *puſillum*. Certe كرهـــــة & خرعبيلة quæ *ludicrum quid* notant, pro *re parva* & *nullius momenti* ſumuntur. Ampliore res indagine digna.

ANI-

ANIMADVERSIONES PHILOLOGICÆ IN LEVITICUM.

CAP. XVI.

Vers. 22. אל ארץ גזרה

NOtum est quam varie Eruditis ארץ גזרה exponatur, terra ista in quam hircus ἀποπομπαῖος deducendus erat. Plurimi quidem *terram incultam* intelligunt, vel *solitariam;* ut habet *Hieron.* & *Jonath.* priori modo *Onkelos* ארעא צריא *terra desolata.* Hæc sententia potior mihi videtur, & simplicissima: Arabice etiam ארץ גזרה notat *terram sterilem, pluviæ defectu laborantem; & expertem omnis herbæ:*

uti habet *Zjauhari.* Alcoran. Sur. 32: 27.
اى لم يروا انـــا نسوق الماء الى
الارض الجرز. ونخرج زرعـــــا:
an non animadvertunt, nos aquas immittere in ארץ גזרה *terram desolatam & semina protrudere.* Quin *Suratæ* hujus titulus, qui nonnullis est *Surata* السجدة *adorationis*, ab aliis سورة الجرز *Surata terræ aridæ* גזרה appellatur. Iterum Alcor. Sur. 18: vs. 7.
انا لجاعلون مـا عليهـا صعيدا جرزا
Nos quicquid super terra est, pulverem faciemus sterilem & aridum. Sic dicunt: ارض جراز & جـارزة *Dura, sicca terra, & herbis nuda.* Ita nomen جروز a *Maruphide*, Persice exponitur خشكي *siccitas, sterilitas.* Pertinent quidem hæc exempla ad radicem جرز, non autem جزر. Sed nihil hoc officit, nam synonymæ sunt radices, & confundi solent, etiam apud Hebræos; unde נגרזתי Psalm. 31. & גרזן *securis:* Sicut autem Hebræi גזר potius utuntur, quam גרז, ita contra Arabibus جرز frequentius est: & quas significationes Hebræi radici גזר tribuerunt, eas Arabes in جرز receperunt. Alia & illustriora omitto, unicum duntaxat idque rarissimi usus exemplum

plum in medium proferam. Eſai. 9: 19. גזר ponitur pro *comedere*; nam cum אכל jungitur; dubitant multi, & de *amputatione* hic cogitant. Dubitandi rationes tollet Arabiſmus, ubi جرز גזר inter alia exponitur اكل אכל *comedit* in *Camuſo*, & جراز a *Maruphide*, *bene comedens*, ناقة جراز & جروز *multum citoque comedens*, *vorax camela* in *Camus*. Proprie dici videtur de beſtiis qui carpendo comedunt, unde مجـــروز de *campo herbis abſumtis nudo* in Zjauh. ad homines tamen etiam refertur; ſic امراة جروز *mulier vorax*. Hinc patet, quod Hebræis eſt גזר, id Arabibus eſſe جرز, adeoque ארץ גזרה eſſe ارض جارزة vel جرز *terram nudam, ſiccam & ſterilem.*

CAP. XIX.

Verſ. 20. והוא שפחה נחרפת לאיש

ARdua & difficillima intellectu eſt lex hoc vſ. tradita de concubitu cum ancilla נחרפת Viro; cujus verum ſenſum nondum aſſecuti videntur Interpretes; neque id mirum, cum ob verbi præcipui, & a quo omnia cetera pendent,

quod eſt נחרפת in ſolo hoc loco uſum, (nuſquam enim alibi ſenſu finitimo reperitur) tum propter materiæ hujus ſervitia ſpectantis in vitæ noſtræ rebus inſolentiam. Duplici modo ſolet locus hic exponi; vel *deſponſata*, vel *deſpecta*: prior illa ex Jonath. paraphraſi deſumta eſt, qui נחרפת per מתארסא *deſponſatam* declarat, quem ſequitur Kimchius aliique, eam ſignificationem probantes ex Thalmudico vocabulo חרופה, quod de *deſponſata* uſurpatur; at quis non videt, illud חרופה, quo *deſponſatam* indicant Thalmudici, ex hoc loco male ab iis ſumto efformatum & in linguam vulgarem receptum fuiſſe; neque inſolens eſt Doctoribus Thalmudicis aliiſque Rabbinis voces Sac. Script. rariores, neque exemplorum agmine munitas & cognitas creberrime uſurpare in lingua ſua, licet ſæpius a vero verborum ſenſu aberraverint; cujus rei exempla alibi dedi. Corruit ergo hæc interpretatio ſponte ſua & eodem jure, quo proponitur, rejici poteſt. Ab. Eſra etiam expoſitionem hanc Rabbinicam improbat. *Quidam*, inquit, *ſumunt pro* יעורה *addicta*, *deſponſata*: *ſed mea ſententia propagatum eſt* נחרפת *a* חרפה *probro* בעבור היותה שפחה, *eo quod ſit ſerva* והיא בתולה ברשות אחר ואינו מאורסה

eſtque

eſtque ea virgo alienæ poteſtati ſubjecta; ואינו *atqui id non eſt, deſponſata.* Ipſa Ab. Eſræ verba ideo interſerui, quia video Eruditos locum hunc non recte & ex mente ſcribentis cepiſſe; ſcil. volunt hanc eſſe Ab. Eſr. mentem, נחרפת hic poni a Moſe ad indicandum ſtatum *ſervilem* ſeu *deſpectum* feminæ, de qua hic loquitur, a voce חרפה *opprobrium* notante; at alia plane & toto cœlo diverſa eſt Ab. Eſræ ſententia, uti infra oſtendam. Ex hoc itaque verbi חרף uſitatiſſima in Sacr. Cod. uſu, cum ſcil, *probro afficere, deſpectui habere* notat, plurimi Interpretes נחרפת vertunt, ut dixi, *deſpecta, ancilla deſpecta viro*, illud vel de ſervili conditione exponentes, **een veragte of geringe ſlavinne**/ vel de odio & contemtu domini explicantes, ut Belg. noſtri: **Eene dienſtmaagt by den man verſmaat.** Verum totus nunc locus eſt inſpiciendus. *Vir ſi concubuerit* והוא שכבה את אשה *cum muliere aliqua eaque ſervæ ſit* נחרפת . . . . . *viro, nec fuerit redemta illa, nec libertas ei data,* בקרת תהיה *flagellatio erit;* (ita vulgo ſumitur) *non morientur, quia libertas ei data non fuit.* Obſervandum eſt in hac lege manifeſto agi de crimine fornicationis aliquo, quod morte luendum eſſet alio in caſu;

cum

cum enim dicat reos morte non eſſe multandos, idque ex defectu libertatis ancillæ deducat, oſtendit, niſi hæc ratio obſtaret, nece in hanc fornicationem animadvertendum eſſe. Eſt igitur non ſimplex hæc fornicatio; ea enim ex lege mortem non meretur, ſed vel ex conſanguinitate damnabilis ea, vel ex adulterio; de conſanguinitate nullum in verbis veſtigium; unde infertur, crimen adulterii intelligendum eſſe. Vides hinc quid Jonathanem, Kimchium, alioſque Interpretes moverit, ut נחרפת *deſponſatam* verterent, ut ſcil. hoc pacto crimen adulterii haberent; at eadem ratione videas, ſi נחרפת *deſpecta* vertatur, nihil eſſe quod adulterii reum arguat fornicatorem. *Si aliquis concubuerit cum muliere, quæ ſerva ſit deſpecta viro;* quid quæſo in hac oratione eſt, quod adulterii reum conſtituat corruptorem? hoc animadvertentes Eruditi Interpretes multa ſupplenda ſibi ſumſerunt; *deſpecta viro* ſuppl. *cui deſponſata fuerat*, vel *cui matrimonio juncta fuerat*, at poſtea *deſpectui habita*. At quænam illa interpretandi eſt ratio, ut in legibus, quæ claris & expreſſis proponi debent verbis, præcipuam, unde cetera dependent, dictionem ſuppleas, & ex propria mente infercias; ſed quid ſi non *deſpecta*,

ſpecta, at *grata* at *dilecta* fuerit domino ſerva? an lege hac *non* teneretur compreſſor, cum tam expreſſe monuerit, ſe loqui de נחרפת *deſpecta* Domino? præterea poſita hac interpretatione, ex ſerie *orationis* & verborum *nexu* efficietur, *fornicatorem* non *haberi reum* adulterii, propter violatum *fœdus* conjugale, ſed cauſa, propter quam adulterium cenſeatur hoc crimen, ex odio & contemtu Domini in ſervam erit repetenda. Has *rationes* validas ſatis puto, cur receptæ & communi expoſitioni non aſſentiar. Videor mihi locum hunc obſcuriſſimum egregie ex Arabiſmo illuſtrare poſſe. Scilicet ex ſtylo Arabum שפחה נחרפת לאיש *Ancilla deſpecta viro* (ita quoque cum Eruditiſſ. Interpr. verto, ac vim rad. חרף retineo) ſeu potius, *ancilla vilis reddita viro*, eſt ancilla, in quam viro, id eſt, Domino poteſtas data eſt ea libere utendi; vel quam Dominus pro lubitu utendam ſibi ſumſit; ita Ab. Eſra hæc verba intelligebat; quod indicat, cum ita hæc explicat. והיא בתולה ברשות אחר *Eſtque ea virgo alienæ poteſtati ſubjecta:* Jam mentem legis inſpiciamus. *Si quis concubuerit cum muliere, quæ ſerva ſit vilis reddita* נחרפת *viro* לאיש vel *alicui* (per quem *Dominum* ſervæ intelligendum

dum esse, res ipsa loquitur) id est, quam Dominus pro lubitu ex potestate sua utendam sibi sumsit; pergit lex; *nec fuerit redemta, nec libertas ei data,* בקרת *flagellatio* (a בקר, ut lat. *taurea*, apud Lat. Interp. 2 Mach. 7: 1. *flagris & taureis cruciati*) *erit, non morientur, quia illa non fuit libertati restituta.* Hic nimirum legis sensus est: Qui ancillam, cujus hæc sit cum domino suo conditio, ut ea libere utatur, constupraverit, reus quidem erit adulterii (nempe quia uxor illa a Domino habetur, & aliquam uxoris speciem habet) at non tenebitur capitis supplicio, quod alias adulterium sequi solet, quia cum sit serva, Dominus eam non tanti facit, ut uxorem ducere velit, ideoque conjugium & sponsalia adhuc sunt neglecta; quæ ratio est, cur a pœna capitali liberetur adulter; hoc amplius etiam patet ex addita conditione, והפרה לא נפרתה, *Et redemta non fuerit*; nam si redemta fuisset, & tamen Dominus eam retinuisset, vera uxor censeri debuerat, alio enim jure post redemtionem apud Dominum non remansisset, atque ita verum & plenum adulterium corruptor commisisset, & pœnam, mortis meritus fuisset: nunc quia verum adulterium non est, pœna mitiga-

tigatur, & *Taurea* ſolummodo בקרת infligenda ſancitur.

Supereſt ut ex Arabiſmo oſtendam locutionem iſtam שפחה נחרפת לאיש *ſerva vilis alicui reddita* id notare, quod dixi. Arabice verbum رخص notat, *vilem, abjectum eſſe:* unde in 2. conjug. رخّص *vilem reddere:* inde dicunt Arabes رخص له في الشي, *vilis ipſi reddita fuit res*, id eſt, ipſius poteſtati permiſſa conceſſaque fuit res, ut libere ac pro arbitrio ea uti poſſit. رخص له في الامراة *vilis ipſi reddita eſt mulier*, id eſt, poteſtati & arbitrio ipſius conceſſa eſt. Abulphar. Hiſtor. Dyn. pag. 208. *Appellatus eſt idem Chaddaſi, & religionem profeſſus eſt Horremiticam* (ſecta eſt libidini tota dedita, a Perſico خرم *Horrem lætum* notante ita dicta) ورخص لبعضهم في نسا بعض *Et aliis aliorum uxoribus uti permiſit:* proprie, verba Arabica ſonant: *Et aliis aliorum uxores viles reddidit.* Similes fere ſunt locutiones a verbo ذل *abjectus, vilis fuit:* ut in Corano Sur. 67: 15. هو الذي جعل لكم الارض ذلولا وامشوا في مناكبها

مناكبها وكلوا من رزقه

Is eſt qui vobis terram vilem fecit; itaque incedite in regionibus ejus, & donis ipſius fruimini. Terram vobis vilem fecit, id eſt, *in veſtram tradidit poteſtatem, imperioque & voluntati veſtræ auſcultaturam.* Et Sur. 36: vſ. 71, 72. *Annon vident, nos creaſſe ipſis camelos* انعاما utiliſſimum Arabibus animal, وهم لها مالكون *quibus ipſi imperent* وذللناها لهم *eoſque iis viles reddidimus*, id eſt, poteſtati eorum ſubjecimus, iis ut pro arbitrio uterentur. Quo pacto? فمنها ركوبهم ومنها ياكلون *nam & iis vehuntur, & ad cibum iis utuntur.* Diſpar quidem paululum eſt ratio in phraſibus hiſce, attamen quam proxime ad locutionem, quam explicamus, accedunt. Egregium adhuc ſuppeteret exemplum, ſi vera eſſent & certa ſatis, quæ de radice بذل conjeci. Dicunt Arabes بذلت له الامراة, cum indicant poteſtatem alicui in mulierem datam ea pro voluntate utendi, hæc verba proprie ſonare puto, *vilis aut deſpecta ipſi reddita eſt fœmina*: אישה נחרפה לו: ſcilicet puto non male primariam ſignificationem radicis بذل ſtatui poſſe,

vilem,

vilem, *abjectum esse*, idem ut sit, quod بذل, & زذل: nam ب & ن Beth & Nun sunt literæ *permutabiles*; inde explicarem locutiones, quas ope hujus radicis formant Arabes. Exempl. grat. بذل المال apud Abulphar. 364. *profudit opes*, *largiter donavit*, proprie, ut puto, *tanquam rem vilem habuit opes* largiterque effudit: adeoque familiaris est hæc locutio, ut fere solam eam in conjug. prima hujus verbi agnoscant Lexicographi; unde solet بذل in prima conj. exponi *liberaliter dare* & *elargiri*: & باذل apud Abulphar. 321. est *liberalis*; non male tamen putem verba ista intelligi posse eo, quo explicui, modo; summa enim munificentia efficaciter ita indicatur; accedit, eos a rad. بذل, quæ indubitate *vilitatem* significat, eandem locutionem fingere. Ita in Histor. Tamerl. pag. 45. وبذلت في ذلك مالي وجاهتي. *Et vilem habui ea in re pecuniam & dignitatem meam*; id est, opes meas in ea profudi, & dignitatem meam in periculum adduxi. Ita apud Sadi in Gulistan بذل درويشان كنند, *pauperibus largitur*: proprie *vile reddit*: ubi بذل ad eundem

uſum adhibetur, quo alias بذل ſolet: porro ab hac rad. بذل dicunt etiam Arabes بذل جهده *omnes nervos intendere*: proprie, *vires ſuas viles habere*; ut Belgæ fere: **zyne kragten ſpillen.** Hiſtor. Tamerl. pag. 407. فيبذل كل جهده, *Et omnes intendat vires.* Tandem dicunt بذل نفسه *animam morti expoſuit*: proprie, *animam ſuam vilem habuit*, id eſt, eam periculis expoſuit, quaſi nihili æſtimans; cum quo convenit elegantiſſimus iſte Hebraiſmus חרף נפשו למות *vilem habuit animam ſuam morti*, eam omnibus periculis expoſuit Jud. 5: 18. & alibi. Ita in Hiſt. Tamerl. p. 411. وهم ان يجعل رقابهم قرابه *Voluit Tamerlanes ut colla eorum ipſi eſſent loco vaginæ, & ut ſanguine ipſorum aciem gladii potaret*, وهم بذلوا نفوسهم ناكسوا رؤسهم. *Erantque ipſi viles habentes animas ſuas*, id eſt, periculo mortis ſe expoſitos videbant, *capitibus deorſum inclinatis*; quæ ex Corano pro more iſtius auctoris deſumta ſunt Sur. 32: 12.

Contra dicunt *caram & pretioſam habuit animam*, id eſt, conſervavit nec periculis expoſuit vitam; غالي بنفسه apud Tograſ.

graj. Poetam vſ. 41. Porro non temere me primariam verbi بذل ſignificat: in notione *vilitatis* poſitam exiſtimare liquet ex derivato مبذول, quod pro *vili & abjecto* uſurpatur: *veſtes viles* vocantur ثوب بذلة, & abſol. بذلة *Bedlaton*, & مبذلة *Mebdalaton*; qui *veſtes viliores* induit *Mobtadilon* مبتذل dicitur: quæ omnia ſignif. primariam a me indicatam poſtulare videntur. مبتذل *Mobtadelon* etiam pro *vili* & *abjecto* ſumitur apud Tograj. verſ. 41. رخيص القدر مبتذل. *Qui vilis eſt pretii & abjectus.* Sicut ergo, ut vela tandem contraham, Arabes dicunt بذل نفسه *vilem habuit animam ſuam*, cum quis periculis vitam exponit, ut contra qui conſervare ſtudet, *caram eam habere* dicitur: Ita eodem plane modo dicunt Hebræi חרף נפשו *deſpectam habuit animam ſuam.* Sicut Arabes رخص & بذلت له الامرأة *vilis ipſi facta fuit mulier*; ut copiam ejus utendique pro lubitu poteſtatem indicent, ita Veteres etiam Hebræi dixere נתונה לו אשה tanquam *res vilis conceſſa eſt ipſi mulier*, libere ea & ex poteſtate potitus eſt: Ignoſcant Eruditi, ſi præter mo-

rem latius explicuerim de hoc obſcuriſſimo loco animi mei ſententiam: quod ſi, quæ dixi, cum impedita legis hujus locutioniſque difficultate comparentur, juſto etiam fortaſſe breviora videri poſſunt.

CAP. XXII.

Verſ. 23. ושור ושה שרוע וקלוט

DE vocibus ignotis שרוע & קלוט de quibus nihil certi habent Interpretes, quaſque non niſi ex conjectura attingunt, vid. not. meas ad Eſai. 28: 20. ubi veram earum ſignificationem ex Arabiſmo illuſtratam & ſtabilitam reperies.

ANIMADVERSIONES PHILOLOGICÆ IN NUMEROS.

Cap. III.

Vers. 12. פטר רחם

Phrasis non semel in Lege lecta, cujus tamen significatio hactenus non satis expedita est: Plerique *apertionem vulvæ* explicant, quod vulvam antea clausam aperiat primogenitus. At sibi non constant & parum apte ita vertunt ii, qui radici פטר signif. *dimittendi* & *discedendi* etiam tribuunt; unde פטר non potest

esse *apertura.* Hæc ratio movit Bochartum, ut פטר ex Arab. فطر explicare voluerit, *incipere*, *inchoare*, & الفطر Alphatro, *initium*, *exordium*, *quod in unaquaque re primum est:* unde primogenitus, *initium vulvæ:* sunt multa, quæ adversus hanc interpretationem objici possent, maxime quod *incipiendi* signif. aliis S. Script. locis, ubi radix פטר invenitur, plane non conveniat, tum etiam, quod *incipiendi* signif. radici Arabicæ فطر non propria sit, sed per metaph. ei tributa: proprie & notione primaria فطر apud Arabas est *findere:* idem quod شق apud Lexicographos, ex Corano collatis Sur. 82: 1. cum 84: 1. ad hanc ceteræ notiones referri possunt.

Hanc eandem ego solam signif. radici Hebrææ פטר tribuendam puto: nimis enim diversæ sunt & vagæ signif. quas vulgo ei adscribunt. *Discedere* exponitur uno loco, altero *dimittere*, tertio *diducere* vel *distorquere* ex Ps. 22. Tandem *aperire;* unde deduci volunt nostrum פטר *pheter.* Recta via rem puto institui, si tam diversæ signif. ad unam reduci possint. Videamus an non sub *findendi* prima notione omnes contineantur.

Primo

Primo פטר רחם *fissio uteri*, vel *id quod vulvam findit* de fœtu *in* lucem edito, aptus est & usitatus Hebraismus, pluribusque a me ostensus ad *Job.* cap. 39: 3. ubi monui fœtum in lucem prodeuntem, *findere* dici.

Secundo 1. Reg. 6: 8. פטורי צצים quid hic ab illis certi expectes, qui *discedere*, *dimittere*, *laxare* aut simile quid פטר notare volunt? Mihi a *findendo* sunt *eruptiones* vel *fissiones florum*; scil. figuræ florem ostendentes, qui calyce fisso erumpere incipit, ac sese pandere; qui florum status est amæniſſimus. Arab. بزل est *fidit*: inde est in 7. ابزل, *prodiit palmæ spatha erumpente flore:* propriè *fissa fuit.* Conf. etiam Cant. 7: 12.

Tertio Prov. 17: 14. פוטר מים ראשית מדון Vocem פוטר hic substantive sumo ad formam עוֹר & similium, ob sequens ראשית substant. quoque, nam sic aptior est & sensus & oppositio: *Fissio est aquarum, eruptio est aquarum, initium litis.* Aquæ ex terra, & fonte ebullientes *findere* dicuntur, ut Job. 28: 4. Sensus est: ut tenuis est aqua, cum primum ex fonte ebullit, paulatim tamen crescere non desinit & cuncta inundare; sic initium est litis. Participii etiam vis in פוטר retineri potest. *Findens aquas*, id est, *scaturiens;*

turiens; hoc ſenſu ſic interpretaberis: *Tanquam fons, qui aquas findit*, vel *tanquam locus irriguus, qui perennes emittit ſcaturigines, ſic initium eſt litis.* Contra terra *findere* dicitur aquas Hab. 3: 9. נהרות תבקע ארץ *Terra fluvios fidit*, id eſt, *ſcaturire fecit.* Thalmudici in Gemar. Sanhedr. Prov. locum ita explicant: האי תינרא דמיא לצינורא רבידקא דמיא *Lis ſimilis eſt meatui ſtagni exundantis.*

Hæc derivata ſubſtantiva *findendi* ſignif. libenter admittunt; videamus etiam de verbo ipſo. 1 Sam. 19: 10. ויפטר מפני שאול. Vulgat. *declinavit:* Lxx. ἀπέστη; noſtri fere *diſceſſit*; ſenſu ita poſtulante. At ſignif. hæc nullam cum præc. exempl. habet convenientiam; nimis etiam tenue videtur & ſimplex *diſcedere.* Forte ita non male rem concipias; Davidem in ſummo vitæ periculo viam ſibi feciſſe per media cuſtodum ſervorumque regis agmina, ea vi quaſi perrumpens & findens. Ita בקע *findere* uſurpatur 2 Sam. 23: 16.

Alter eſt locus 2 Chron. 23: 8. כי לא פטר יהוידע הכהן את המחלקות, diverſo hic iterum a præcedentibus ſenſu reddunt vulgo: *Quia non dimittebat Jehojada ephemerias*; ſenſus hic, utpote promtus & facilis, Inter-

terpretibus arriſit. Haud convenit tamen, quia מחלקות in plurali *Ephemeriæ* non *dimitti* debebant, ſed מחלקת tantum, ea ſcil. quæ hebdomadem ſuam abſolverat. Hæc autem quum contra morem a *Jehojada* detineretur, & cum altera ephemeria, quæ opus hebdomadale aggrediebatur, conjuncta fuerit, ad majorem regis ſecuritatem; Sacer Scriptor id exprimit: לא פטר את המחלקות *Non fidit*, id eſt, *non ſegregari voluit Jehojada ephemerias.* Ultimus eſt locus Pſalm. 22: 7. יפטירו בשפה. nec *diſcedere*, nec *dimittere* hic quadrat. Lxx. ἐλάλησαν ἐν χείλεσιν· Sic Vulg. *loquuti ſunt labiis*: Arabs تكلموا بشفاههم. Rabbini יפתחו *aperiunt.* Alii *diſtorquent.* Quidni? *Findunt labia ſua;* ſcil. lingua exerta, quod maximum eſt deriſionis indicium.

CAP. XIII.

Verſ. 19. מה הערים אשר הוא יושב בהנה הבמחנים אם במבצרים.

OPtime Hieron. *Urbes quales, muratæ an abſque muris?* Scil. ב ante מחנים & מבצרים non exprimit, quod cum faciunt Lxx. aliique Interpretes, ſenſum red-

dunt minus liquidum. *Quales ſint civitates, quas habitat;* εἰ ἐν ἀτειχίσοις ἢ ἐν τειχήρεσιν. Hunc uſum redundantem τοῦ ב ex Arabiſmo erutum, & Hebræis uſitatum, videre qui cupit, adeat not. noſt. ad Job. 23 : 13. & ſupra Exod. 32 : 22.

CAP. XIV.

Verſ. 44. ויעפלו לעלות אל ראש ההר

LXX. ἢ ᾐθιασάμενοι ἀνέβησαν ἐπὶ τὸν κορυφὸν τοῦ ὄρους. Aliter longe Vulgat. *At illi contenebrati aſcenderunt in verticem montis.* Cur יעפילו ita reddunt? Chaldæus etiam cur ארשיעו *impie egerunt?* ex ſenſu. At Hieron. quid *tenebras* huc adtulerit, non ſatis liquet: putem eum radicem אפל reſpexiſſe, & ſic עפל 2. Reg. 5 : 24. eadem ratione *veſperam* reddit, & Lxx. σκοτεινὸν. quod confirmatur ex Midraſch, ubi יעפלו exponitur הלכו חשכים ex אופל *tenebras* notante. Ex recentioribus Vatablus vertit: *Et corroborarunt ſe*, vel, *cor ſuum*, quod ex Kimchio petitum, qui וחזקוהו לב הגביהו exponit: ſic Raſchi etiam: Pagninus vertit ſimpliciter: *Et conati ſunt aſcendere* &c. nulla ratione & auctoritate. Noſtri rectius:

En

En sy poogden ligtveerdiglijk. Certe Arabice עפל غفل notat *imprudenter & inconsiderate aliquid fecit*, teste Golio. Hoc convenit cum Deut. 1: 41. ותהינו לעלות quod potest verti: *Et leves fuistis ascendendo;* leviter & considerate ascendistis, vel potius, prout usus verbi postulat, *Leve duxistis;* uti ad istum locum ostendam. Alii verbum עפל *conscendere clivum* notare volunt, quæ & Belgarum in notis mens est, ex eo, quod עופל sit *clivus*. At recte Cel. Gusset. incertissimum statuit, Ophel esse *clivum:* revera qua ratione id probari possit non video: nam non nisi semel appellative (proprium enim est) invenitur 2 Reg. 5: 24. ויבא אל העפל· quid hic עפל de *clivo* capere cogit? Lxx. certe & Hieron. longe aliter, illi σκοτεινὸν, hic *vesperam* reddiderunt, cujus rationem supra attigi. Chaldæus etiam אתר כסי *locus tectus, devius*. Arabice غفل *Ophlon* inter alia exponitur: *Vestigiis habitationis destituta terra.* Sec hæc forte latius suo loco; hic tantum ostendere volo, *clivi* notionem esse incertissimam. Notionem *inconsiderate conandi* nondum amplector, tum quod *omissionem rei & neglectum* potius dicat verbum غفل, tum quod עפלה Hab. 2: 4. contrario sensu sumatur, uti mox videbi-

bimus. Vis verbi غفل ab Arabibus hoc pacto exponitur ترك وسها عنه, *omisit rem & neglexit.* Alcor. Sur. 10: 7. الذين عن اياتنا غافلون *Qui miracula noſtra neglectui habent.* vſ. 30. كنا عن عبادتكم لغافلين *Cultum veſtrum neglectui habuimus.* Sic multis aliis in locis Alcorani ſemper cum عن conſtructum, aut *omiſſionem* ſignificat aut *neglectum rei*, nec apud ullum auctorem aliter quam *negligendi* ſenſu inveni. Ideo hic potius exponerem: *Et neglexerunt* (nempe verba iſta & monita Moſis, ubi etiam notandum eſt verbum in 4. conj. اغفل quæ *Hiphil* reſpondet, peculiariter uſurpari de *neglectu moniti:* Ita apud Golium. *Neglexit, incurioſe prætermiſit. Pecul. non recordans moniti alieni.*) *aſcendendo* &c. id expreſſe teſtatur Moſes Deut. 1: 42. *Locutus ſum vobis, at aures non præbuiſtis* ותזדו ותעלו ההרה, quæ plane hiſce noſtris reſpondent, niſi quod עפל *neglectum* in hoc loco, in Deut. זדון *ſuperbiam* vocet hanc moniti ſui omiſſionem; *Et ſuperbi fuiſtis*, ſcil. non attendendo & neglectui habendo monita mea, *& aſcendiſtis* &c. Eodem plane modo exponen-

nendus eſt Habacuci difficillimus locus Cap. 2 : 4. הנה עפלה *Ecce neglectus ſit*; Zoo 'er agteloopheit bp iemant gevonden wert/ of hp zig onttrekt: ἐὰν ὑποστείληται cum Lxx. & Apoſtolo Hebr. 10 : 38. Non hic repetam, quæ Viri Doctiſſimi L. de Dieu & Ed. *Pocok.* jam dudum docuerunt; quædam tantum in medium proferam, quæ forte anſam dare poterunt Eruditis, ulterius radicem obſcuriſſimam verbi עפל inveſtigandi. Scilicet غفل etiam a *Zjauhario* exponitur per ستر סתר *texit*. Inde commoda deducitur morbi עפלים denominatio, qui inferiores & tectas corporis partes afficiebat. Hinc etiam Symmach. teſte *Hieron.* τὰ κρύπτα reddidit. 1. Sam. 5 : 9. ישתרו להם עפלים ibi שתר Rabbini omnes, ceterique Interpretes ex noſtris, pro סתר poſitum contendunt; de quo tamen dubitantem me vid. ſuo loco. Inde etiam עפל *Ophel* 2 Reg. 5 : 24. recte a Jonathane expoſitum conſtat per אתר כסי *locum tectum*; atque inde tandem *Ophel* proprium partis urbis Hieroſolymitanæ nomen ab *tegendo*, *obtegendo*, *propugnando* (ad hunc enim uſum *tegendi* verba ab Hebræis transferuntur) ſumtum fuerit. Rabbini certe מבצר *munimentum* intelligunt. Quid ſi verbi etiam

עפל

עמל apud Habac. & Moſem uſus ab hac ſignificatione non recedat? ut *negligere*, vel potius ὑποστέλλειν *ſubducere ſe & ſubtrahere* ſit idem ac *abſcondere ſe*: **Dan eene zaak zig onttrekken en verbergen.** Conjectura hæc aliunde illuſtrari & confirmari poterit.

CAP. XXIV.

v. 17. *Procedet ſtella ex Jacobo, & ſurget ſceptrum ex Iſraële, & percutiet angulos Moabi.*
וקרקר כל בני שת.

IN hiſce verbis explicandis dubiorum nullus eſt finis. De בני שת diſſentiunt Interpretes, magis tamen in verbo קרקר hærent. Samaritanus Codex קדקד *verticem* legit, manifeſto errore. Lxx. קרקר vertunt σφενομεύσῃ *pabulabitur*. Vulgat. *Vaſtabit*. Symmach. ἐρευνήσῃ· quomodo hoc verbum etiam explicant Syrus & Chaldæus apud Eſai. 22: 5. hic per בלש ille per בצא quæ *inveſtigare* denotant. Onkelos ישלוט *dominabitur*; per *filios* autem *Sethi* cunctum genus humanum intelligit. Hunc ſequitur Arabs Erpenianus يتسلط على جميع الناس *dominabitur in omnes homines*. Syrus

rus Interpres eodem modo vertit, R. Salomo *fodere, ſuffodere* ſignificare id verbum putat, tanquam geminatum קור, quod *fodere* redditur 2 Reg. 19: 24. Kimchius & Ab. Eſra per הרס *deſtruere* declarant, a קיר *muro ;* unde קרקר per contrarium eſſet *murum diruere;* ut שרש *eradicare.* Hanc ſententiam Belgæ amplexi ſunt. Edm. Caſtellus, forte nimis acriter, interpretationem hanc ineptiſſimam vocabat. Non omittenda eſt Celeb. Jac. Altingii expoſitio. קרקר ipſi eſt *congregare* a Chaldæorum verbo קרקר *cucurire, glocitare :* & intelligit, *convocare glocitando inſtar gallinæ*, uti in Evangelio. Erudita eſt obſervatio, quæque etiam aſſenſum Eruditorum nacta eſt. Quædam tamen regeri poterunt. Primo, verbum קרקר vagum eſſe, quamvis notans vociferationem, & ſtrepitum. Ita de corvis *crocitare* notat in Thalmude Bav. Bath. fol. 23. 1. אתו עורבי ואכלי דמא אמר רב יוסף אפיקו לי קורקורא מהכא. *Venerunt corvi, & comederunt ſanguinem. Tum Rabbi Joſeph, abigite mihi hinc crocitationem.* De ranarum etiam vociferatione uſurpatur; unde in *Jelammedenu* צפרדעין קרקורין *ranæ coaxantes:* ſic Arab. قُرٌ eſt *rana*, quæ Veteribus pœnis ab eadem radice *Curur* dicebatur, ut ex Apulej. de Vir.

Vir. Herb. cap. 9. obſervavit Bochartus: Ægyptiacum etiam XPOO8P apud Kirch. in Scal. Copt. ejuſdem eſt originis. Porro קרקר قرقر Arabibus de querula columbarum voce uſu venit: unde قرقرير *gemitus columbæ*: quibus Belgica vox Kirren conſonat. De voce perdicis etiam invenio apud Damirium: في طبعه ان يخدع امثاله بقرقرته *Talis natura ejus eſt, ut ſui ſimiles murmure ſuo pelliciat.* De ſerpentis ſibilo idem verbum adhibetur, & eundem in modum ad alia multa transfertur. Non ergo *glocitare* notat, niſi *gallinæ* nomen adjunctum ſit, quod verbum generale reſtringat; atqui illud hic non adeſt. Forte & hoc dici poteſt, licet *glocitare* notet verbum, non tamen ideo *congregare glocitando* exponi licere. Tandem ſignificatio hæc aptari non poteſt loco Eſaiæ cap. 22: 5. ubi verbum noſtrum iterum occurrit. Reliquas etiam ſub examen verſiones revocemus. Lxx. cur & unde θεωμεύειν vertant non video. Symmachus ceterique, qui *inveſtigare* reddunt, a *fodendi* ſignif. quæ eſt in rad. קור, illud ſumſiſſe videntur; nam ita חפר *fodere* in Jobo eſt *inveſtigare*. At cur Syrus & Onkelos cum Arabe *dominari* expo-

ponunt? Puto quia de ſceptro loquebatur Bileam. An huc etiam facit, quod verbum קרר apud Arabes in 2. conjug. notat *tributa imponere?* & in 10. استقر بالملك *in regno ſtabilitas eſt* apud Arabsjadem alioſque? Hiſce etiam opponi poteſt diverſus verbi uſus apud Eſajam. *Diruendi* ſignificationem non amplector, quia fruſtra verbum per contrarium exponitur, & a קיר *muro* קרקר potius redderem, *murum ſtruere*, quam *murum deſtruere.* Præterea hoc addi poteſt, ſive בני שת cum Onkelos, Arabe, Jarchio aliiſque de *toto genere humano* capias, ſive, quod ſatius puto, *Eccleſiam Chriſti & fideles* intelligas, neutri *deſtructionem* afferre Chriſtum. Puto itaque קרקר eſſe *ſtruere*, *ædificare*, *fundare.* بنيان مقرر *Ædificium firmiter fundatum*, & *exſtructum:* مقرر قواعدها, *qui fundamenta ejus poſuit* apud Abulphar. Et مقر الملك apud Eundem, *Metropolis*: proprie, *fundamentum regni*, uti قاعدة utrumque etiam dicit *fundamentum* & *Metropolin.* Sic in Hiſtor. Sar. مقر عظمتهم وكرسي مملكتهم *fundamentum potentiæ & thronus regni eorum.*

rum. Hæc ſignificatio duobus locis iſtis, ubi קרקר occurrit, apprime convenit. Hic vertas licet; *Et fundabit, vel ædificabit omnes filios Sethi*, id eſt, *Eccleſiam ſuam*; oppoſite ad *conquaſſationem* & *confractionem* מחץ *Moabitarum*, ſeu *hoſtium Eccleſiæ*. Vel ſi שת appellative ſumendum velis, hoc pacto: *Et ædificabit omnes filios fundamenti*; Scilicet qui verum illud & firmiſſimum ſibi fundamentum, Chriſtum, poſuerunt. Et ſic iterum intelligi poſſunt vel ſinguli fideles, nam juſtus eſt יסוד שלם: vel *Eccleſia*, quæ eſt מוסד מוסד Jeſ. 28. quæque ſuper petram eſt ædificata. Apud Eſaiam cap. 22: 5. מקרקר קיר recte *ſtruens*, *ſarciens murum* exponi poſſe oſtendam. Quibus addo *deſtructionem* hic nondum convenire, quia *vſ.* demum ſequenti, hoſtium invaſionem & aſcenſum declarare incipit, *vſ.* 7. non ultra procedit quam ad oppugnationem. אל ההר recte a me redditum *Montes verſus* patet ex ſimili locutione Zach. 3: 10. אל תחת גפן Na onder den Wynſtok / *ſub vitem concedite*, *acclamabunt.*

ANI-

ANIMADVERSIONES PHILOLOGICÆ IN DEUTERONOMIUM.

CAP. I.

Vers. 41. ותהינו לעלות ההרה

ONkelos reddit ושריתון למיפק לטורא, *& cœpistis ascendere montem.* Vulg. *pergeretis in montem :* Lxx. συναθροισθέντες ἀναβαίνετε εἰς τὸ ὄρος. Non liquet hinc, quid proprie תהינו designet, quia sensum potius, quam veram verbi significationem expressérunt. Rabbini verbum hoc a partic. הן *ecce* formatum volunt. Ab. Esra. ותהינו ותאמרו הן *Tahinu notat, dixistis Hen; Ecce parati sumus :* Raschi. לשון הננו

Ecce nos paratos *designat*. Eodem modo Kimchius in Lexico.

Non placet hoc, quia הן ex geminatis secundæ est, quod patet ex dagesch in הנה: verbum autem nostrum radicem requirit ex quiescentibus secunda. Adde הן vel הנני *ecce me* responderi solere, cum mandatum præcedit, cui morem gerere paratos nos testamur; *ecce adsum & obedio*; ut Genes. 27: 1. quod Arabes لبيك dicunt. Atqui id locum hic non habet, cum contra Dei voluntatem proprio consilio in montem ascenderint: Si tamen sensus hisce placeat, quia Mosis objurgationem tanquam mandatum ascendendi capere poterant, ex Arabica radice הן eundem dabo. Nimirum verbum הן هان notat *lenis*, *commodus*, *facilis fuit*. Ita dicunt: هين ليّن: *facilis & commodus*, qui facile obsequitur. *Et faciles vos præbuistis ad ascendendum in montem*. Aliam etiam versionem adjicere decreveram, quum ex collat. Num. 14: 40. probam hanc esse video. *Et mane surrexerunt, ut ascenderent montem, dicendo.* הננו ועלינו אל המקום אשר אמר יהוה *Ecce nos* paratos & obedientes, *ascendemus ad locum, quem jussit Dominus*. Dubium non est, quin Rabbini explicationem suam ex hoc loco

mu-

mutuati ſint: & revera quadam ſpecie ſe commendabat iſta conjectura, quam plane rejici nolim. Statuo cum Ab. Eſra, fruſta objici, verbum a particula formari, nam hoc non inſolens eſt. Ita a لبي *Lebba*, *Ecce adſum* Arabes formant verbum لبي *Lebba*, *dixit Lebbaicha.* A نعم *Niam* affirmandi particula, habent verbum نعم *Naama*; *dixit Niam.* Ab اجل *Asjal* itidem affirmandi voce, verbum eſt *Aſſjala*, *dixit Asjal.* Imo ab integris formulis verba formant: Sic كبر *Cabbara* eſt *dicere* الله اكبر *Alla Ecbar.* حمدل *Hamdala* eſt *dicere* الحمد لله in Camus; & Abulphar. p. 175. بسمل *dicere* بسم الله Sic in Hiſt. Tamerl. p. 390. legitur حولق quod eſt *dicere* لا حول ولا قوة الا لله notante Scholiaſte ad h. l. ex Zjauhario. Interim difficultas prima, quam contra hanc ſententiam adduxi, reſtat; ideoque ad radicem הון *facilem eſſe* ponendam inclino. L. de Dieu alio & duplici modo ex verbo هان locum hunc expoſuit: *Et facile duxiſtis, rem nullius negotii putaſtis.* Iſtius ſæpiſſime verbum hoc apud Arabes

notionis eſt; Alcor. Sur. 19: 10, 21. هو علي هين *Hoc mihi facile eſt* effectu. Sic Sur. 30: 26. In Hiſt. Tamerl. استصعب *rem difficilem habere* opponitur هين اهان *levem rem & facilem ducere.* Altera Viri Docti interpretatio hæc eſt: *Et contemſiſtis, aſcendendo in montem:* Scilicet verbum هان etiam *deſpectum, contemtum eſſe* notat; & in 4. اهان *contemnere, vile ducere. Et contemſiſtis*, nempe, *mandatum Dei;* confert cum hoc loco Num. 14: 44. ubi יעפלו quod *neglexiſtis* vertit, legitur. At fallitur L. de Dieu, nam יעפלו in Numer. 14: 44. reſpondet in hoc cap. noſtro vſ. 43. תהינו & וזרו; hic reſpondet Num. 14: 40. uti ſupra monui, & loca hæc conferenti clarum fiet.

CAP. XXXII.

Verſ. 11. כנשר יעיר קנו.

CHald. & Lxx. hic communem verbi העיר ſignif. non admiſerunt, ſed ex ſenſu utrique, hi, ὡς ἀετὸς σκεπάσαι νοσσίαν αὐτῦ· ille, כנישרא דמחיש לקניה *Sicut aquila*

aquila festinans ad nidum suum: vel potius, quia מחיש formam habet pass. ex Arab. حيش, *quæ timet nido suo*. Video, quid Interpretes hos moverit: קן scilicet *nidum* proprie dictum intellexerunt; at Hieron. commodius *pullos* intelligebat, quomodo Latinis *nidus* de *pullitie* sæpe usu venit: *Vid.* Non. Marc. & Serv. ad 4 Georgic. Atque sic vim verbi העיר expressit: *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos*: modum simul *excitationis* indicans. R. Salomo *excitandi* verbum aliter explicat; Aquilam, cum misericors sit erga pullos, nidum suum non ante ingredi, quam alis ad ramos allisis sono isto pullos *excitaverit*, quo ad eam excipiendam parentur.

Mihi Hieronymi versio Prophetæ menti propior videtur. Si tamen קן *pullitiem* Hebræis notasse negetur, non levis erit difficultas, quæ etiam Chald. & Lxx. in alia ire coegit. Quid si Arabicum غير hic admittamus? conveniet certe, sive *pullos* intelligas sive *nidum*, Verbum غير Arab. notat *Zelotypum esse*: eandemque habet vim quam Hebr. קנא, cui in vers. Arab. respondere solet. Commodissimum hinc fluere sensum palam est; attamen de eo non cogitassem hic loci, cum Hier. versio pro-

ba ſit, niſi ſemel iterumve עור in Jobo קנא eſſe videretur; exempl. vide in Job. meo. Quorſum etiam melius referetur עי quod *hoſtis*, *inimicus* ſolet exponi? quaſi *vigilans*, ajunt, in alterius malum: rectius *inimicus*, tanquam *invidus*, *æmulator*. Quibus עי a צר factum placet, concederem, ſi in ſolo Daniele legeretur; aut ſi Targumiſtæ eam vocem agnoſcerent. Nunc Hebraicæ puto originis a עור *æmulari* in malam partem ſumto, ut קנא etiam ſolet. Arab. غار *invidiam* ſæpe dicit. Ita غيور in Hiſtor. Tamerl. pag. 322. a Scol. declaratur per رقيب يغار منه *æmulator, qui in invidiam trahit.*

CAP. XXXII.

Verſ. 13. חלמיש.

VOcem hanc aliquoties cum צור junctam *petram* ſignificare perſpicuum eſt. Lxx. nunc σπεᾶν, nunc ἀκρότομον vertunt. An originem ejus repetendam ſtatuemus ab Arabico خلم? quod per صفي exponitur a Lexicographis: ut خالم per صافي, *ſincere amicitiam coluit*: خلم per صفي,

صفي, *ſincerus amicus.* Sicut autem a صفي Arabes formant صفوة *petra levis*; ſic חלמיש eſſet a خلم, ut עכביש a عكبش *agilis fuit.* Λᾶαν ergo vel γλαφυρὰν notaret πέτρην. Ita & צחית eſt *petra*, ab צחח *purum, ſincerum eſſe.*

CAP. XXXII.

Verſ: 24. מזי רעב

LXX. τηκόμενοι λιμῷ. Vulg. *conſumentur fame.* Onkelos נפיחי כפן *inflati fame.* Fame laborantium pedes tumeſcere notum eſt: unde λιμῷ καταπεπλημμένα & γαστρὸς eleganter conjunguntur ab Heſiodo, in Scut. Herc. 265. ubi vide ſummum Grævium. Interim ſatis conſtat Veteres verbum מזי non intellexiſſe, ſed tantum ex ſenſu aliquam notionem excogitaſſe. R. Salomon ex Thalmud. מזי *capillos* exponit: שיערי רעב *hirſuti fame; nam*, inquit, אדם כחוש מגרל שיער על בשרו, *qui macie premitur, capillitiem alit.* Hujus notationis auctorem nominat R. *Moſen Haddarſchan Toloſanum.* Ab. Eſra & Kimch. מזי exponunt שרופי, *uſti fame:* Sic Arabs محروقون.

Conferunt autem Chald. אוא in Daniele. At מז noſtrum inde deduci non ſinit ratio Grammatica; tum etiam *ardere fame* non dicitur, ſed *ſiti*, ut Arabes utuntur in حر & حرق & وهج aliiſque *ardendi* verbis. Invenio شعار *ardorem* de *fame* ſumtum; at per hanc vocem non defectus cibi indicatur, aut macies inde orta, ſed aviditas & ardor edendi: unde مسعور الجوف, *ardens ventrem* a Golio exponitur: *avidus cibi ac ventrem expleus.* Aliud longe poſtulat locus noſter. Fallor, aut hæc proprie eſt verbi iſtius notio: *Exſucti fame.* Arabice מז مز eſt *ſugere*; *exſugere*; idem ſcilicet quod مص ſeu מצץ. quod Eſai. 66: 11. pro *exſugere* occurrit: ſolent literæ ז & צ quam ſæpiſſime permutari aut confundi: Sic עלץ & עלז: Et צהוב a זהב: Arab. مصن & مزن. بزق & بصق: Quod Hebræis צרק, id Syris זרק. Infinita ejus generis exſtant exempla. Idem in מצץ ſeu מצה, utrumvis horum maxime placuerit, accidiſſe, ac pro iis ſive מז ſive מזה etiam dictum fuiſſe, Arabiſmus comprobat, ubi مز æque atque مص *ſugere* notat. *Exſugi fame* locutio eſt Arabica. امراة مصوصة *Mulier exſucta*

מצוצה

מצוצה eſt *macie extenuata.* Latinis etiam *exſucti fame* & *exucci* dici poſſunt, quibus ſuccum corporis & humorem exhauſit fames. Locutio ſatis clara eſt, nec ulteriore luce indiget.

CAP. XXXII.

Verſ. 26. אפאיהם

CHald. יחול רוגזי עליהון *quieſcet ira mea in eis.* Sic *Samar.* רגזינון quaſi אפי הם. Syrus איכא אינון *Ubinam ſunt?* quæ etiam *Vulg.* eſt verſio; quaſi אפוא הם. Apud *Ab. Eſram* lego יש אומרים שהם שלש מלות *Quidam tria eſſe verba autumant.* Rectius Lxx. pro unico verbo habuerunt, Ἀφανιῶ αὐτούς· Kimchi eodem modo: אפזרם בכל פאה; *diſpergam eos in omnes angulos.* Hoc improbat *Ab. Ezra* כי לא ידבק המעם, *quod ſenſus ſic non cohæreat.* Ita eſt. Relegatio ad extremos angulos non opprimit & extinguit eorum memoriam, ſed eos omnium hominum oculis exponit. Tum hoc etiam obſtat, Deum ſeſe conſilium ſuum exſecuturum negare, ob hoſtium malignitatem; Iſraëlem vero in nullum non mundi angulum relegatum videmus. *Ab. Eſra* ex ſenſu

ſu exponendum ait אחריכם aut אכריתם. Prius auctoritate caret, poſterius veriſſimum puto. Arabice פאה فاي exponitur per قطع, quod eſt *ſcindere*, *exſcindere*. Inde verto: *Exſcinderem eos*. Dubium fere non eſt, quin apud antiquos פאה illam habuerit ſignificationem, atque inde פאה *angulus* eſt; ut מקצע itidem *angulus*, a קצע ſeu قطع *ſcindere*, *præcidere*, per quod فاي Arabes declarant. Miror קצץ, quod non niſi ſemel occurrit Lev. 14: 41. exponi *tectorio nudare*. Nihil poteſt minus aptum excogitari. קצץ nihil aliud eſt quam *ſcidit*, *præcidit*, ut Arab. قطع atque ita in Thalmude ſæpius. Indubitatum id eſt ex textu, ubi mox הקצה dicitur, quod modo הקציע erat; הקצה autem extra controverſiam *præcidere* ſonat. Hinc, ut monui, מקצע *angulus* eſt a *præcidendo*. מקצעה Jeſ. 44: 13. *inſtrumentum quo præciditur*.

CAP.

CAP. XXXII.

Vers. 42. מרם חלל ושביה מראש פרעות אוי׳ב.

A *Sanguine occisorum & captivorum: Nudati inimicorum capitis.* Ita V. Vulg. verbum פרע aliquando quidem *nudare* est; neque tamen commoda est satis versio ista. Lxx. ἀπὸ κεφαλῆς ἀρχόντων ἐχθρῶν· non male. Rabbini פרעות hic *ultiones* explicant, unde Arabs Erpen. ad literam من راس انتقامات العدو. *A capite ultionum hostium:* qui ineptus est & vanus sensus. Rectius alii מראש *a principio* exponunt: sed & hoc violentum parit sensum nec cum prioribus cohærentem. Lxx. laudavi, quod dederint *a capite principum inimicorum:* Sensus est percommodus, & apte antec. respondens. Arab. فرع *princeps* in populo. Inde פרעה *Pharaonis* nomen derivant nonnulli. Prima fronte alienior ab Hebraismo videtur ista significatio; non longe tamen recedit, nam فرع *principem* appellant Arabes a فرع *comam* notante, quæ signif. in Hebr. nota est. Sic خاصية *comæ & optimates.* Hæc utut speciem

ciem habeant, magis tamen propendeo ad Hebraiſmum ſtrictius retinendum, atque tunc ita exponam: *A capite capillato hoſtis.* Nam eodem modo Deus percuſſurus dicitur קדקד שער *verticem capillatum* hoſtium Pſ. 68. Hæc etiam eſt, ſi recte nunc memini, Magni Cocceji interpretatio.

ANIMADVERSIONES PHILOLOGICÆ IN JUDICES.

Cap. II.

Vers. 3. והיו לכם לצדים

LXX. *Et erunt vobis εἰς συνοχὰς.* At *Vulgat.* צרים *hostes* vertit; & *Chaldæus* מעיקין; quod idem est. Frustra hanc signif. deserunt nostri Interpretes, & Veteres hosce צרים cum *Resh* legisse contendunt. Aliter docet Arabismus, & horum versionem probam esse, simulque צרים cum *Daleth* eos legisse ostendit. Arabice

bice ضد est *contrarius fuit* : inde in 3. ضاد *hostiliter se opponere* notat : Nomen צר ضد *hostis.* Alcoran. Sur. 19 : 85. يكونون عليهم ضدا *Et ipsis hostes sunt.* Hist. Tamerl. pag. 194. الضد ادبر والمامول قد حصل. *Hostis* אלצר *terga vertit, votique compotes facti sumus.* Sic Dan. 7 : 25. *Verba* לצר *contra Altissimum profert* : Ita & Arabes nomine ضد utuntur; uti in isto Poëtæ cujusdam:

ومكلف الايام ضد طباعها
مطلب في الماء جذوة نار :

Qui torquere studet fortunam contra צר *naturam,*
Captat in aqua ardentem ignis prunam :

Utrum autem צר *latus* sit a צר *contra*, an inverso ordine *contra* a *lateris* significet notione, alias inquiram. Illud certissimum videtur, צרים hic non posse esse *latera*: Nam quod Viri Docti vertunt: *Erunt vobis in lateribus*, id primo hostilitatem perobscure exprimit: deinde ita omnino vertendum esset : *Erunt vobis in latera*, vel, *erunt vobis latera*; sic enim ל post היה usurpatur;

patur; quæ enuntiatio inepta foret. *Kimchius* quoſdam צרים a צור *venari* expoſuiſſe teſtatur, quibus *Dagesh* officit, neque æque commodum fundit ſenſum, atque verſio *Chaldæi* & *Vulg.* qua ſtandum puto.

CAP. V.

Verſ. 11. מקול מחצצים בין משאבים

Vulg. mire vertit; *ubi colliſi ſunt currus & hoſtium ſuffocatus eſt exercitus.* Quid voluerit non facile eſt conjicere. Lxx. propius Hebr. ἀπὸ φωνῆς ἀναχρεομένων ἀναμέσον ὑδρευομένων· Videntur *citharoedos* & *cantores* intellexiſſe. *Chaldæus* מחצצים a חצץ *lapillo* derivans expoſuit, Iſraëlitas metu hoſtium non auſos ad aquationes accedere, & lapillos, quibus ripæ fluviorum & aquarum conſitæ ſunt, tranſire: Sic *Jarchius* ex mente quorundam. Hæc autem Interpr. ferri nequit, & ex verbis noſtris nullis fidiculis poteſt extorqueri. *Kimch.* יורי חצים intelligit, ſeu *jaculatores*, qui Iſraëlitas ab aquationibus prohibebant. Ita & *R. Levi;* hunc ſenſum & explicationem Belgæ amplexi ſunt. Revera חצץ a חץ eſt *jaculari* apud *Jonathanem*

hoc cap vſ. 8. non video tamen qui conveniat: *A voce*, vel, *ſtrepitu ſagittariorum inter aquationes, ibidem laudent juſtitias Domini.* Ex his verbis ſequeretur, Deum laudibus eſſe celebrandum, quod ſtrepitus hoſtium ad aquationes audiatur. Abſurdum hoc eſſet, neque id etiam volunt Interpretes; hoſtium enim diſceſſum, & fugam celebrari putant. At nihil tale in verbis iſtis apparet; niſi מקול violenter admodum vertas: *Quod non amplius ſit vox:* uti Zach. 47: 14. מעבר, *ne ſit amplius tranſiens;* ſane מן quandoque negandi vim habet; at obſervandum, hoc a præcedentibus oriri, quod hic non fit: neque etiam video Interpretes id hic admittere. Conjecturam in hac difficultate meam cunctanter propono, licet ſenſum facilem fundat. *A voce ſortientium ad aquationes illic laudent juſtitias Dei.* Hebr. חץ eſt *ſagitta:* hoc pro *ſorte* olim poſitum fuiſſe ad Jobum c. 40: 25. latius oſtendi, quia *ſagittis* ſortiri ſolebant: Inde חצץ hic capio pro *ſortiri.* Sic Arab. سهم eſt *ſagitta* & *ſors*, uti ad Jobum monui. Verbum autem سهم in 3. eſt *ſortiri.* Alcoran. Sur. 37: 14. de *Jona.* فساهم وكان من المدحضين

Et

Et ſortitus eſt (proprie *ſagittas jecit*) *& ſorte damnatus eſt.* Senſus eſt, Deum laudibus extollendum, quod ex urbibus jam exire detur, & confluere ad aquationes, adeo ut præ multitudine aquatorum de ordine *ſortiri* debeant, vel generalius, *diſceptare:* nam شاهم in gen. نازع *altercari* etiam exponitur. Hoc cum verbis ſeq. hujus vſ. convenit. *Deſcendit Dei populus ad portas* i. e. *ex urbibus proruit.* Vid. omnino ad Prov. 30: 27.

CAP. V.

Verſ. 15. בפלגות ראובן גדלים חקקי לב

IN diviſionibus Rubenis, magnæ erant..... cordis. Non parum hic difficultatis parit Interpretibus illud חקקי, quod quidam *ſtatuta, decreta, imaginationes* alii, alii *diſquiſitiones* exponunt. *Contentionem* reddidit Vulg. *Magnanimorum reperta eſt contentio.* Recte equidem ex ſenſu חקקי per *contentionem* expreſſit; hoc enim vult *Debora, Rubenitas* diu multumque deliberaſſe, an ad bellum ceteris cum tribubus irent, magnaque conſultatione & contentione rem utrimque eſſe agitatam, aliis alia decer-

nentibus : At quum radix חקק *ſtabile* potius ac *conſtans animi propoſitum*, quam hanc *mentis* in deliberando *fluctuationem*, deſignet (uti ex derivato חק *ſtatutum*, *decretum immutabile* Pſ. 2. palam eſt) maluerunt alii textum corruptionis arguere, ac pro חקקי *Chikke*, quod ipſis erant *conſtans decretum*, legere חקרי *Chikre*, *diſquiſitiones* ex vſ. ſeq. ubi idem repetitur. At enim quidni potius dicamus τὸ חקקי obſcurius per cognitum magis ac facilius חקרי, præſertim quum eadem ſit locutio eademque in re, eſſe explicandum, non vero illud ad hanc formam corrigendum. Præſentiſſimum hic ſubſidium exhibet Arabiſmus. Primo videamus de חקרי לב hoc abſque dubio *contentionem* animi ac *diſquiſitionem* dicit a rad. חקר *ſcrutari*: proprie vertas, *ſcrutinia cordis*, quæ ſcil. fiunt in deliberationibus & conſultationibus; ita *ſcrutandi* verba Arabica فحص & فتش & بحث ejuſdemque generis alia, ad diſceptationes altercationeſque notandas deflectuntur. Hoc idem notare חקקי לב neceſſe eſt, idque ex Arabiſmo demonſtratum dabo. Arabice verbum חקק ſeu حقّ in 8. conj. احتقّ a *Golio* exponitur, *contendere*, *altercari*. Magis tamen huc facit uſus, quem ex ipſis Arabibus

bibus obſervavi, ut ſcil. verbum حقّ in 2, conjug. *dageſſ*: حقّق idem fere ſit cum חקר *inveſtigare*, in *veritatem* diſceptando *inquirere*. Nimirum حقّق conjunctum invenio cum verbo بحث *ſcrutari*, quod Hebræo חקר reſpondet in *Pentat. Erp.* Deut. 13 : 14. Exemplum habeto ex *Hiſt. Tamerl.* pag. 437. كان فيهم الظرفاء والادباء وفيهم المحقق والباحث في العلوم والمدقق *Erant & in iis ingenioſi, ac eruditi, interque eos* אלמחקק *diſquiſitores, & ſcrutatores ſcientiarum, easque ſubtiliter indagantes.* Ibi מחקק cum باحث ſeu חוקר *ſcrutatore* ut ſynonymum jungitur. Sic pag. etiam 204. legitur بحاثا محققا *Indagator non indiligens.* In eadem etiam Hiſt. اهل التحقيق Sunt *qui contentione & ſtudio inquirunt;* locus eſt pag. 28. وهذه المملكة معدن حال الاعتزال وينبوع بحار اهل التحقيق من ارباب الهدي والضلال *Eſtque regnum hoc* (Chorzemiorum) *fodina ſectæ Mutazaliticæ, & ſcaturigo multitudinis in veritatem inquirentis diſceptando, cum recta, tum erronea incedentis via.* Eodem mo-

do *Abulphar.* verbo hoc utitur *Hiſtor. Dynaſt.* pag. 328. *Vir erat egregius, magnæque dignitatis, variis ſcientiarum a veteribus acceptarum generibus excultus,* متحقق بن لك اتم تحقيق *eaſque, quanta poſſet maxima, inveſtigatione exploratas habebat.* Ex hiſce exemplis elucet, quomodo חקקי cum חקרי conveniat, eademque fere ſignificatione gaudeat, *diſquiſitionis* ſcil. & *inveſtigationis.* Lxx. etiam ſeniores cum ſæpe alias, tum hic, ad Arabiſmum videntur attendiſſe; חקקי enim reddunt ἐξιχνιάμφοι, *perſcrutantes;* quod ſenſu coactos eos expreſſiſſe, conjicere liceret, niſi in vſ. etiam præced. מחוקקים ἐξερευνῶντες *perſcrutantes* dediſſent duro licet & incommodo ſenſu, quum potius ibi ſint *legiſlatores* vel *principes*, ut recte *Hieronymus.*

CAP. V.

Verſ. 17. *Aſer ſedet in littore maris,*
ועל מפרציו ישכן.

LXX. מפרצים διεξόδους vertunt, non ſatis recte. *Chaldæus* per מפרצים *urbes deſolatas* intelligit; *Et in urbibus* gentium *deſolatis habitant:* קירוי עמיא דפגרו תבו ובניין

ובניין ויתיבו בהון. *Urbes gentium deſtructas Aſeritæ ædificarunt eaſque incoluerunt.* Sign. hanc petiit a פרץ *rumpere.* Vulgatus *portum* reddit, quod probe factum ex Arabiſmo oſtendam. *Kimchius* & *Levi* etiam *urbes deſtructas* intelligunt, ſed alio modo quam *Chaldæus*; ipſorum ſcil. *Aſeritarum* urbes arbitrantur perruptas & hoſti patentes, quorum metu in bellum proficiſci negarunt. Non abſimiliter Belgæ: ſed fruſtra hæc comminiſcuntur. מפרצים nihil aliud ſunt quam *portus. Aſer in littore maris conſedit, & in portibus ſuis habitat*, vel, *manſit.* Arabice فرضة ſeu פרצה proprie eſt *locus in littore crebra fluctuum alliſione inciſus*; a فرض *rumpere, incidere.* Hinc a ſimilitudine فرضة eſt *locus in quo naves anchora jacta ſtant*, exponente *Zjauhario.* Urbes maritimas portu præditas etiam فرضة vocant. *Zjudda* جدة maris rubri portus inſignis فرضة مكة dicitur eſſe *portus Mechæ.*

CAP. XI.

Verſ. 20. ולא האמין סיחון את ישראל.

VIdeo Interpretes hæc ita capere: *Et non concredidit Sichon Iſraëli tranſire per terminos ſuos.* **Hy betroude het hen niet toe**; ut habent Noſtri. *Vulgat.* ſimpliciter: *Non dimiſit.* Verum, ut mihi quidem videtur, verum loci ſenſum præbet Arabiſmus. *Non ſecurum, tutum præſtavit Sihon Iſraëlem; libellum ſecuritatis non conceſſit tranſeundi per limites ſuos.* Arab. امان non tantum *fides* eſt, ſed & *ſecuritas*, oppoſitum τῷ خوف *metus*; & verbum امن *credere* & *ſecurum eſſe*; in 4. conj. *ſecurum reddere.* Ad bellum ſæpe transfertur. *Abulphar.* وطلب اهل البلد الامان واومنوا. *Et petierunt urbis incolæ ſecuros ſe præſtari, & præſtiti ſunt.* Alibi de urbe obſeſſa etiam: امنهم ان يخرجوا هم ونساوهم *Securos eos reddidit exeundi pariter cum uxoribus & liberis* &c. האמין אתם. Hoc alias dicunt. كتب لهم الامان *Scripſit*

Scripſit iis ſecuritatis libellum. Sic de legatis, vel exercitu hoſtile ſolum tranſituro האמין אתם *امنهم* vel كتب لهم الامان dicunt; Rex hoſtilis *tutos eos præſtitit*, cujus locutionis multa apud Hiſtoricos inveniuntur exempla. Ceterum in verbo אמן *apud Hebræos* etiam *ſecuritatem* contineri, *monui* ad Jobi cap. 24: 22. & infra dicam ad Pſalm. 37.

CAP. XIX.

Verſ. 26. ויתעללו בה

MUlti ex linguæ peritis: *Et facinus in ea commiſerunt*; ex ſignif. vocis תעלולים *facinora:* Non recte; verte: *Et luſerunt in ea.* התעלל eſt *ludere, illudere:* 1 *Sam.* 31: 4. & *Jer.* 38: *vſ.* 19. Ita Græci ἐνέπαιζον ἐν αὐτῇ· & *Chaldæus* אתלעבו בה; *ludendi* verba Latinis & Græcis ad rem Veneream transferri non eſt quod Doctos moneam. Arabibus & Hebræis idem in uſu eſt. Id apud Arabes in لعب & دعب & لهي aliiſque *ludendi* verbis obſervare eſt. Apud Hebræos צחק ita uſu veniſſe ſine controverſia palam facit Geneſ.

39: 14, 16. neſcio autem an eundem obtineat uſum *Gen.* 26: 8. Multorum ex Hebræis hæc mens eſt, etiam *Cajet.* & *Nic. Lyræ* aliorumque: Scoliaſtæ etiam Græci, qui hic habet: εὐφημόνως εἴρηται. Rabbini hoc ſenſu capiebant verbum Geneſ. 21: 9. ubi dicitur, Saram vidiſſe filium Hagar מצחק. *Rabboth in Geneſ. Sect.* 53. דרש ר׳ עקיבא אין מצחק אלא גלוי עריות הין מה״א בא אלי העבר העברי לצחק בי מלמד שהיתה רואה אותו לישמעאל מכביש גנות וצר נש׳ אנשים ומענה אותן׳ *Expoſuit R. Akiba, ludum iſtum nihil aliud fuiſſe, quam turpitudinis revelationem, quomodo legitur Gen.* 39. &c. *Docet autem Saram vidiſſe Iſmaëlem . . . . . & venantem uxores virorum eoſque comprimentem.* Verba iſta מכביש גנות obſcura ſunt. *Gloſſ.* intelligit, Iſmaëlem acriter perſequendo feminas ſepes hortorum transvolaſſe; at ſic vim facit verbis. Monet idem in *Biure R. Eliæ Oriental.* legi גויות *ſubigens gentiles fœminas*; quod procul dubio ita correxit Rabbi iſte, quia videbat *hortos* hic non convenire. Quid ſi גנות hic *dæmones* ſint, quas ab hominibus ſubigi, iiſdemque conjungi poſſe credunt Rabbini & Mahomedani, de quo multa in Thalmude & Scriptis Orientalium: ſed hæc alterius ſunt loci. Nos hic

In-

Interpretem habemus omni exceptione majorem Paulum Gal. 4: 29. qui צחק alio capere ſenſu docuit. Ceterum התעלל parili ſignificatione etiam ſumtum *videtur* ab Rabbinis *Num.* 22: 29; atque inde orta horrenda illa criminatio, quam Bileamo objiciunt *Gemarici* in *Avod. Zar.* f. 4. p. 2. & *Sanh.* f. 105: 2. eum concubuiſſe cum aſina ſua; ſcio eos id ex הסכן elicere, ſed & ex התעלל idem eos facere patet ex *Rabboth in Bemidb.* ubi ad התעללת, ita annotant Magiſtri, אע"פ שמרבר בלשון קדש גוי לשונו פרוח *Licet qui hic lingua ſancta loquatur gentilis ſit, tamen ſermo ejus floridus eſt.* Ergo obſcœnitatem hic intelligit Doctor Judæus, quam Bileam verecunde obtexerit. At fruſtra & vane in Syro Hebræi ſermonis caſtitatem mirantur nugaces Rabbini.

ANI-

ANIMADVERSIONES *PHILOLOGICÆ* IN LIBRUM I. SAMUELIS.

CAP. I.

Verſ. 6. וכעסתה צרתה

OPtime ad h. l. *Kimchius.* כל שתי נשים לאיש אחד נקראות צרות *Duæ unius viri uxores*, tſaroth, *vocantur; quoniam ut plurimum inimico inter ſe invicem ſunt animo. Et ſic ſæpe in Miſna:* Indubitatum hoc reddit Arabiſmus, ubi צרר ſeu ضر eſt *lædere*, *hoſtiliter agere*; pecul. de mulieribus uni viro junctis, *Zelotypia contendere.* Unde צרה ضرّة eſt *mulier*, *quæ cum*

cum alia communem habet maritum. Ambæ ضرتان in Dual. audiunt. Et צר ſeu ضر eſt *matrimonium, quo uxor ducitur juxta aliam adhuc ſuperſtitem;* unde dicunt دكحت علي ضر *Ducta eſt domum alteri jungenda.* Unde lux loco Levit. 18: 18. qui ſic verti poteſt: *Non adjunges uni uxori alteram* לצרור *committendo polygamiam.* Optime Vulg. *in pellicatum.* Sic evito ſupplementum Interpr. אותה, qui vertebant: *Ad angendum eam*, quod ipſum tamen non omnino improbare poſſum. Ceterum hac etiam *æmulandi* ſignif. *Kimchius* ſumebat צר מעון mox infra cap. 2: 32. in *Comment.* ad iſtum loc. & in *Libr. Rad.* voce מעון. Verbum צרר clare æmulari eſt apud Eſai. cap. 11: 13. quem locum, a multis non recte intellectum, ſuo ordine exponam.

CAP. V.

Verſ. 9. וישתרו להם עפלים

LXX. καὶ ἐπάταξεν αὐτὸς εἰς τὰς ἕδρας αὐτῶν· quod potius vſ. 6. reſpondet, ubi legitur ויך אותם בעפלים. ubi Lxx. καὶ ἐξέζεσεν αὐτοῖς εἰς τὰς ναῦς; quæ ex iis quæ, ex vſ. 9. citavi, expreſſa videntur. Con-

Confuſio eſt in verſibus : שתר ergo iis ἐπιζεῖν eſt : Hieron. *computreſcere* exponit : *Chaldæos* per לקה *percutere*, *affligere* ex vſ. 6. & 13. ubi הכה, quod *Chaldæus* לקה reddit, legitur. Verbum eſt ignotum nec alibi lectum שתר. Rabbini omnes, *Jarchi*, R. *Levi*, *Kimchi*, R. *Eſaia* ceterique, ad סתר referunt, indeque exponunt; hos noſtri ſequuntur Interpretes, quotquot ſunt. Nituntur auctoritate *Maſoræ parvæ*, quæ ad h. l. ita habet. י"ח מלין כתי"ב שי"ן וקרי ס"מן : *octodecim ſunt voces per* ש *ſcriptæ*, *quæ per* ס *leguntur*. At primo ; non id agnoverunt Veteres, quos citavi, Interpretes, qui verbo tanquam ignoto ſignificationem ex ſenſu tribuerunt. Secundo, nihil hic *Maſora magna*, imo ad Hoſ. 2 : 8. ubi octodecim illa & alia etiam loca recenſet, nullam facit loci noſtri mentionem. Tertio, *Sin* quidem quandoque pro *Samech* poſitum invenio, nunquam vero *Schin* : at ישתרו in optimis Editionibus punctum habet dextro cornu adpictum, & per *Schin* ſcribitur. Ita in exemplaribus meis ex editione *Plantini* in 4°. & *Bombergii* in folio, cujus curam *R. Chajim* habuit; *Veneta* etiam magna, & MSS. quæ vidi optimæ notæ. Ideo etiam *Forſterus* verbum ſub literam *Schin* in Lexi-

Lexico ſuo retulit. Hoc Celeb. *Guſſetium* dicere coegit; *Ignoratur ergo hucuſque verbum illud.* Conjecturam etiam novam proponit, ut שתרו poſitum ſit pro ישטרו *Thau* pro *Tet*, ut in חתף & חטף aliiſque. Hoc exponit vir Doctus: *Et dominatæ ſunt iis mariſcæ.* At præterquam quod ſenſus ſit non ſatis commodus, permutatioque iſta rariot, præter iſta dico, שטר nunquam eſt *dominari*, aut ſub radice ſua *dominii* ſignificationem habet: tum ſi vel maxime haberet, non illud in *Niphal* exprimendum fuiſſet. Itaque nos de verbo ignoto quædam proponemus. Arabice شطر שתר eſt *findere:* unde شتر ſpecial. *labii inferioris fiſſura* in *Camus.* Ea ſignificatio ſatis loco noſtro conveniens eſt: *Et fiſſæ ſunt iis* (id eſt, *eruperunt*) *mariſcæ, tumores & puſtulæ, Apholim.* Res quæ *ebullit* & *prorumpit* ſtylo Orientis *findi* dicitur. *Fiſſæ ſunt aquæ* Eſai. 35:6. id eſt, *fiſſa terra orta.* فطر نابه de *camelo*, *fiſſus eſt ei dens*, id eſt, *prodiit & exeruit ſe;* de *flore* dicunt انشق *fiſſus eſt*, id eſt, *rupto calyce prodire cœpit.* Pari ratione *fiſſæ ſunt iis puſtulæ Apholim, mariſcæ, ficus*, pro *eruperunt.* Puto me alicubi phraſin hanc legiſſe, certe locutionem eſſe genio Orientis congruam extra dubium eſt.

CAP.

CAP. XIII.

Vers. 21. והיתה הפצירה פים למחרשות

LOcus perquam difficilis ob ignotum פצירה. Lxx. τρυγητὸν dederunt, quasi scriptum fuisset בצירה. Rabbini *limam* intelligunt. Sic *Raschi* & *Kimchi*. Pater *Kimchii* פצירה capiebat בלשון רבוי *sensu multitudinis*: מויפצר בו שהוה רבוי דברים ex Gen. 19. ubi פצר esset *multiloquium*. Omnino prave. Rabbini quum *limam* intelligunt, auctoritate nituntur *Chaldæi*, qui שופינא exposuit; לי"מא בלעז *limam* vernacule exponente *Kimch*. At non video ulla hic ratione *limam* textui posse obtrudi; scio Doctos hæc ita capere, *limas* acuendis *vomeribus securibus* ceterisque instrumentis, adhibitas fuisse; at duabus de causis interpretatio hæc non consistit. Primo, quod constructio & verborum series repugnet; secundo, quod præc. vs. non conveniat, ubi dicitur Philistæos ad acuenda instrumenta debuisse adiri. Tandem si vel *lima* commodum hic funderet sensum, qua tandem ratione פצירה *limam* notare possit, equidem non video. An ex *urgendi* signif. vel *jus-*

inſtandi? uti incommode nonnulli. At ferris, *malleis*, ſecuribus &c. rectius id tribueres, quam *limis*. Tum etiam פצר *urgere* non notat, niſi metaph. uti mox docebo. Conjectura itaque mea hæc eſt: פצירה expono *obtuſionem*, proprie *fiſſionem*. Fiſſa acies & crenis inciſa, obtuſa eſt: ſatis apte & liquide cuncta hoc modo cohærent. Vſ. 20. *Deſcendebat autem omnis Iſraël ad Philiſthæos, acuendo quiſque vomeri ſuo* &c. Vſ. 21. *Erat enim* פצירה *fiſſio*, *obtuſio* פים *acierum vomeribus, ligonibus, ſecuribus* &c. *Vulgat.* hic conſentientem habeo: *Retuſæ enim erant acies vomerum* &c. Arab. فطر *fidit*, de enſe, *obtudit*, fiſſuris ſcil. incidendis. سيف فطار *fiſſus, fiſſuras habens, obtuſus enſis* apud *Zjauhar.* & in *Camus.* Radix eſt, ut dixi, פצר فطر *findere*; in ٥. تفطر *fiſſus fuit*: in ٧. انفطر *fiſſuras egit*: nomen فطر *fiſſura*. Alcor. Sur. 82: 1. إن السماء انفطرت *Cum cœlum finditur*: pro quo Sur. 84: 1. eſt انشقت. Ergo فطر idem eſt quod شق *findere*. Hanc eandem ſignif. radici פצר tribuendam puto, unde nova mea expoſitio *fiſſionis*, quæ a communi *urgendi* notione nimium recedere videtur, non parum firmatur. Gen. 19: 3, 9. ויפצר בם & *inſti-*

tit apud eos, *urſit eos* recte quidem vertas, at non proprie; nam tunc erit; *Et fidit eos* ſcil. rogando; ut Latin. *obtundere*. Sic Arab. صدع *fidit*, & *inſtitit rogando*. Eadem ratione vſ. 9. *moleſtum eſſe* notat. המצר 1. Sam. 15: 23. in quo miſere ſe torquent Interterpretes, commodiſſime hinc elucidari alias oſtendam. Ceterum פצר primario *findere* notaſſe, indubium ſatis videtur ex cognata radice פרץ quod itidem ut פצר *inſtare* notat & *urgere*; prima notione vero *rupit*, *fidit*, *diffidit*, quod notum eſt. Quin פער etiam, ע in פ in prima ſignif. nihil aliud quam *findere* notare conjicio ad Num. 3; 12. quæ videſis. Summa ergo ratione פצירה *fiſſionem* expono, id eſt, *obtuſionem*. Reſtat difficultas פצירת in conſtr. dicendum fuiſſe; ſed hæc ceteris Interpretibus mecum communis eſt, & exemplis talis uſus non deſtituitur.

CAP. XXVIII.

Verſ. 14. וידע שאול כי שמואל הוא

ET *Novit Saul*, *quod Samuel eſſet*. Male habet hic Interpretes illud ידע *cognoſcere*: quomodo enim *ſcire* poterat & *noviſſe* Saul, Samuelem adeſſe, qui eum non-

nondum viderat quidem, quique revera non adfuit, nec adeſſe potuit. Puto ידע hic abuſive ſumi, pro *conjicere, ſuſpicari; Et ſuſpicabatur Saul*, ex ſignis modo nominatis, *Samuelem eſſe*. Ita *ſciendi* verba Arabica شعر & علم uſu veniunt. Alcor. 16: 28. خر عليهم السقف من فوقهم واتيهم العذاب من حيث لا يشعرون *Tectum ſuperne eos oppreſſit, pœnaque eos invaſit ex ea parte, unde non noverant*, id eſt, *non ſuſpicabantur*. Sic vſ. 47. & multis locis alibi. Abulphar. pag. 540. وكان قد حصل لهم الشعور بذلك من قبل فصدقوه *Illi cum ante ea de re aliquid ſuſpicati eſſent, ipſi fidem adhibuerunt*. p. 289. استشعر منه الخوف *Novit ab eo metum*, id eſt, de eo ſuſpicatus eſt & animo metum concepit. Iterum pag. 522. استشعر به *Novit de eo*, id eſt, *ſuſpicionem de eo concepit*. Eodem modo علم *noviſſe*, quod Hebræo ידע in verſion. Arab. reſpondere ſolet, pro conjectura ex ſignis externis uſurpatur. Simillimum plane eſt huic loco noſtro exemplum apud *Keſſæum* MSS. Fabulatur ille in Vit. Salom. ange-

lum mortis *Salomoni* in ſacello ſuo ſacris vacanti mortem ſignificaſſe, ſtatimque animam in cœleſtes ſedes tranſtuliſſe, corpore baculo ſuffulto, & in terris relicto, adeo ut loco non moveretur; hunc ita conſtitutum quum viderent dæmones, alii aliis dixerunt.

انه لم يمت وانه حي وهابوا ان
يمسوه فلم يزل كذلك والناس
والجن والشياطين والطيور في
طاعته يعلمون ذلك الي ان
مضت عليه سنة

Mortuus utique non eſt, ſed vivit. Metuerunt autem eum tangere. Ipſe ergo quum ita ſe ſemper haberet, non deſtiterunt homines, dæmones, diaboli, aves & feræ ei ſubjecti eſſe, Hoc ſcientes, id eſt, ſuſpicantes, & ex ſignis arguentes, eum vivere; *uſque dum annus elapſus eſt*; quo finito, addit *Keſſæus*, baculus quo innitebatur tinea corroſus una cum Salomone in terram decidit. Confer Alcor. Sur. 34: 13. ubi eadem fabula narratur. Sic forte explicandum illud ἐπιγνὰς Luc. 23: 7. *Conjiciens, ſuſpicatus.*

ANI-

ANIMADVERSIONES PHILOLOGICÆ IN LIBRUM II. SAMUELIS.

Cap. III.

Vers. 12. *Et misit Abner ad Davidem* תחתו.

Vulg. *pro se.* Ad *Abnerum* ergo illud תחתו refert. Sic & *Chald.* sed alio pacto: מאתריה *ex loco suo.* At tunc מתחתו scriptum oportuit. Lxx. ad *Davidem* retulerunt; πρὸς Δαβὶδ εἰς Θαιλὰμ ἐξ ἦν. Unde illud Θαιλὰμ? Alii denique ad *Isbosethum; Clam ipso:* quod commodissimum quidem parit sensum; dubito ta-

tamen an rectum; nam תחת pro *clam* poſſe ſumi non probatur. Ex uſu Arabici دون *ſub*, idem quod תחת ita conjicio; *Et miſit Abner ad Davidem*, תחתו *rejecto ipſo* nempe *Iſboſetho*. Alcor. Sur. 22: 12. ſic uſu venit particula دون *ſub*: يدعوا من دون الله ما لا يضره وما لا ينفعه *Invocat ſub Deo* תחת אללה *quod nec obeſt ipſi, nec prodeſt*. Nihil hac locutione in *Corano* frequentius دعا من دون الله *invocare ſub Deo*; quod non exponendum eſt, *præter Alla*, ſed *Alla neglecto*. Sic & in Hiſtoria illa, quam narrat *Keſſæus*, de tribus ſociis, qui theſaurum invenerant; unus eorum cibum quærens veneno eum inficit, *ut ſocii de eo*, inquiebat, *comedentes, moriantur*; واظفر بالكنز دونهما *ſoluſque theſauro potiar* תחתם *ſub ipſis*. Reliqui duo, dum ſocius aberat, idem capiunt conſilium tertium iſtum interficiendi لينفردا بالكنز دونه *ut ſoli theſauro fruantur* תחתו *ſub iſto*. Commode nunc ſuccurrit locus, qui conjecturam meam ſtabilit fortiter. Ezech. 23: ٢. ותזן תחתי ubi תחת eundem uſum habere apparet. Vid. me in iſt. loc.

CAP.

CAP. VI.

Verſ. 16. מפזז ומכרכר.

HIeron. *ſubſiliens atque ſaltans.* Veram *verbi* ma ſignificationem ex Arabiſmo demonſtratam invenies ad *Gen.* 49: 24. ubi fruſtra eſſe eos, qui *conſolidare* exponunt oſtendo. *Levitatem* proprie verbum indicat, uti Arabum فز vid. loc. cit. Vox מכרכר etiam rarior eſt. Mirari ſubit L. de Dieu, qui ex Syrorum כרא verbum כרכר *gaudere* proprie ſignificare putat: Syrorum כרא aperte ex Græcia transſumtum eſt, & χαίρειν exprimit. Dein מכר non poteſt a כרא formari. Radix כר Arabibus *ſalire*, *inſilire* notat, qua ſignif. etiam occurrit Job. 6: 27. Inde כר *aries*, quod ſaltatorium ſit animal Pſ. 29. Geminatum כרכר hic *ſubſilire* eſt; כרכרה apud *Eſaiam* Cap. 66. *dromades*, a *ſaltando* nomen traxiſſe ad iſtum locum latius expono.

CAP. XX.

Vers. 6. *Et dixit David ad Abisai: Nunc magis afflicturus est nos Seba filius Bichri quam Absolom. Cape igitur servos Domini tui & persequere eum.* פן מצא לו ערים בצרות והציל עינינו.

NE *forte inveniat civitates munitas; & effugiat nos.* Ita vertit Vulgat. Lxx. σκιάσῃ σοῦ ὀφθαλμὸς ἡμῶν. Aliter adhuc *Chaldæus.* ויעיק לנו, *& arctet nos.* In mentem *Vulgatæ* eunt *Belgæ* nostri, & Kimch. in Libr. Rad. *Jarchius* hoc modo. והציל עצמו לעינינו והרי זה מקרא קצר *Et liberet se ipsum nobis cernentibus. Locutio est concisa. R. Levi* הציל sensu *spoliandi & eripiendi* sumit, quo aliquando venit; & עינינו exponit: שעינינו אליו *ad quem nos respiciebamus, cui plurimum fidebamus.* Non displicet Interpretatio hæc, & ceteris inferior, me judice, non est. Apud Arabes certe اعيان *oculi civitatis* sunt *primates & proceres:* اعيان مملكة, *Oculi regni* sunt *amici & consiliarii regis.* Ita apud *Sadium* in *Gulistan*, & in *Historia Tamerlanis* non uno in loco.

Hisce

Hiſce adde expoſitionem, quam Arabiſmus ſuppeditat, alteram, ſatis etiam congruentem: ſcilicet verbum فصل *extrahere*, id enim & נצל primario notat, & *liberare* in 2. conjug. peculiarem habet uſum, qui fallor aut *phraſi noſtræ reſpondet*: فصل הציל עין العين a Lexicographis ſpeciatim exponitur قذى العين *feſtuca liberavit oculum*. נצל ergo pecul. eſt *feſtucis liberare*; unde נציל فصيل *purgatum ariſtis feſtuciſque excuſſis triticum* in *Camus*. Quid vetat hinc reddere? *Et liberabis feſtuca oculos noſtros*. הציל 3. perſ. pro הצלת ſec. quod apud Arabes & Hebræos infrequens non eſt. Malo tamen tert. perſ. retinere, hoc pacto. **En men verloſſe onſe oogen van den ſplinter.** Hebraiſmum hanc interpretationem pati infinitis exemplis oſtendit *L. de Dieu*.

CAP. XXIII.

Verſ. 13. *Et venerunt* אל קציר אל דוד

VUlg. *tempore meſſis ad Davidem*. At Lxx., qui non congruere hic *meſſis* mentionem videbant, εἰς καρῶν reddiderunt, tanquam ſi nomen eſſet loci. Certe ſi *meſſis* tempus indicaretur, dicendum

fuiſſet בקציר. Non male forte hic Arab. قصر advocabitur, quod *arcem* notat, & *caſtrum*, vel *caſtellum*: قصـــــر مشيد in Corano *Caſtra munita:* ſæpiſſime apud Hiſtoricos hanc locutionem reperire eſt. Neque tamen loci nomen eſſe poſſe, negare audeam a munitione ſic dictum. Ita قصير nomen loci ad mare rubrum, apud *Abulfedam*, فرضة قوص ومينا علي البحر Φρούριον *Kuſi & portus maris.* Conferatur vſ. ſeq. hujus Capitis.

ANI-

ANIMADVERSIONES PHILOLOGICÆ IN LIBRUM I. REGUM.

CAP. XVII.

Verſ. 21. ויתמרד על הילד

Neſcio quid viderint Lxx., qui vertunt, καὶ ἐνεφύσησε τῷ παιδαρίῳ. *Vulgat: Et expandit ſe atque menſus eſt ſuper puerum.* Illud *menſus eſt* ex Gloſſemate irrepſit. מדד *metiri* notat. Arabice مد etiam *extendere* ſignificat, quod facile ex prima illa ſignificatione profluit. Optime ergo *Vulg. expandit ſe.* Errant qui aliter: מדד etiam per *extendere* vertendum eſt Job. 7:4. *Quum decumbo, & dico, quando ſurgam?* ומדד ערב *tunc extendit (protrahit) veſperam* ſeu

ſeu *tenebras* Deus. In hoc loco mire deſudant Interpretes; ſenſus, quem do, planus eſt & liquidus. مدى *ſpatium*, *mora*; & verbum مدى *protrahere* in *Corano*.

CAP. XVIII.

Verſ. 26. ויפסחו על המזבח אשר עשה.

VArie locum exponunt Interpretes. Lxx. ἦ διέτρεχον ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον· Diviſis ſcilicet turmis decurrebant. *Chaldæus* אשטחו, *inſanos ſe gerebant* vertit, ſenſum non verba exprimens. *Arabs* ſimiliter اضطربوا, *conturbati ſunt*: *Syrus* אתכחשו, *colluctati ſunt* etiam ex ſenſu. *Kimchius* ex *claudicandi* notione, *Tanquam claudos & dolentes ſe gerebant euntes & redeuntes ſuper altare*. Alii ex *tranſiliendi* ſignif. *Et tranſiliebant altare*, quod varie iterum explicari poteſt. Vir Doctus: *Et tranſiliebant altare, quod fecerat* Elias, tanquam per ludibrium; perinde ut Romæ muros ludibrio *Remum* tranſiliiſſe tradunt, Mallem, ſi פסח hic *tranſilire* eſt, de motibus *Baalitarum* incompoſitis explicare, quibus huc illuc tanquam furore prophetico externati ferebantur: ſed longe aliud verbum ſonare videtur:

detur: Dicitur *vſ.* 30. de *Elia*: *Et reſarcivit altare deſtructum.* Niſi in hoc loco, quem explicamus, deſtructio illa altaris *Eliæ* indicetur, nuſquam ea indicatur. Hinc Belgæ noſtri נסס pro *adſilire*, *adſultare* capiunt, & crebris eorum adſultibus *Eliæ* altare deſtructum eſſe intelligunt. Arabicum فسخ per نقض ipſi exponunt Arabes: Hoc *diſſolvere* notat & *rumpere*, compagem, ſtructuram, membra *luxare*: Hinc verti poſſet. *Et diſſolverunt altare, quod fecerat* Elias. Hinc etiam נסס *claudus*, forte dictus, quaſi *luxatus*. Ne tamen quid diſſimulem, conſtructio repugnare videtur.

ANI-

ANIMADVERSIONES PHILOLOGICÆ IN LIBRUM II. REGUM.

CAP. IX

Vers. 24. יהוא מלא ידו בקשת

COnſtructio eſt paulum intricatior. Non approbo, quod vertant: *Implevit manum arcu*; verterem potius; *implevit manu arcum*. Sed neque hæc verſio ſatis arridet, & conſtructionem ita potius ordinandam puto.

Et Jehu, implevit manus ejus arcum; ſolenni Hebraiſmo, pro, *manus Jehu implevit arcum*. מלא בקשת *implere arcum* eſt *tendere valide*. Arabes ſimiliter plane املأ في القوس pro quo alias dicunt etiam املأ النزع في القوس

im-

implevit attrahere arcum, id eſt, *valide tetendit.* Hinc locutionem eſſe ellipticam patet, pro qua plenius efferres דרך מלא בקשת. Orientalibus verbum מלא intendit & auget. *Jerem.* 4: 5. קראו מלאו : quod recte *Hieron. Clamate fortiter:* Sic cap. 12: 6. Sic Arabes جعل وملا *fecit & implevit*, id eſt, *accurate fecit.* كملا النظر اليه, *intenſiſſimis in eum oculis intuitus eſt*, apud *Keſſæum* in cap. de *Seraphinis.* Vera eſſe quæ de locutionis ratione profero, patet ex Zach. 9: 12. ubi plene occurrit : דרכתי קשת מלאתי, quod non animadvertunt Interpretes, qui hæc disjungunt : eſt plane dictum, uti קראו מלאו.

CAP. IX.

Verſ. 30. ותשם בפוך עיניה.

LXX. ἡ ἐστιμίσατο τὰς ὀφθαλμὰς· *Chaldæus:* כחלת בצרירה עינהא, *ſtibio fucavit oculos.* Ita ceteri Interpretes. De re ſatis conſtat, de locutionis ratione non item. *Kimchius* poſitum putat pro תשם פוך בעיניה. Non poſſum non hic conjecturam meam Eruditis proponere. Jerem. 4: 30. legitur כי הקרעי בפוך עיניך. Similem eſſe huic

huic noſtræ locutionem iſtam ſatis apparet: Arabiſmum ſi hic advoco תשם idem fere, quod תקרע, notabit: ſcilicet verbum وشم, ſeu ישם Arabice, *findere*, *lacerare* notat, unde futurum regulare eſt תשם; idem quod תקרע. Eo magis ſeſe hic Arabiſmus adprobat, quod verbum وشم ad mulierum comturam, quæ fuco fit, etiam adhibeatur; ſpeciatim enim denotat: *Mucrone ſupremam cuticulam ſcalpere & lacerare quaſi, ut inſpergendus pulvis & fucus apte hæreat.*

Non erravero forte, ſi hoc ſenſu קרע apud *Jeremium* intelligam, cujus vim nimium extenuabimus, ſi *exordia* tantum *oculorum producta*, uti in hoc negotio loquitur *Tertull.* verbum indicet.

CAP. XIV.

Verſ. 8. נתראה פנים

SIc *vſ.* 11. ויתראו פנים *Cap.* etiam 24: 29. *Occidit eum in Megiddo* כראתו אתו *quum videret eum*, id eſt, *in prælium cum eo deſcendiſſet.* Ita has locutiones intelligendas eſſe ſeries orationis probat, & parilis Arabum in verbo راي uſus. Hiſtor. Tamerl. pag. 49.

pag. 49. لما تراي الجمعان واتصلت المراشقة بالضرب والطعان

Quum יראו *viderent ſe exercitus, & telorum, gladiorum, haſtarumque ictus promiſcue infligerentur.* Sic pag. 136. *Et perrexit exercitus ejus in vallem lente* (روبدا uti lego pro ولما تراي الجمعان وبدا voce nihili) فكص علي عقبيه *quumque in conſpectum veniſſent ambo exercitus, in fugam converſus fuit.* Ex Corano hæc petita ſunt Sur. 8: 50. niſi quod illic legatur ولما تراءت الفيتان eodem ſenſu. Iterum p. 361. ولما تراي الجمعان وتدانى الزحفان Et ſic ſæpius alibi in eadem Hiſtoria. Perſarum eadem loquendi eſt ratio. *Sadi* in *Guliſtan.* چون دو لشكر روي بهم اوردند *Quum exercitus faciem utrimque contuliſſent.*

I ANI-

ANIMADVERSIONES PHILOLOGICÆ IN PSALMOS.

PSAL. VIII.

Vers. 2. *Quam admirabile est nomen tuum in tota terra* אשר תנה הודך על השמים

Est qui vertit: *Quod est ponere gloriam tuam super cœlos*: incommode. תנה vulgo creditur esse infin. verbi נתן: quia tamen ille infin. sensum reddit difficiliorem, pro præterito sumunt hoc modo: *Qui posuisti gloriam super cœlos*: Sic Chald. דיהבתא *qui dedisti*. Nullo tamen exemplo hæc versio confirmari potest; ideoque

que dubito an תנה ſit a נתן, præſertim cum alia talis infinitivi forma non exſtet. Vulg. & Lxx. generatim *elevata eſt magnificentia tua* &c. Facilior longe ſenſus erit, ſi תנה ad radicem תנה referamus: תנה Judic. 5: 11. שם יתנו צדקות יהוה *illic laudent juſtitias Dei*, ut *Chaldæus*, יודו *celebrent*: Sic Arab. ثنى eſt *celebrare laudibus*: & ثناء *laus*, *encomium*. Ita & Cap. II: 40. לתנות *ad laudibus celebrandam filiam Jephtæ*. L. de Dieu hæc loca ita vertenda eſſe docebit, quem adi. Sume hoc loco noſtro תנה pro *laude*, & liquidus erit ſenſus: *Laus gloriæ tuæ eſt ſupra cœlos*, vel, *quia laus* &c. Quod ſi תנה ſumendum ſit a נתן, ita verterem: *Qui ponendo gloriam tuam ſupra cœlos*, id eſt, aſcenſione in cœlos, *ex ore infantum præparaſti laudem*. Infin. Gerundiorum vim habent. Ceterum תנה in locis Jud. eſſe *laudare* mihi omnium maxime probatur; docebo etiam quomodo hæc ſignificatio ex communiori ſignif. defluxerit. Scil. תנה omnium conſenſu eſt *mercedem dare*, aut, *mercede conducere*, apud Hoſeam; & אתנה atque אתנן *merces* apud eundem & alibi. Inde ſecundo תנה eſt *laudibus celebrare*, quaſi dicas, *reddere mercedem*: Sic Gall. *rendre mercy a Dieu* eſt *Deum laudibus & gratiarum*

actionibus celebrare. Res clara fiet exemplo. שכר Hebræis eſt *mercedem dare*; inde Arabes habent شكر *laudibus celebravit*, præſertim & proprie *ob beneficia*, monentibus Arabibus. Ergo תנה eodem pariter modo *laudes ob beneficia* accepta proprie dicet. Id uſus Arabum confirmat. ثنا رجل علي معطية مشكريه *Largitorem laudibus ob beneficia extollere eſt ea augere*: ſententia eſt Ali Imperatoris. Itaque תנה proprie erit *remercier*, & deinde generaliter, *laudare*, *celebrare*; uti ثنا apud Arabes & شكر. Qui *confabulari*, aut *conſolari*, aut *plangere*, hoc verbum תנה ſignificare putant, ſine ratione ita exiſtimant, & parum conſtanter; nam ſi cap. 11. Jud. id convenire daretur, certe cap. 5. nullo modo poterit accommodari. Et vel eo nomine *laudandi* ſignif. omnibus iſtis præferenda eſt, quod ad notionem *mercedis* poſſit reduci, ad quam aliis iſtis ſign. nullus eſt aditus. Validius hæc confirmabo ex ipſa Hebræa lingua. Dixi modo, Hebræorum שכר *mercedem reddere* Arabibus ſecunda notione deſignare *laudibus & gratiarum actionibus concelebrare.* Nunc ulterius procedo; & ipſis etiam Hebræis ita uſu veniſſe probabo. Conſtat hoc

mihi,

mihi, ex voce אשכר Pſ. 72: 10. *Donarium, munus* vulgo id reddunt. Recte id quidem; in origine tamen & etymologia vocis prorſus cœcutiunt. Proprie notat *munus, quod datur ab eo, qui gratias agit:* χαριστήριον· plane uti אתנן & אתנה ſunt *præmia* & χαριστήρια. Sicut ergo Hebræis שכר utrumque notavit, & *mercedem dare*, & *meritis gratiis & laudibus proſequi*; quis idem in radice תנה fieri potuiſſe, vel factum eſſe negabit?

PSAL. IX.

Verſ. 7. אבד זכרם המה

HIeron. vertit: *periit earum memoria una cum ipſis:* quod ſequuntur *Belgæ* noſtri: Haarlieder gedagteniſſe is [met] hen bergaan. Utraque verſio ellipſin ſtatuit ante המה ſcil. עם *cum*. Ellipſin etiam agnoſcit Interpres *Chaldæus*; at מן *ex* ſupplet. *periit memoria eorum* מנהון *ex iis*. Lxx. המה hic non ut pronomen habuerunt, ſed ut nomen, a verbo המה, quod eſt *ſtrepere*; ἀπώλετο τὸ μνημόσυνον αὐτῶν μετ' ἤχου, *cum ſtrepitu*, ſupplentes etiam ב. Recentiores Interpretes plerumque vel *Hieron.* ſequuntur, vel *Chaldæum*, ſupplendo ſcil. ante המה עם

עם *cum*, aut מן *ex*. Verum nihil ſupplemento opus eſt, & ſingularis elegantiæ pleonaſmus hic occurrit: ſcil. המה emphatice & eleganter hic παρέλκει, ut dicatur אבר זכרם המה *periit memoria ipſorum ipſi* pro ſimpl. אבר זכרם *periit memoria ipſorum*. Floſculum hunc orationis ex Arabiſmo eruo, ubi familiariſſimus eſt. En exempla plane ſimilia. Diſſert. *Toph.* de *Hai Ibn Jokd.* 182. مثل لباسه هو מתל לבאסה הוא *inſtar veſtimenti ipſius ipſe*, pro ſimpl. مثل لباسه *inſtar veſtimenti ipſius*. Et pag. 189. كان رايه هو الا يتناول احد شيا *erat ſententia ipſius ipſe, ne quis quicquam ſibi ſumeret* &c. ראיה הוא *ſententia ipſius ipſe*, pro ראיה *ſententia ipſius*. Iterum pag. 154. ان امكنه هو *Et poſſibile eſſet ipſi ipſe*. Similis etiam pleonaſmus pronominis tertiæ occurrit in *Hiſtor. Sarac.* pag. 142. ubi mulier quædam Imperatorem *Mutazimum* in auxilium vocat his verbis وا معتصماه Clar. *Erpen.* in verſione Latina hiatum reliquit, procul dubio quod verba Arabica in mendo cubare putaverit; *Golius* Arabizantium princeps in not. ad *Alfrag.* pag. 297. corrigit ea in وا معتصم *O Motaſama*; at recte ſe habet illud وا معتصماه,

&

& ſignificat *O*, vel, *hei Mutaſame ipſe*; ita apud *Abulphar.* Hiſtor. Dynaſt. pag. 186. واعثمانا *O Othman, ipſe.* Hiſt. Tam. pag. 447. بالله يا اخواتاه *per Deum ô fratres, ipſi* pro ſimpl. *per Deum ô fratres.* Ceterum Hebræis veteribus pleonaſmum hunc ſatis cognitum fuiſſe liquet ex 1. Sam. 25: 24. בי אני ארני העון *Domine peccatum eſt in me ego*: ut Arabes لي انا عصوا *rebellarunt in me ego*: Abulphar. p. 43. Ita etiam apud Dan. cap. 7: vſ. 15. adde exempla conſona ولاك اتت *præfecit te tu*, pro ſimpl. *te* ex Hiſtor. Tamerl. ceteraque quæ ad Geneſ. 49: 8. notavi; Et يجب علينا نحن *neceſſe eſt nobis nos* ex Eutych. Alexand. quæ ad Job. 6: 13. annotavi; adeoque non dubitabis זכרם המה *memoria ipſorum, ipſi* pro pleonaſmo elegantiſſimo habere. Vid. porro ad Zach. 7: 9.

PSAL. X.

Verſ. 4. רשע כגבה אפו בל ידרוש

VUlg. hæc ita reddit. *Peccator ſecundum multitudinem iræ ſuæ non quæret;* τὰς Lxx. ſecutus, qui כגבה אפו vertunt κατὰ τὸ πλῆθος τῆς ὀργῆς· unde eos pro כגבה legiſſe כרבת conjicere liceat: alii כגבה אפו vertunt, *pro elatione iræ ſuæ*, hoc eſt, *ubi exarſit ira ejus:* ita *Capellus;* at ardorem iræ & excandeſcentiam nunquam Hebræi per גבה exprimunt, unde etiam corruit Celeb. *Cloppenb.* expoſitio: *Impius, ſecundum altitudinem, iram ejus non ſcrutatur*, id eſt, non diſquirit quam ſit alta ira Dei; verum, ut monui, de *ira vehementi* non dicere ſolent Hebræi, illam eſſe *altam.* Eſt qui hoc pacto verba interpretanda putavit: *impius ſecundum ſuperbiam* (pro ea qua eſt ſuperbia) *faciem ejus* (Dei) *non quærit.* Fluctuationes hæ interpretum exinde ortæ ſunt, quod locutionem גבה אף *elatio naſi*, ita enim verto, non intellexerunt, quod mirum cenſeri nequit, quia ea nuſquam alibi in Sacro Codice invenitur; Verum in Arabiſmo phraſis hæc uſitatiſſima eſt, & *ſuperbiam* dicit. Verbum شمخ notat *altum*

tum, elatum esse, ut Hebr. גבה. unde in *Hist. Tamerl.* الجبال الشوامخ *altissimi montes*; inde dicunt. انفه شمخ & بانفه *Elato fuit naso*, id est, *superbus fuit*, uti *Golius* ex *Zjauhari* annotat: *ita* شامخ pro *superbia* occurrit in *Hist. Tamerl.* p. 48. Eodem modo a verbo زمخ, quod etiam *altum esse* notat, dicunt زمخ بانفه זמת אנפה *Extulit nasum*, quod *Zjauhar.* exponit per تكبر *superbivit:* Verbum שמא seu שמי etiam est *altum esse*, unde שמים *cœli*; inde dicunt שמי אלאנף שמוי الانف *Elatus naso*, id est, *arrogans*, *fastuosus*, *superbus.* Golius præterea in rad. صعن phrasin ex *Zjauhar.* citat; *Extulit nasum*, id est, *superbivit.* Huc etiam facit proverbium Arabum de homine superbo at vili: انف في السماء واسته في الماء *Nasus in cœlo*, *nates in aqua*, hoc est, اكبرا وامعارا *num superbia & paupertas?* vel *superbitne & pauper est?* Aliter tamen proverbio hoc utitur, & montibus cœlum vertice tangentibus id accommodat auctor *Histor. Tamerl.* pag. 17. فصح ان يقال فيه انف في السما واسته في الما

Vereque de iis dici poſſet, Naſus in cœlo, nates in aqua. Hoc obiter. Non dubium mihi eſt ex luculentiſſimis hiſce exemplis, quin *Belgæ* optime ſenſum loci noſtri expreſſerint: **De Godloſe / gelijk hy ſyn neuſe om hoge ſteeht en onderſoeht niet:** in notis autem de *impii Superbia* hæc explicant, ubi lectu digniſſima annotarunt.

PSAL. X.

Verſ. 8. *Oculi ejus ſpeculantur, inſidiantur* לחלכה.

ANnotat *Aben Eſra* ad h. l. quoſdam (*Maſorethæ* ii ſunt teſte *Buxtorf.* in Lex.) terminationem כה ſumere pro affixo, quaſi notaret *copias tuas; inſidiantur copiis tuis, ô Deus.* Hos autem ita refutat. ויש להשיב עליהם על חסרון הי"ו *Regeri ipſis poſſet*, vel, *refutari poſſunt ex defectu Jod.* Scil. quum חיל *copiæ* medium habeat *Jod*, חילכה ſcribendum eſſet, non חלכה, ſi id eſſet, quod *Maſorethæ* autumant. Recte id quidem, addo tamen fortius argumentum, ſcilicet terminationem illam כה declinari vſ. 10. adeoque eſſe partem nativam ipſius vocabuli. LXX. חלכה reddunt πένητα *pauperem*, ut *Chald.* מסכנא. *Syrus*

Syrus autem בישא, *miſerum:* male. *Hieron. robuſtos;* Kimch. *pauperem* etiam exponit; העני יקרא חלן, *pauper vocatur Helech.* Solet derivari ab חיל & כאה *viribus attritus;* aut juxta alios a נכה aut נכה; contra quam etymologiam faceret argumentum *Ab. Eſra* ſupra contra *Maſor.* adductum, ſi ſatis ſolidum id foret, nam *Jod* in חיל deficere etiam video Eſai. 26. 1. & Obad. vſ. 20. Lingua Hebræa ægre tales compoſitiones recipit.

Arabice radix חלך notat *nigrum, atrum, obſcurum eſſe;* unde dicunt ליל חאלך لیل حالك *nox obſcura, illunis:* פעל חאלך فعل حالك *opus infauſtum, atrum* Hiſtor. Tamerl. pag. 263. at, quod maxime ad rem meam facit, verbum hoc etiam ad *miſerum abjectumque ſtatum* notandum uſurpatur. Hiſtor. Tamerl. pag. 414. واستمر علي ن لك في عيش مر وعمر حالك *Et remanſit in hoc ſtatu vitam degens amarulentam & miſerrimam:* עמר חאלך *vita miſera & abjecta.* Eodem modo a rad. Hebr. חשך *obſcurum eſſe* eſt מחשכים *miſeriæ vitæ, ærumnæ* in Pſalmis. Eſt ergo חלכה a rad. חלך *obſcurum eſſe* proprie ac prima notione, *obſcurus,* quod pauperi quomodo conveniat jam expoſui.

PSAL.

PSAL. XVIII.

Verſ. 35. נחתה קשת נחושה זרעותי.

LXX. & *Vulg.* pro נחתה legerunt נתתה, ἔδωκας, *poſuiſti.* Chaldæus per תקף & Syrus per שרר *corroborare* reddiderunt, nimia hic licentia uſi. Placuit multis ex Interpretibus noſtris illud נחתה ad radicem חתת referre, & exponere: *Confractus eſt arcus æneus brachiis meis*: ſine ulla ratione: נחתה eſt a radice נחת: ita Rabbini: expreſſe monet *Ab. Eſra* הנו"ן שרש *Nun radicale eſt.* Rabbini de *attractione* & *tenſione* arcus explicant. *Jarchius* ex *Niphal*: *Deſcendere factus eſt arcus æneus brachiis meis.* At rectius R. Levi ex *Pihel*, הוריד קשת כל אחר מזרעותי *deſcendere fecit arcum æneum unumquodque ex brachiis meis.* Sic *Ab. Eſra* etiam, qui ſimilem affert locutionem ex *Gen.* 49. בנות צערה עלי שור. Addo *Prov.* 14: 1. חכמות בנתה *Eſai.* 59: 12. חטאות ענתה. Locutionis rationem aperire conatur *R. Levi* עניין ההורדת בקשת הוא הורדת ראשי הקשת *deſcenſus ille, qui arcui accidit, eſt deſcenſus* ſeu *reclinatio cornuum arcus.* Recte id quidem; quædam tamen ulterius monenda reſtant. נחתה קשת *demergere arcum* non ſimpliciter *tendere* notat,

tat, ſed *validiſſime attrahere & incurvare.* Arabes hoc docebunt. Verbum غرق eſt *ſubſidere.* In 2. quæ *Pihel* reſpondet, dicunt غرق في القوس *demerſit arcum*, id eſt, exponente *Golio*, *ſumma qua potuit vi traxit, & tetendit arcum.* Ita & in *Hiphil* ſeu 4. conj. اغرق في القوس. Arcum æneum intendere poſſe, ſummarum virium ſignum ſemper eſt habitum. Nota eſt in hanc rem è profanis de Ulyſſe hiſtoria. Non abſimile quid fabulatur *Jarchius.* קשתות נחשת היו הלויות לו לדוד בניתו ורואין אתן מלכי אומות ואומרים זה לזה אתה סבור שיש כח ביד דוד לדרכן אין זה אלא ליראנו והוא היה שופץ ודרכן בפניהם *Davidi arcus erant ænei ſuſpenſi in domo ſua; hos quum vidiſſent reges gentium, alii aliis dixerunt: Itane vero Davidi vires eſſent hiſce intendendis? ad metum nobis incutiendum hæc comparata ſunt. Hæc ubi audivit David, ipſis præſentibus attraxit.* Nugæ ſunt Thalmudicorum. Ceterum verti poterit: *Deſcendere factus eſt*; unde ב ante זרעתי eſſet ſupplendum, vel, quod præfero, ex *pihel*: *Deſcendere fecerunt brachia mea arcum æneum.* Hanc conſtructionem confirmat locus parallelus 2 Sam. 22. ubi legitur נחת, quod קשת jungi nequit, at cum זרעתי recte: nam

fœ-

fœmin. plural. connecti maſcul. ſing. alibi ex Arabiſmo doceo. Monendus eſt Lector נחת non eſſe ſimplic. *deſcendere*, ſed *demergi* & *intrare*. Vid. ad Pſalm. 38.

PSAL. XXV.

Verſ. 17. צרות לבבי הרחיבו.

VEteres pariter & recentiores Interpretes הרחיבו τὸ intranſitive capiunt, hoc ſenſu: *Tribulationes cordis mei multiplicatæ ſunt*; uti vertit Hieron. Sic Lxx. Αἱ θλίψεις τ῀ καρδίας μου ἐπληθύνθησαν· Sic ceteri ex Veteribus hos ſecuti, & Chaldæus etiam: עקתן לבבי פתין *anguſtiæ cordis mei latæ ſunt*. Ab. Eſra ad hunc locum expreſſe monet הרחיב hic eſſe פעל עומד *verbum intranſitivum*. Hæc utcunque maxima nitantur auctoritate, omnino tamen Hebraiſmi uſui repugnant: הרחיב enim nuſquam intranſitive reperio; quin ipſa hæc phraſis הרחיב לב in Pſal. 119: vſ. 32. ab omnibus his Interpretibus alio ſumitur ſenſu & tranſitiva ſignificatione exponitur. רחיב לבי Lxx. ὅταν ἐπλάτυνας τὴν καρδίαν μου· *cum dilataſti cor meum*: Vulg. & ſic ceteri. Ab. Eſra etiam ad Pſ. hunc 25. monet לבבי a non-

nonnullis ſenſu פעל *paſſivo* accipi, hoc nempe pacto: *Anguſtiæ dilatarunt cor meum*; quod equidem intelligo de dilatatione & amplificatione cognitionis, *anguſtiæ cor meum ſapiens effecerunt.* Sic Arabice واسع *amplus* eſt *ſapiens.* Alcor. Sur. 2: 248. الله واسع عليم *Deus amplus eſt & omniſcius.* Sic etiam vſ. 271. Et Sur. 5: 59. *Amplus* ſcil. *ſcientia*, uti conſtat ex Surat. 20: 98. ubi علـــــم *ſcientia* additur. Verbum شرح eſt *expandit, dilatavit*: unde phraſis شرح صدره *dilatavit pectus ejus*; id eſt, *ſapiens reddidit.* Vid. Surat. Corani 94. qui titulum præfert الم نشرح. Contra ضاق *anguſtus fuit* eſt, *inſipidus fuit & imperitus*: ſic ضيق فطن in Abulphar. eſt *Stolidus.* Ingens his pondus accedit ex 1. Reg. 4: 24. ubi רחב לב cum חכמה & תבונה tanquam ſynonymum conjunctum eſt. Alio ſenſu רחב לב invenitur Pſ. 101: 5. & Prov. 21: 4. ubi pro *ſuperbia* poni videtur, pro quo etiam eſt רחב נפש Prov. 28: 25. Tandem Eſaiæ 60: 5. רחב לבב venuſto & communiori in aliis linguis ſenſu ſumitur pro *gaudio*, quo ſenſu Arabibus verba *latitudinis* familiariſſime veniunt.

PSAL. XXXVII.

Verſ. 3. שכן ארץ ורעה אמונה

Hieron. *inhabita terram, & paſceris in divitiis ejus.* Lxx. ſecutus, qui ποιμανθήσῃ ἐπὶ τῷ πλουτῷ αὐτῆς verterunt. Illud ה in אמונה affixi loco habent. Sed unde ipſis אמון *divitiæ!* An *Amon* eorum tempore jam tum notavit, quod poſtea *Mamon?* Noſtri: *paſce veritatem*; quod diverſimode explicant. Seriei textus convenientiſſimus videtur hic ſenſus: *Conſide in Domino, & fac bonum. Tunc habitabis (in quiete,* ut vis verbi fert) *terram, & paſces ſecure.* Radix אמן non tantum *veritatem* ſonat, ſed & *ſecuritatem*, ut Arabum امن. Exempla jam ad Jobum dedi Cap. 24:22. Vid. etiam ſupr. ad *Judic.* II: 20. ubi dixi אמונה امان & خوف *metum* apud Arabes eſſe oppoſita. Percommodus nunc occurrit locus ex *Damire. In fine dierum, quum deſcendet Jeſus Mariæ in terram.* تقع الامنة في الارض حتي يرعي الاسد مع الابل والنمر مع البقر. *Incidit* אמונה *ſecuritas in terram, ita ut leo cum*

cum camelo pascatur, & pardus cum bove, & lupus cum ovibus, & ludat infans cum serpentibus. Quæ ex *Esaiæ* prophetia Cap. II. petita esse palam est.

PSAL. XXXVIII.

Vers. 3. כי חצך נחתו בי ותנחת עלי ידך.

DIversam plane a ceteris Interpretationibus versionem Eruditorum examini proponam. Supra ad Ps. 18: 35. ostendi נחת קשת *demersit arcum* esse *valide curvatum tetendit.* اغرق في القوس. De *sagittis* eadem phrasi dicunt Arabes: اعرق الـــهـــم في القوس In *Camus*, *Demersit sagittam in arcum*, quum adducto validissime nervo attrahitur, ut fortius emittatur. Hanc eandem locutionem hic obtinere conjicio: *Demersi sunt, descendere factæ sunt contra me sagittæ tuæ*, id est, *validissime attractæ & emissæ. Et descendunt in me, immerguntur in me, manu tua*: Prius נחת de arcus & sagittarum *tensione* intelligo, posterius de *transfixione* corporis, cui sagittæ emissæ tanquam immergantur. חצים plurale cum תנחת singulari

ex uſu continuo Arabum. In Sacr. Script. etiam non uno in loco. Job. 14: 19. ספיחים תשטף Job. 39: 14. תעוב רגנים Pſalm. 37: 31. תמער אשרים Jer. 22: 22. רעים תרעה. Hoc pacto evito locutionem minus congruentem, quam habent aliæ verſiones: *Et deſcendit, intrat in me manus tua:* manus percutientis in percuſſum deſcendere non ſolet, quamquam ad vulneris amplioris deſignationem hoc dici poſſe, negare nolim. Non dubitarem fere de hac verſione mea, ſi בירך ſcriptum fuiſſet, & tamen ב vel ſexcentis in locis ſupplendum venit. נחת non ſimpliciter eſt *deſcendere* ſed *intrare:* aliquando & *immergi.* Sunt qui תנחת hic tranſitive exponunt: *Et deſcendere feciſti in me manum tuam;* ſi id liceret, commodius ſic verterem: *Sagittæ tuæ contra me attractæ ſunt, & deſcendere eas facit, immergit eas in me manus tua.* Non tamen placet hoc; priuſque Hebraiſmo convenientius eſt.

PSAL. LII.

Verſ. 3. *Quid gloriaris in malo* הגבור

O *Impie* aut *O ſuperbe.* Hanc eſſe in hoc loco verbi hujus ſignif. aperui ad Jobum 36: 9. ubi oſtendi verbum גבר in Jobo eſſe *ſuperbire*, ut Arab. جبـــر & גבור *ſuperbum*, ut Arabicum جبـار in Corano. *Superbi* autem *impii* vocantur. Vulg. hunc vſ. ita totum expreſſit: *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate*: ſcil. חסד cum גבור conſtruxit, & *iniquitatem* omnino male dedit. Eodem modo Lxx. אל *Dei* nomen pro præpoſ. ſumſerunt: אל כל היום *toto die.*

PSAL. LV.

Verſ. 9. רוח סעה

HÆrent Interpretes. Quibuſdam ex Rabbinis סעה eſt benoni kal a נסע: aliis nomen *profectionem* notans. Hos impugnat Elias, quod Nun in participiis aut nominibus non excidat. Ita & Kimchius peculiarem radicem facit סעה, eique

ſignif. tribuit ex ſenſu, ut רוח סעה מסער ipſi ſit רוח מתערערת מסער *ventus a turbine excitatus.* Lxx. Interp. רוח סעה eſt ὀλιγοψυχία & Vulg. *puſillanimitas ſpiritus*; forte ex Arab. شعي quod eſt *mœſtum, ſollicitum eſſe.* Non placet hic ſenſus, nam רוח hic eſt *ventus*; at quid סעה? Arabice سعي ab Lexicog. exponitur, *incedere, profiteiſci*, & جري *currere*; quomodo a נסע non multum diſcedit. Inde expono: *Ventus currens.* Venti ſæpe *currere* dicuntur ab Arabibus. Ita in Alcor. Sur. 38: 35. Et in illo Poëtæ: *Non ſemper votis damnatur homo, nam* تجري الرياح بما لا تشتهي السفن *Currunt venti aliter quam volant naves.* Sic in Beidavi Comm. ad Sur. 51. ريح هبت وجرت *venti flantes & currentes.* Præſertim de procelloſis dicitur ventis: Alcor. Sur. 21: 81. *Salomoni ſubegimus* الريح عاصفة تجري بامره *ventos procelloſos, qui ad nutum ejus currunt.* Non recurro ad Arab. شعي quod *diſpergere* notat, quia سعي & litteris & ſignific. propius ad נסע accedit.

PSAL. LV.

Verſ. 10. בלע אדני פלג לשנם

LXX. καταπόντισον καὶ καταδίελε τὰς γλώσσας αὐτῶν. Sic Vulg. illud בלע *præcipita* vertit: בלע *abſorbere* notat, quod obſcurum hic efficit ſenſum: *Abſorbe, divide linguam eorum*; unde Chald. poſt בלע ſupplet עצת *conſilium*, ſcil. quia locutio illa בלע עצה in Sacro Codice ſatis frequens eſt. Reſpicere autem videtur Chaldæus ea, quæ Babylone in turris excitatione evenerunt. Forte בלע Synonymum eſt פלג & *findere* notat. Sic Arab. فلع Beth in Phe mutato, & itidem بلع, ſed addito Kef ſervili بلعك. Itaque בלע in Jobo ſumendum conjiciebam ad cap. 8: 18. Jobi. Non multum tamen huic obſervationi tribui velim.

Verſ. 20. *Audiet Deus & affliget eos*
אשר אין חליפות למו.

Non enim eſt illis commutatio, vertente Vulg. Sic Lxx. ὃ γάρ ἐστιν αὐτοῖς ἀνταλλαγμα· at non ea eſt vis verbi חלף, nec, ſi eſſet,

eſſet, ſatis recte orationis ordini conveniret, licet alias ſententia ſit veriſſima. Chaldæus ita παραφράζει. דלא מהשנין אורחתהון בישיא, *qui vias ſuas pravas non mutant.* Hoc amplectuntur Belgæ in notis ſuis. At חלף de *converſione* nunquam uſu venit. Rabbini etiam nihil expediunt. Ab. Eſra: *Non ſunt mutationes ipſis* שיתחלף מולם מטוב לרע *ut proſpera in adverſam mutetur fortunam.* Certe & Aſaph impiis fortunam numquam adverſari queritur Pſ. 73. Id hic tamen non ſatisfacit, nec ſenſui, nec uſui etiam verbi חלף. Jarchius alio modo: *Eos intelligit impios qui non cogitant de die* חליפתם, hoc eſt, אין חרדים מיום המיתה, *qui diem mortis non timent.* Vult ergo per חליפות *mortem* notari, quaſi כריתה *exciſionem* dicas, nam Kimchi & R. Levi חלף etiam per כרת exponunt. Sic Job. 14:14. חליפה Ab. Eſræ מיתה *mors* eſt, haud recte. Implicita eſt hæc Interpretatio, & præcedentibus repugnat, ubi Deus impios afflicturus dicitur, quod etiam contra Ezræ ſententiam ſupra expoſitam regeri poteſt. Sunt qui in חליפות factum reperiunt Paparum ſibi *ſucceſſiones* in throno Dei vendicantium אש"אין להם *quas revera non habent.* Arabice quidem خلف *ſucceſſionis* ſignif. notiſſimum eſt; unde خليفة

خليفة *Chalipharum* Mohamedis celebratiſſimum nomen. Violenta tamen iſta eſt verſio, & de Antichriſto hic agi non facile probatur. Hæ ſunt præcipuæ hujus loci expoſitiones, quarum nulla commode ſatisfacit. Examinent *Eruditi* hanc conjecturam. *Vſ.* præced. de hoſtibus ſe oppugnantibus loquitur David; hos afflicturum eſſe Deum docet, quare? *quia* אין חליפות למו *nihili ſunt ipſis fœdera jurejurando ſancita;* ita verto; *nam,* ſubjungit vſ. ſeq. *immittit* quiſque eorum, *manus in* שלמיו *pacem a ſe ſancitam:* vel, ut alii, *in pacem ſecum colentes,* & חלל בריתו *fœdus ſecum pactum violat.* Hoc pacto omnia apte cohærent & pulcre fluunt. Arabice حلف unice *jurare* notat. Tim. p. 31. فحلف له تيمور *Et juravit ipſi Tamerlanes* &c. In 3. conj. حالف *fœdus iniit & jurejurando ſanxit.* In 6. تحالف *fœdus inter ſe ſanxerunt:* In Hiſt. Tim. حلف *fœdus, pactum ſancitum:* حليف חליף *confœderatus:* حليفة *juramentum.* Geneſ. 24: 8. تتبرا من حليفتي *liber eris a jurejurando* מחליפתי In pent. Erpen. Hinc חליפות ſimpl. *jura juranda* exponere eſt, vel etiam

fœdera jurejurando ſancita. Confer jam not. meas ad Jobum cap. 10: 17. ubi monui חליפות וצבא eſſe *exercitum conjuratum* per ἐν ᾧ δυοῖν, unde hæc ſignif. exemplo ex Jobo confirmatur.

PSAL. LVIII.

Verſ. 10. בטרם יבינו סירותיכם אטד
כמו חי כמו חרון ישערנו.

DIverſiſſimæ ſunt de hoc loco Eruditorum ſententiæ. Ægre iis aſſentior, qui סירות hic *ollas* vertunt, cum quod durior ſit locutio, *ollas* הבין אטד *intelligere rhamnum*, pro *calorem ignis ſentire*; tum maxime, quod סירות fœm. cum יבינו maſc. non copulandum videatur. Rectius cum Lxx. & *Vulg. ſpinas* hic intelligimus. Videant Docti, an non hic ſenſus ſit præferendus: *Antequam intelligant* (impii, de quibus modo) *ſpinæ veſtræ* erunt *rhamnus*: id eſt, ſpinæ veſtræ aculeatiſſimæ erunt. Varie iterum hoc explicari poteſt; at nihil commodius videtur, quam ad pœnam referre ex Jud. 8: 16. quod vſ. ſeq. apte convenit. Ultimum colon, in quo minor non eſt difficultas, ſic verto: *Uti vivus eſt* impius

pius (seu *vividus*), *sic ardore uret eum*: rhamnus scil. vel *ardor* rhamni *uret eum*. ישערנו de *procella*, *tamquam procella abripiet eum*, hic non satis quadrare videtur: Spinæ aculeis suis urunt. Arab. شعر est *urere*, ساعورة *ignis*, & شعير idem: عذاب السعير *ignis pœna* sæpe in Corano: specialiter quartus est gehennæ gradus apud Arabes. Hinc dicunt سعره بالسهم *sagitta inflicta ussit eum*, id est, *cum dolore pupugit*. Radix סער Hebræis æque, atque Arabibus primario puto notasse *urere*; atque inde סער *procella*; proprie quæ vento verberat calido, quales sæpe in Oriente. Sic حرور est *procella æstuosa* a rad. حر *arsit*. Quocunque tandem pacto illa כמו רוח כמו חרון interpretemur, significatio, quam ex Arabismo verbo סער hic tribuo, longe convenientior videtur altera illa *procellis agitari*: posset etiam verti: *prout crudus est, ita ardor torrebit*, vel *comburet eum*, vel, *ardore comburet eum*; atque ita præcedens סירות de *ollis* caperem, ad quod conferri velim Mich. 3: 3.

PSAL. LXV.

Verſ. 10. *Viſitas terram —— abunde ditas eam pluvia* פלג אלהים מלא מים.

Fluvius Dei plenus eſt aquarum. Multi Interpretes vocem *Dei* hic loco epitheti αὐξητικῆς habent, quod non tantum valde eſt incommodum, ſed etiam falſum, ut videbimus. Sed quid erit itaque *rivus Dei?* Chaldæus *nubes* videtur intelligere; Ita enim παραφράζει קובתא דאלהא די בשמיא מליא דמיא *urceum Dei, qui in cœlis eſt, plenum aquarum.* Alii potius ipſam intelligunt *pluviam:* Sunt etiam, qui longe ab his diverſa ſentiunt. Ego nullus dubito, quin *rivus Dei* de *pluviis* ſumendus ſit; illud enim tum antecedentia poſtulant, tum conſequentia. *Nubes* non intelligo, quia eas plenas eſſe aquarum nil miri eſt aut inſoliti: tum quod nubes, licet fœcundæ ſint & aquis turgentes, non ideo ſtatim terram irrigare cenſendæ ſint, quippe quæ diſſipari poſſunt, vel in loca inculta effundi. *Pluvias* ergo ſignificare *rivum Dei* puto, quas cum copioſas eſſe & largiter decide-

re

re dicere voluit, nil habuit, ſi in metaph. permanere vellet, quod diceret aliud quam *plenum eſſe aquarum rivum Dei.* Arabibus (ut expoſitionem hanc, quæ etiam Belgarum eſt, hæſitantium licet an *nubes* intelligendæ ſint an *pluviæ*, confirmem) *fluvius Dei* dicuntur *pluviæ.* Hiſt. Tamerl. pag. 82.

اذا جاء نهر الله بطل نهر عيسي.

Quum venit fluvius Dei, ceſſat fluvius Iſa. Ad hunc locum commentator quiſquis eſt, qui ex Oriente notas in Hiſt. Tamerl. ad Celeberr. Golium tranſmiſerat, quarum quædam penes me ſcedulæ ſunt beneficio Celeberr. *Hemſterhuſii*, ita annotat.

من الامثال الخاصة والعامة ان جاء نهر الله بطل نهر معقل اى عيسي ونهر معقل بالبصرة ونهر عيسي ببغداد وانما يريدون بنهر الله البحر والسيل والمطر وانها تغلب على ساير المياه وتطم عليها

Ex pervulgatis omnis generis hominum proverbiis eſt, Quum venit fluvius Dei, ceſſat Mokal aut Iſa: Mokal Bazoræ eſt, Iſa vero Bagdadi fluvius: per FLUVIUM DEI *autem intelligunt, mare, aquæ fluxum, &* PLUVIAS, *quæ tria ceteras aquas facile vin-*

vincunt, & copia exſuperant. Hic loci ultima tantum notatio, *pluviæ* ſcil. convenire poteſt, quod ex ſenſu facile videre eſt; interim quæri poteſt an alicubi *fluvius Dei* in Sacra Script. de *mari* aut *aquarum fluxu & inundatione* uſurpetur.

Verſ. 14. לבשו כרים הצאן

Induunt Carim Oves. Duplici modo τὸ כרים exponi invenio. Interpretes antiqui, Lxx. & eos ſecuti, Rabbinique etiam priſci ævi illam vocem per *arietes* exponunt. Vulg. *induti ſunt arietes ovium* ex Lxx. At recentiores fere Interpretes tam Hebræi quam Chriſtiani *Carim* exponunt *paſcua*, hoc ſenſu; *induuntur paſcua ovibus.* Verum omnino dubitari poteſt, an כר priſcis Hebræis *paſcuum* notaverit; ſignificatio *arietis* certiſſima eſt & infinitis ex locis ſtabilitur: ſed ut כר *paſcuum* eſſe probetur, duo tantum adducuntur loca, hic ſcil. & Eſai. 30: 23. ירעה מקנין ביום ההוא כר נרחב Sed & ibidem Latinus Interpres Car *arietem* reddidit: *paſcetur in poſſeſſione tua in die illo agnus ſpatioſe;* quidni tamen eo in loco כר נרחב exponere liceat, *agnus dilatatur*, hoc eſt, *ſpatium, in quo paſcitur, latum*

latum erit; ut מרחיב גד *Dilatans Gadum* est *Gado ampla & spatiosa loca concedens* Deut. 33: 20. quo pacto & Arabes loquuntur. Interim non probo Vulg. מקניך vertisse *in possessione tua*, cum debuisset *pecus tuum*; quia מקנה de alia quam animalium possessione, ut fundis, agris, non invenio usurpatum, nisi Genes. 49: 31. מקנה קבר; ubi tamen קבר conjunctum est. Frustra ergo ex hoc loco τῷ כר signif. *pascui* affingitur, cum *arietis* aptissime quadret & tuto ibidem reponi possit. Neque major est necessitas, quæ cogat *pascui* notionem in hoc Psalm. loco admittere, cum *arietis* aptissime conveniat; quod ideo accurate mihi ostendendum sumsi, quia nulla alia est ratio, quæ Doctos moverit, ut novam huic loco excogitarent significationem, quam quod locutionem illam *induunt arietes oves* non intellexerint: interim non possum non hic monere Virum Clar. & in Hebraicis versatissimum Jac. Gusset. expositionem *pascui* jam ante me rejecisse, & tutius putasse כרים hic sumere pro *arietibus*; ejus autem de sensu verborum nostrorum hæc est conjectura. „ *Carim* כרים *forte* (dele illud *for-* „ *te*, nihil enim verius) *sunt sub genere* צאן „ *fœtura quædam nobilior; tunc autem ex-*

„ *poni*

„ *poni poterit* : & grex induetur eximia il-
„ la propagine, quæ כרים cognominatur.“
Hoc vult Vir Doctiſſ. ſenſum Pſalmi eſſe, *oves fœtas fore*, ac parituras eximiam propaginem & nobiliſſimos arietes, quales *Carim* dici ſolent. Perplacerent hæc, ſi oſtendiſſet Cel. Guſſ. הצאן לבשו *Oves induuntur* id notare, quod ipſe putat, ſcil. *Oves gravidæ, fœtæ ſunt*, quod cum non fecerit, neque ea locutio ſtylum Orientis ſapiat, aliud & certius ex Arabiſmo promam. Verba לבשו כרים הצאן proprie deſignant: *induunt arietes oves;* ſeu, *veſtiuntur arietes ovibus*; ea locutione honeſte *arietum* cum ovibus copulationem exprimunt; ita loquuntur Arabes. لبس الجارية *induit puellam*, id eſt, *cum ea conſuevit, rem habuit:* & verbum لبس ſeu לבש *induere* per نكح *inire* & باشر *congredi* ſenſu Venereo a Lexicographis aliquando declaratur; quin etiam *uxor* apud Arabas *veſtimentum, indumentum* audit; Ita لحاف eſt *operimentum corporis, veſtis*, & *conjux* teſte Camuſo; ازار itidem *veſtis* & *uxor*, teſte eodem, & Maruphide; ipſum etiam لباس quod eſt nomen ex verbo noſtro derivatum לבוש ſcil. ſeu *indumentum* in eundem uſum ad-

adhiberi monet idem Camus. Illuſtris in hanc rem eſt locus Alcorani ex Sur. 2:183.
احل لكم ليلة الصيام الرفث الي
نسايكم هن لباس لكم وانتم لباس
لهن *Nocte jejunii permiſſus vobis eſto congreſſus cum uxoribus veſtris, ſiquidem eæ ſunt indumentum veſtrum* הנה לבוש לכם *& vos earum:* dein paucis interjectis ſubjungitur: فالان باشروهن *Itaque eas inite*; ſunt & alia *veſtiendi* verba, quæ ad ſimilem uſum adhibent Arabes, ut غشي & ثوب: ſed ſufficit id in לבש noſtro demonſtraſſe. Veterum Rabbinorum de hoc loco eadem fuit mens, & Interpretis Chaldæi etiam, qui ita transfert יעלון דיכריא עלוי ענא *ſaliunt arietes in oves*. Sic Rabbini in Bereſch. Rab. par. 13. fol. meo 16. —— מ"ט לבשו כרים הצאן אמר ר"ל בשעה שהמטר יורד בהמה מבקשת תפקידה מ"ט לבשו כרים הצאן · לבשו דכריא ענא לשון נקי *Quis eſt ſenſus verborum Pſ. 65: 14. Dixit R. Iſaac ben Levi, tempore quo pluviæ decidunt, appetunt beſtiæ concubitum* (vſ. præc. 13. reſpicit) *Quis eſt ergo verborum ſenſus?* hicce, *veſtiunt arietes oves; quod verecunde dictum eſt.* Clarius aliquanto Gloſſator ad h. l. כרים הם איל הצאן ואמר שהכרים לובשים

צאן

צאן נקבות ולשון נקי דבר *Carim ſunt maſculi ex grege, dicit autem eos oves fœminas veſtire, ſermone uſus honeſto.*

Lubet hic originem vocis כר ſubjungere nondum ſatis exploratam. Magnus Boch. כר contractum putat ex ככר, quod *planitiem* quandoque notat; hinc *Car* primo *paſcuum* notare putat, deinde *agnum paſcualem.* Multa contra hanc Viri Doctiſſ. notationem regeri poſſent; quæ vel ſponte cadit, ſi כר *paſcuum* notare negetur. כר etiam ex ככר non poteſt contrahi quia medium כ eſt Dageſſ. affert quidem Boch. בת ex כבת contractum, uti & Ab. Eſra, qui eandem fovet ſententiam, ad Pſ. 37: 20. at diverſa eſt ratio, nec medium ב Dageſſ. eſt. Mea hæc eſt conjectura: Radix כרר Veteribus Hebræis videtur notaſſe *ſalire*, quod clare conſtat ex geminato כרכר quod *ſaltare* eſt 2. Sam. 6: 14. & ex derivato כרכרות *dromades* Eſai. 66: 20. quas a *ſaliendo* nomen traxiſſe ſuo loco latius oſtendi. Simplex etiam כרר in Sacro Codice ejus notionis habet veſtigia, bis enim in Jobo *inſilire* notat cap. 6: 27. ubi Lxx. ἐναλεῖσθε. Et ita Arabibus notiſſima eſt radix كر Hiſtor. Tam. 211. لنكرن عليك كرة الاسد الغضبان *inſiliemus in te leonis inſtar*

instar iracundi. Verbum ergo כור primario *salire* notavit: inde כר *Car* fuit dictus *aries*, vel quod in oves insiliat & eas ineat, vel generalius quod saltatorium sit animal aries. Psal. 29: 6. & 114. רקדו כאלים *saltant ut arietes.*

PSAL. LXVIII.

Vers. 5. ביה שמו

NOnnulli; *Cum decore*, vel *decentia nominis ejus.* At rectius puto Veteres feciſſe vertentes: *Jah est nomen ei:* ביה pro יה: τὸ ב nón raro sæpe nominativum ἐμφατικῶς designare, variis in locis monui. Vid. supra ad *Exod.* 32: 22. & not. meas ad *Job.* 23: 13. ubi multa exempla reperies.

Vers. 16. למה תרצדון

Verbum est ἅπαξ λεγόμενον רצד, quod varie declarant. *Rashi* השפיל *deprimere se* exponit; Similiter & *Kimchius*, qui tamen aliis רקד *exsiliendi* potius significationem placere dicit; *Chaldæi* scilicet auctoritate, qui טפז *exsilire* vertit. Invenio quidem

رصد in Lexico *Maruphidis* exponi, *ſaliens, aſſiliens*; verum id proprie non notat, ſed *inſidiantem, ex inſidiis aſſilientem* inſtar leonis. *Ab. Eſra* ex *R. Moſe Concionatore* ארב *inſidiari* profert, monens in Arabiſmo ſub rad. רצר hanc ſignificationem contineri. Idem *Kimchio* in *Lib. Rad.* obſervatum eſt. Hanc ſignificationem Lxx. ſeniores in verbo agnoverunt: ὑπολαμβάνειν enim reddunt. Vim verbi ex Arabiſmo unice aperiendam puto. Arabice رصد eſt *obſervare*, pecul. *intentis oculis*. Inde *aſtrorum obſervationes* vocant رصد. *Abulphar.* pag. 89. الات الارصاد ſunt *inſtrumenta obſervationibus faciendis*, quæ pag. 329. ſunt الات رصدية. Sic pag. 248. رصد الكواكب *aſtrorum obſervatio*: Sic pag. 536. & alibi. Hinc ſecundo eſt *inſidiari, ex inſidiis captare*; unde Leoni راصد *Ratzid* epitheton: مرصد *inſidiæ*. Eſt & *invidioſe obſervare*; nam in N. T. reſpondet Græco παρατηρεῖν. *Marc.* 3: 2. παρετήρουν αὐτὸν· Arabs MSS. كانوا يرصدونه. Sic *Luc.* 14: 1. καὶ αὐτοὶ ἦσαν παρατηρούμενοι αὐτόν· Idem Arabs وهم كانوا قد وضعوا عليه الرصد: Hanc ſignificationem pleniſſime hic conveni-

venire textum inſpicienti apparebit; eſt enim increpatio hic invidioſorum.

PSAL. LXVIII.

Verſ. 28. שם בנימן צעיר רדם שרי יהודה רגמתם.

SUnt qui רגמה *cœtum* notare volunt; parum probabiliter, cum radix *lapidationem* ſignificet. Hinc alii *lapidem* ſonare putant, quod intelligunt de *principe*, nempe quia præcedens רדם *Rodem* reddebant *Dominator eorum*: verum id *Rodâm* eſſet. Lxx. certe & *Vulg.* participium habuerunt radicis רדם *ſomno obrutum eſſe*; vertunt enim ἐν ἐκστάσει. רגמה *lapidationem* proprie ſonat; hanc ſignif. *Chaldæus* hic loci obſervavit. Ea neutiquam convenire viſa eſt interpretibus; unde in alia omnia conceſſerunt. Extenua *lapidationis* notionem, & pro *maledictione* acceptum vide, an aptum præſtet ſenſum. *Ibi parvus Benjamin ſtertebat, principes Jehudæ eorum eſt maledictio*; locutione Hebraica, pro, *principes Judæ maledicti ſunt*; ſic *principes Zebulonis & Naphtali*. Eſſet hoc pacto pœnæ rejecti ab Judæis Euangelii denunciatio. Ejus

certe criminis quatuor hæ tribus præ ceteris reæ ſunt, uti ex Hiſtoria Euangelica conſtat. Alio itidem modo ſic vertere licet: *Ibi erat Benjamin parvus Dominator eorum*, ibi *principes Jehudæ*, *maledictio eorum*, ibi *principes Zebulonis & Naphthali.* Ad fideles Judæos & Apoſtolos pertineret hæc oratio: *Parvus Benjamin* excellentiſſimum præbet Eccleſiis Apoſtolum: *Principes Judæ* ſunt *maledictio eorum* rebellium nempe Judæorum: Poſſet & aliter. Arabice رجم eſt *lapidare*, & *diris devovere*, *execrari.* الشيطان المرجوم in *Alcorano* ſæpe, eſt *Satanas execrandus*, & *maledictus* מרגום *lapidibus obrutus.* רגמה رجمة *lapidatio* & *execratio*, *maledictio.* Aliud etiam adhuc *lapidandi* verbum eſt قذف, quod eundem uſum aſſumit. Latinorum etiam *lapidare* & Græcorum λιθάζειν aliquando extenuantur in molliorem ſignificationem.

PSAL.

PSAL. LXIX.

Verſ. 4. עצמו מצמיתי

RAdici צמת exſcindendi notionem tribuunt Lexicographi. Exemplorum collatio recte ita fieri docet. Non tamen propriam verbi iſtius ſignificationem eſſe puto, *ſcindere*. Arabice صمت *ſilere, conticere*, unice denotat. Eandem primariam Hebrææ vocis notionem ſtatuo, unde in *Niphal* & *Pihel* & *Hiphil*, *ad ſilentium redegit*, id eſt, locutione Hebræa, *perdidit*, *exſcidit*. Exemplo res confirmabitur: רמם & רמה *ſilere* notant, in *Niphal* autem aliiſque conjug. *exſcindere*. Non abſimiliter in שבת accidit, cujus *Hiphil* השבית *quieſcere fecit* etiam *ad perdendi* ſenſum adhibetur. Pſal. 119: 119. 2. Reg. 23: 5. Pſ. 8: 3. & alibi. Ut contra הכריתי *exſcindere* pro השבית *ceſſare fecit* ponitur Joel 1: 9. Non leve huic conjecturæ accedit præſidium ex auctoritate Lxx. ſeniorum, *Hieronymi* & *Symmachi*, qui ſignif. *ſilendi* in radice צמת mecum agnoverunt. Nempe Lxx. *Cantic.* 4: *vſ.* 1 & 3. Et cap. 6: 7. צמתך conſtanter reddunt σιώπησιν σου & *Hieron.* in *Eſaiæ* 47: 3. *taciturnitatem tuam.*

tnam. Ibidem monet etiam צמתך in isto quoque loco τλῶ σιώπησὶν σε expressum esse ab *Symmacho.* Errant quidem istis in locis Veteres hi, uti alias ostendo, sed nihil hoc nobis officit. Forte regeret aliquis; si ea verbi צמת apud Hebræos significatio nota fuerit, mirum videri, quod sensu isto non inveniatur: sed hoc cujusquam adsensum ne retineat; nam idem in aliis etiam verbis quorum signif. primaria ex Arabismo feliciter erui potest, accidit. Verbum דור nusquam in Sacr. Cod. *rotundum esse* notat; id tamen olim notasse, ex Arabismo, derivatis idem confirmantibus, ostendo ad *Esai.* 22: 18.

PSAL. LXXI.

Vers. 6. *Tibi innitor ab utero,* ממעי אמי אתה גוי.

Chaldæus vertit: כן מעינא דאמי אנת ספק *Ex utero matris exire me feciſti:* sic enim reddi potest; vel etiam: *Ab utero matris eruis me;* ex ærumnis scilicet. Lxx. גוי σκεπαςλῶ· & *Vulgat. protectorem* exponunt ex sensu. Rabbini eosque secuti interpretes nostri, ad rad. גו vocem referunt,

runt, & pro varia verbo iſti tributa ſignificatione varie explicant. *Avulſorem* nonnulli vertunt, qui נוּ *avellere* notare putant. *Jarchius*, cui נוּ *tranſire* עבר erat, נוּי declarat מוציא ומעבירי *qui exire & tranſire me facis.* Revera נוּ *tranſire* deſignat, quod oſtendo ad *Pſalm.* 90: 10. inde tamen נוּי non eſt, *qui me tranſire facis;* nam tunc מנוי ſcriptum fuiſſet; ne dicam nunc, minus commodam eſſe iſtam appellationem. Equidem novam hic radicem גוה admittendam eſſe ſentio: Arabice جزي *retribuere* & *penſare* notat; idem ſcilicet quod Hebr. גמל. *Retributor meus*, id eſt, *qui beneficiis me cumulas:* uti גמל ſumitur *Pſ.* 13: 6. atque alibi, ut & Arabum جمل. Etiam per كفي vocem declarant Arabes, quod eſt *ſufficere. Tibi innitor ab utero, ab viſceribus matris tu ſufficis mihi:* Plane uti Arabes حسبي الله ونعم الوكيل *Sufficit mihi Deus. O præclarum protectorem.* Et توكل علي الله كفاك بالله وكيلا *Deo innitere, ſufficit ille tibi, cui innitaris.* Quæ ex Corano petita paſſim in ſcriptis Arabum occurrunt.

PSAL. LXXI.

Verſ. 10. אמרו איבי לי

V. *Ulgat. Dixerunt inimici mei mihi.* Sic Lxx. Male. לי hic *de me* vertendum eſt. Ita apud Arabes. Libellus centum regentium, de variis uſibus præpoſit. *Lam.* الرابع بمعني عن اذا استعمل مع القول كقوله تعالي قال الذين كفروا للذين امنوا *Quarto* ل *notat de, quum conſtruitur cum* dicendi *verbo. Ut in Corano. Dicunt impii de iis qui crediunt.* Vid. etiam *Surat.* 3 : 162. & 4: 54. ubi ل pro *de* ponitur. Sic Gen. 20: 13. clariſſime, & 26: 6. Eſai. 41 : 7. Exod. 14: 3. ſemper cum verbo אמר, ut Arabes cum قال: extra iſtam conſtructionem *de* non denotat, uti expreſſe monent. Prov. 30: 1. etiam ſic ſumi poteſt. *Ithiel* eſt *Immanuel.* Similiter אל uſurpatur etiam cum אמר 2. Reg. 19: 32. Jerem. 29: 16, 17. Jerem. 22: 11, 18. & 27: 19. Sed & extra conſtructionem cum אמר ut 1 Reg. 14: 5. לדרש אל *ad interrogandum de:* & 2 Reg. 19: 9. cum Eſai. 37: 9.

PSAL.

PSAL. LXXIII.

Verſ. 10. מי מלא ימצו למו

LXX. & Vulg. *Dies pleni inveniuntur in eis.* Ac ſi מי lectum ſit, & ימצו a מצא eſſet. Omnes quos vidi Interpretes ex noſtris ימצו vertunt *exprimuntur*, & ad Deum illud referunt. Malo ego ita vertere: *Aquæ plena* pocula *exſuguntur iis.* Arabice verbum illud notat *ſugere* & *bibere ſugendo:* atque etiam generatim *bibere.* Collatio Pſalm. 75: 9. hanc verſionem confirmabit: ימצו ישתו: & Eſai. 51: 17. שתית מצית. Verbum מצץ *exſugere* etiam notat *Eſai.* 66: 11. ut Arab. مصّ quod moneo propter addubitantem *Guſſetium.*

PSAL. LXXIV.

Verſ. 11. למה תשיב ידך וימינך מקרב חוקך כלה.

VUlg. *ut quid avertis manum tuam & dexteram, de medio ſinu tuo in finem?* quod ad verbum expreſſum eſt ex Lxx. at quid eſt *avertere manum de ſinu?*

aut qua ratione כלה εἰς τέλος reddi poteſt? Ceterum liquet hinc *Keri* חיק, quod pro *Chetibh* חוק ſubſtituunt *Maſor.* perantiquum eſſe. *Chaldæus* etiam חיק legit, ſed alio modo ſenſum extricare conatur: *Quid cohibes manum tuam ne liberes* מנו עטפך אפיק ושיצי עקתא *E medio ſinu educ*, manum ſcil. *& finem fac oppreſſionis.* Non abſimiliter Belgæ noſtri, nam & illi **trekt ſe uit** ſupplent. Aliis כלה hic poſitum videtur pro כלא. Ita *Buxtorf.* in *Lex.* locum hunc citans כלה *cohibe* vertit. Sic *Junius: Quare avertis dextram? e medio ſinus tui cohibe.* כלא quidem *cohibere* notat aut *includere:* ſed *e medio includere* abſurdiſſime dicitur: *Vatablus* ideo *a ſinu arce* maluit; at contra uſum verbi כלא, qui eſt, ut dixi, *includere* non *excludere.* Plura ſunt alia & magis etiam vaga hujus loci interpretamenta, quæ mihi & lectori tædioſum foret examinare. *Belgarum & Chaldæi* maxime probabilis videtur expoſitio; niſi quod totum ſenſum ſuppleant, quod ſummopere evitandum eſt. Quin omnia hæc uno corruunt ictu, ſi τὸ *Keri* rejiciamus & חוק tenacius retineamus. *Hok* enim, ſeu חוק pro חק, *ſinus* non eſt; ſed *decretum, ſtatutum*; quæ ſignif. præterquam quod literas textus retineat, aptior multo eſt com-

commodo ſenſui efficiendo: חוקך כלה *decretum tuum perfice, imple:* quæ eſt vis verbi כלה. Sic 2 Chron. 36: 22. לכלות דבר יהוה *ut verbum Domini impleretur.* Pſ. 72: 20. כלו תפלות דוד *Raſchi* hic ὕστερον πρότερον cogitat, & Pſalmum hunc ordine ultimum poni debuiſſe putat, atque כלו a Rabbinis ſumi ait tanquam כל אלו *hæ ſunt omnes preces Davidis;* Ita & *Belgæ* annotant, ultimum hunc eſſe omnium Pſalmorum quos *David* compoſuit. Non opus eſt huc devenire: Verto: *Implebuntur ita vota Davidis;* quod cum præc. *Amen Amen* recte jungitur. *Ab. Eſra* ad h. l. כלו יש אומרים או יכלאו *ſunt qui Collou exponunt, tunc implebuntur.* Porro חוק pro חק poni poſſe multis exemplis poteſt confirmari, &: ipſum hoc verbum Prov. 8: 29. חוקי ſcribitur, pro quo vſ. 27 erat חקי: unde *Ab. Eſra* cogitat de rad חוק admittenda. Fontena nunc, cur חק lectum fuerit, aperiam. Id facere coegit מקרב *e medio*, cujus? *decreti* non convenit, at *ſinus* recte. Sed מקרב etiam verti poteſt *e propinquo*, id eſt, *jam jam, propediem, brevi: Quid retines manum tuam, imo dextram*, quid perdere cunctaris hoſtes? מקרב חוקך כלה *jam nunc decretum tuum exſequere.* Hanc ſign. מקרב unice apud Arabes

bes habet. عـــن قرب & من قرب.
Verbum קרב *prope esse*, קרוב *propinquus* & *brevis* Job. 17: 12. & 20: 5. uti ex Arabismo docui. מקרב *brevi*, in 't kozte. Possem aliter adhuc locum hunc explicare; attamen non æque commode: *Quid retrahis manum tuam e medio? decretum tuum exsequere.* Sic enim & Arabismus deseretur, & contra morem accentus pausans negligeretur, neque pulcra ista oppositio quam habebamus in priori versione appareret. Adeo tamen necessitas non urgebat חוק in חיק mutare; neglectique *Atnach* in Psalmis multa sunt exempla.

PSAL. LXXV.

Confitemur tibi Deus confitemur
וקרוב שמך.

LOcutio paulo obscurior. Lxx. & Vulg. aliter legisse videntur, quum vertant: *Invocabimus nomen tuum.* Quidam: *propinquum est nomen tuum* in ore nostro; ita *Ab. Esra.* Alii ad exaudiendum preces; ita *Rashi:* Alii aliter. Forte ita optime vertas: *Quia notum est nomen tuum;* quomodo notum? *narrarunt* patres *miracula*

cula tua. Arabum eſt locutio, *propinqua fuit res* قرب, id eſt, *bene nota fuit;* & contra *longius remota eſt, non intellecta fuit.* Abulphar. pag. 300. لا تشير بفصد ولا بدواء مسهل الا بما قرب من الامراض *Venam ſecari non conſules, nec medicamentum Catharticum accipi, niſi in morbis bene notis:* In Arabico eſt; *niſi in morbis, qui propinqui ſunt* קרבו. Eodem modo & alibi. Hebræis autem קרב eundem uſum induiſſe ſatis manifeſto apparet ex ejus oppoſito רחק *remotum eſſe*, quod pro *difficulter* vel *non intelligi* ſatis clare uſurpatur Deut. 30: 11. & ſic רום *altum eſſe* eodem ſenſu Prov. 24: 7. Arabes ſimiliter loquuntur. Alcor. Sur. 10: 62. & 34: 3. ربي عالم الغيب لا يعزب عنه مثقال ذرة في السموات ولا في الارض *Dominus meus eſt omniſcius, procul non abeſt ab eo ne atomi quidem pondus ſive in cœlis ſive in terra. . .* لا يعزب *non remotum eſt*, id eſt, *ignotum non eſt*, uti Pocokius vertit Epiſtol. Toph. pag. 114.

Verſ. 3. כי אקח מועד

Lxx. & Vulg. *Cum accepero tempus.* Non bene commodo ſenſu. מועד *locum* notat & *tem-*

tempus conſtitutum, de neutro poteſt לקח *accipere* dici. Quidam ergo מועד *munus addictum* vel *dignitatem regiam*; at יעד in Hebraiſmo notum non eſt niſi de *indictione temporis* aut *loci*. Arabiſmus lucem præbet. وعد eſt, ut יעד, primo *præſtituere tempus* aut *locum*. Hiſtor. Tam. pag. 13. تواعدوا الي مكان *locum invicem deſignarunt*: موعد ſeu מועד *dictus locus*, *dictum tempus*, apud Golium. Sed latius extenditur præterea, & *promittere* notat. Inde موعد מועד eſt *promiſſum*, quam ſign. Golius omiſit. Elmacin. MSS. واوعده بمواعيد جميلة ان هو فعل ذلك *multa ipſi promiſit ſi illud faceret.* Abulphar. pag. 543. اوعده مواعيد حسنة *optima ei dedit prsmiſſa.* Verte ergo. *Cum promiſſa accepero.* Hoc jam monuerat Cel. de Dieu. Syris hæc ſignificatio etiam notiſſima eſt. Forte מועד Hoſ. 10: 10. ita ſumi debet. כימי מועד *Sicut in diebus promiſſionis, tentoria vos inhabitare faciam.* Ætatem reſpicit Patriarcharum, quod & Jarchio placuit. Certe toto hoc capite multa ex Hiſtoria iſtius temporis in exemplum proponuntur.

PSAL.

PSAL. XC.

Verſ. 10. כי גז חיש ונעפה

MIre hic Lxx. & *Vulg.* ἐπῆλθε πραύτης ἐφ' ἡμᾶς καὶ παιδευθησόμεθα· *Supervenit manſuetudo (ſuper nos* omittit *Vulg.) & corripiemur.* Nec volam hic nec veſtigium invenio, cur ita verterint. Vulgo vertitur: *Quia abſcinditur feſtine*, vel *reſecatur*; proprie, *tendetur*. Ego vertendum puto: *Quia velociter tranſit, & avolamus.* Radicem גז *tranſire, pervadere* ſignificare puto, ut Arab. جاز quod a Golio exponitur, *abivit, tranſivit, præterivit*: in 4. conj. اجار גיר, *tranſmiſit*, & اجاز العمر *vitam traduxit.* Inde commodius exponetur *Numer.* 11: 31. uti illic loci monui. Et hic quoque aptior ea videtur ſignificatio præ altera *reſecandi*, nam licet ſatis eam convenire fatear; continuatam tamen *tranſeundi* ſignif. exhibet metaphoram. *Tranſit velociſſime, imo avolamus.* Primario tamen גז idem eſſe quod vicinum גז *ſecare* certum videtur; nam & اجاز *reſecare* exponitur. *Secare* autem metaph. eſt *tranſire ſecare viam, iter, deſertum* &c.

Ita

Ita جزع *ſecare* & *tranſire*; verbum قطع utrumque etiam ſimul notat. قطع المسافة *ſecare deſertum* in *Hiſt. Tamerl.* eſt *pervadere*; & ſic ſæpe.

PSAL. XCIV.

Verſ. 4. *Eructant, proferunt perverſum* יתאמרו כל פעלי און.

LXX. & Vulgat. ſimpliciter vertunt: *loquentur omnes operantes iniquitatem.* Chaldæus: אמרין מילין דקלנא *loquuntur verba ignominiæ. Raſchi*, ישתבחו; Kimchius, יתנדלו ויתגאו; *Ab. Eſra*, יתרוממו exponunt; quæ omnia *ſuperbiam* & *elationem* notant. *Efferunt ſe omnes operantes iniquitatem.* Addit *Ab. Eſra* verbum factum eſſe ex אמיר *Amir*, שהוא הסעיף הגבוה, *qui ſummus eſt* in arbore *ramus.* Mallem hac ratione ab امير אמיר *Emir* deducere, *ut Emiri ſe gerunt, imperant*; nam تامر apud *Zjauharium* eſt تسلط *Dominatus eſt.* Et revera verbum אמר *dicere* non tantum notat, ſed &, ut apud Arabes, *imperare, præcipere* non uno in loco. Poteſt hoc intelligi, vel quod impii ut dominatores ſe gerant, vel quod revera Domini ſint, ſceptro iniquitatis

tatis in juſtos incumbente. Conſiderari hic meretur verbi uſus apud Arabes in 8 conj. ايتمر quod exponitur, *Quod animo libitum eſt ſectari*, quod etiam a ſignificatione *Dominum ſe gerendi* deductum eſſe facile apparet. Non abludit *Domineeren* apud nos. Ita apud Poëtam *Amro'l'kis:*

يفعلوا علي الناس ما يأتمر

Iniquum eſt homini, ut יתאמר *quod lubet faciat*: namque declaratur id

ما تأمره نفسه وتري الله رشد

De התימרו vid. ſuo loco Eſai. 61: 6.

PSAL. CII.

Verſ. 6. דבקה עצמי לבשרי

Dhæſit carni os meum: Sic Græci, Chaldæus & omnes, quos vidi, Interpretes. De ſenſu etiam conſentiunt, macie enecatum corpus ſuum queri Davidem. Quod an per ea verba *oſſa carni hærent* indicari poſſit dubito. Belgæ difficultatem videntes hæc annotant: Vleeſch / dat is / bel. *Oſſa cuti hærent.* Arabice بشر eſt *cutis exterior.* Vid. ulterius ad Jobum,

ubi eadem locutio cap. 19: 20. quo loco mentem meam jam aperui.

PSAL. CIV.

Verſ. 12. *Garriunt aves* מבין עפאים.

LXX. & Vulg. *de medio petrarum*. Male. Noſtri fere *ramos* explicant. Sic *Kimch.* סעיפין & Rashi ענפין dederunt: utrumque *ramos* dicit. *Kimchius* tamen ſe corrigens melius עלין *folia*, *frondes* exponi ait in *Libr. Rad.* Sic *Ab. Eſra* etiam ad h. l. *ramos* rejicit, *frondes* amplectitur. Haud dubie עפאים *frondes* notat ex Dan. 4: 12. ubi a ענפין *ramis* expreſſe diſtinguitur עפי, ibique recte Belgæ **loof**; ut Lxx. φύλλα Vulg. *folia*. Permale Junius *ramum*. Arabiſmus omne tollit dubium. Verbum عفي ſeu עפה eſt *fronduit* arbor, & *luxuriavit* herba, vel etiam coma. عفاء *frondes luxuriantes*. Syrorum dialectus confirmat; עופיא Syris *flos*, *folium* in Novo Teſtam. non uno in loco. Sed quid veteres viderunt, cur עפאים hic *petras* verterint? Forte hallucinati ſunt. Conjici tamen poteſt eos Arabiſmum reſpexiſſe. عفا apud Arabes eſt idem, quod صفا, cujus ſignif. aſſumit, permutabiles enim

ſunt

ſunt ص & ع; ut ארעא & ארצא & ejuſcemodi infinita. *Petra* autem Arab. صفاة & צפי صفي eſt: pro eo עפי dici poteſt, ut عفوة pro صفوة. Indubitatum hoc foret ſi Arabes *petram* عفاة dici poſſe monerent; nunc nihil definio.

PSAL. CXXXVII.

Verſ. 5. *Si obliviſcor tui, O Jeruſalem* תשכח ימיני.

LXX. ἐπιλησθείη ἡ δεξία μου. Sic Vulg. *oblivioni detur dextra mea.* Niphal putarunt. Noſtri Interpretes hoc pacto: *Obliviſcatur dextra mea;* cujus? *ſui ipſius* ſupplent Belgæ; alii *artis ſuæ* citharas pulſandi ex præc. verſu. Ab. Eſra ימיני ומעם בעבור כנרותינו כי בימין נגון היתרים *Dextræ hic meminit ob citharas noſtras*, vſ. 2. *fides enim dextra pulſantur.* Hæc capiunt tanquam imprecationem: *Si tui obliviſcar, obliviſcatur dextra* citharas pulſare; hoc præter ſupplementum incommodum frivoli aliquid habere videtur. Cogitabam aliquando תשכח eſſe ſec. perſonam; *Obliviſceris dextræ meæ:* Auctoritate Chaldæi hic fulcior, qui in

imperat. affert אנשיה לימיני *oblivisçere dextræ meæ*; sic futuris utuntur Hebræi; totumque exinde locum ita intelligebam: *An oblivisçerer tui*; interrogatio negans fortiter; *Oblivisçeris dextræ meæ*: Belg. **Zoude ik uwer vergeten? gy denkt niet aan myn hand.** Dextram hic sumo de *jurejurando*, ut Arabibus يمين utrumque notat: يمين الله *Dextram Dei*, jurandi formula, unde يمين per قسم *jusjurandum* exponitur. Utramque notionem complectitur Arabsjad. Histor. Tamerl. pag. 341. لا اصير من اهل الشمال باليمين *Non ero ex iis, qui ad finistram collocabuntur* (in ultimo judicio) *propter dextram*, id est, *juramentum non servatum*. Abulph. 365. يمين السعي حلف *Dextram quam juravit.* Et sic sæpe. ימין sic indubitate sumitur Psal. 144: 8. ut ibid. monebo. Etiam ita verba ordinari possunt, ut posterius colon prius efferatur. Tu Chaldæe *oblivisçeris juramenti mei*, quod præstiti dicendo; אם אשכחך *Si oblivisçar tui, ô Jerusalem.* אם jurantis esse notius est, quam ut probetur. Ceterum diffiteri nolo, ימין hic potius *dextram* proprie intelligendam esse, ob seq. vs. atque ita maxime placeret

ret ſenſus quorundam ab Ab. Eſra laudatorum, qui תשכח hic תיבש declarant *exareſcat dextra mea.* Forte eſt *luxetur* vel *torpore corripiatur*, ut Job. 28: 4. נשכחים מני רגל vertere poſſis, *torpore pedum correpti*, ut aquas erumpentes effugere non poſſint. Certe Veteres Rabbini teſte Kimchio גיד הנשה ita dictum volunt שנשה ושכח ממקומו *quod loci ſui oblitus fuerit*, id eſt, *ex eo luxatus fuerit.* Sed aliunde confirmatione indiget hæc conjectura.

PSAL. CXXXIX.

Verſ. 2. *Tu noſti* קומי & שבתי.

VIdeo plurimos hic Interpretes vertere: *ſedere meum & ſurgere*, id eſt Latine, *ſeſſionem & ſtatum meum*, ac ſi illud שבת eſſet infinit: a verbo ישב *ſedere*; quo pacto Hieron. etiam *ſeſſionem* hoc loco vertit; Belgæ noſtri **mpn ſitten.** Non equidem improbare id velim, ſi ita τὸ שבת capere libuerit; nam & ita Veteres plerique Interpretes. Lxx. καθέδραν. Chald. אותבותי *ſeſſionem meam*; addit למעסק באוריתא *ut legi operam dem*; Doctorum enim erat *ſedere*, unde frequens in Thalmude יתיב רב

Conſedit Raf. confer Act. 13: 14. Videant tamen Eruditi, an non שבת potius ad verbum שבת *quieſcere* ſit referendum: *Tu noſti quietem meam*, nocturnam; *Quieſcere meum & ſurgere.* Certe ita שבת ſumendum eſſe clariſſime conſtat ex Pſ 127: ubi משכימי קום & מאחרי שבת *matutine ſurgentes*, & *ſera nocte ſomno ſe dantes* exponendum eſſe ipſa ratio docet. *Quieſcendi* autem verba ad recreationem, quæ ex ſomno capitur, proprie uſurpari, in omnibus fere linguis receptum eſt. Græcis, Latinis, Germanis aliiſque ita uſu venit, nec minus Orientalibus. Verbum נוח hoc ſenſu occurrit apud Eſaiam cap. 57: 2. & שכן, quod itidem primario *quieſcere* notare aperuimus ex Arabiſmo, in hunc uſum adhibetur Nah. 3: 18. ubi id exemplis ex Alcorano firmavimus. Sed & ipſum verbum noſtrum سبت ſeu שבת Arabibus de *quiete ſomni* celebratur; اسبت *quietem cepit* pec. *nocturnam*: nomen سبات *quies*, quod eſt noſtrum שבת proprie *ſomni* dicitur *quies* a Golio; quod confirmat *Alcorani* uſus. Sur. 78: 9. وجعلنا نومكم سباتا *ſomnum ad requiem vobis damus.*

Verſ. 3.

Verſ. 3. ארחי ורבעי זרית

Valde in hoc loco explicando laborant Eruditi. Nimirum cum verbo זרה duplex conveniat ſignificatio *ſpargere*, & *cingere*, planum neutra efficere poteſt ſenſum. Quid enim hoc? *inceſſum & accubitum meum ſpargis*, vel ex alia ſignif. verbi, *cingis*. Sunt qui *cingere* hic explicant *protegere*, ea ratione qua Græcum ἀμφιβάλλειν utramque hanc complectitur notionem. Veteres Interpretes ἐξιχνιάζειν, *inveſtigare* exponunt ex ſenſu, uti Lxx. Latinus, Arabs; a *ventilandi* forte ſignificat. Chaldæus aliene a זור dedit איתעברת חילני *alienus factus es*. In locum obſcuriſſimum nonnulla quid tentaſſe nocebit? Scopus Pſalmi ſatis clare omniſcientiam Dei his verbis prædicat, unde *protegendi* corruit expoſitio. Syrus hac ratione, ut puto, adductus זרית vertit ידע את *Noſti*; hunc ſenſum locum noſtrum poſtulare liquido conſtat. At qua ratione eum in verbo זרה inveniemus? eo nos ducit Arabiſmus. Arabice حاط notat *cingere*, quam notionem etiam זרה poſſidet. Inde dicunt Arabes, *Cingere rem ſcientia*. Alcor. 65:12. الله قد احاط بكل شي علما *Deus*

Deus omnia ſcientia cingit, id eſt, *comprehendit.* Surat. 18:67. مالم تحط به خبرا *Quod ſcientia non cingis*, id eſt, *de quo nihil tibi conſtat.* Frequentiſſime autem τὸ علم abjiciunt, & ſimplic. احاط *cingere* dicunt pro *cognoſcere*, maxime cum prorſus in rei notitiam penetramus, quod in primis Deo convenit. Alcoran. Sur. 8:49. الله بما يعملون محيط *Deus ea quæ faciunt cingit*, id eſt, prorſus perſpicit, uti conſtanter Arabes explicant. Sic Sur. 2:18. الله محيط بالكافرين *Deus cingit impios.* Sur. 72:28. الله احاط بما لديهم *Deus cingit quæ penes eos ſunt.* Sur. 4:125. الله بكل شي محيط *Deus omnia cingit*, nempe بعلمه *ſcientia*, uti unanimiter Commentatores. Longe plura hujus generis exempla extant in Alcorano, & apud alios auctores; unde elucet quomodo זרה *cingere* heic loci ad *ſcientiam* Dei poterit referri, nec opus fuit adjungere נרעת nam longe frequentiſſimum eſt Orientalibus tales locutiones ellipticas formare. Exemplum unum alterumve dabo. verbum حضر notat *adeſſe* inde dicunt حضر الموت *imminet mors.* Sed & abjecto

موت

موت simpliciter dicunt حضر : Sic in 8. conj. احتضر est *morti vicinus fuit*. Abulphar. pag. 197. ولما احتضر يزيد بن معاوية *Cum jam morti propinquus esset Jezid Muaviæ filius*, vertente Pocokio. In Arab. simpl. est. *Cum jam propinquus esset.* Sic pag. 96. & 201. ejusdem auctoris, & apud *Arabsjadem* aliosque non uno in loco. Sic apud Virgil. *oppetere* simpliciter dicitur & nude, quod alias *oppetere mortem*. Et Hebræi talibus gaudent ellipsibus; ut cum dicitur אמר בלב *dicere in corde* cum *cogitare* dicunt, atque hic quidem בלב summe est necessarium ad *cogitationem* indicandam; attamen sæpe illud omittitur & אמר *dicere* simpl. est *cogitare* Exod. 2 : 14. & sæpe alibi. Illustre est & hoc exemplum. Locutio est Hebræorum פצח רנה *frangere jubilationem* pro *læte acclamare* Esai. 14 : 7. & 44 : 23. pro eo abjecto רנח etiam dicunt simpl. *frangere* פצח Ps. 98 : 4. *frangite, cantate & psallite*. Eodem modo, זרית *cingis* simplic. pro זרית־בדעתך *scientia cingis*. Monendum hic est, Virum esse in Hebraicis impense doctum, cui זרה *cingere* notare satis probatum non est, Clar. dico *Gussetium*, quo pacto expositio mea corrueret. Nondum

tamen eam rejicere poſſum ſignificationem, præſertim quod ejus veſtigia in Arabiſmo reperiam. Arabice زر ſeu זרה notat *ventilare*, ut Hebr. at præterea *cingendi* etiam notionem habere videtur: nam in dec. conj. استذري eſt *protectionem rogare*; & ذرا *tutela*, *protectio*, quæ a *cingendo* derivantur; ut كنف *protectio* a verbo كنف *cingere*. Sic Græce ἀμφιβάλλειν, quod ſupra monui. ذرا etiam eſt *ſeptum habitaculi*, quod manifeſto a *cingendo* deductum eſt. Si tamen Clar. *Guſſet.* rationes tanti ſunt, ut זרה *cingere* eſſe neges, recurram ad Arabicum ذرى זרה *ſcire, cognoſcere* verbum uſitatiſſimum, quod ab Hebræo זרה potuit tranſſumi, ut דהבא *aprum* a זהב, & דקנא barba a זקן, &, ne exempla, quæ hujus mutationis infinita ſunt, cumulem דרא Chal. *ſpargere* a זרה ipſo hoc verbo noſtro. Solent quidem Arabes Zaïn in *Dſal* ذ mutare, ſed & quandoque in د *Dal* mutatum reperitur, ut دبل *ſtercorare* a זבל. Eſt ergo دري *ſcire*. Ita Abulph. pag. 333.

ليس يدري ما ذا يران فيه وهو
اذا ما دري وما دري

Non ſcit quid ſecum fiat, nec ſi ſciat, ſcire vel-

vellet. Sic in Alcorano Sur. 21. vſ. 111. وان ادري لعله فتنة لكم ومتاع الي حين *Neſcio ſane, forte tentamentum vobis id eſt, & commodum ad tempus aliquod.* Hunc locum ideo cito, ut verſio *Hiſt. Sarac.* emendetur Lib. 1. cap. 6. & 7. ubi Cel. Interpres verba ان ادري *Non ſcio* expreſſit, *Monticulus enim meus*, cujus ſenſum neſcio, nec ferri poteſt, uti ex Corani loco citato conſtat. Vidimus دري eſſe *ſcire, noſſe.* Hac ſignif. ורא in loco noſtro ſumi poterit, & ſic planus utique erit ſenſus. Ceterum utram harum conjecturarum eligas, ſenſui ſatisfit & ſcopo.

PSAL. CXXXIX.

Verſ. 17. ולי מה יקרו רעיך אל מה עצמו ראשיהם.

VErti ſolet: *Mihi quam caræ ſunt, ô Deus, cogitationes tuæ, quam multæ earum ſummæ.* Duo incerta valde & ambigua ſignificata ſibi poſtulant hic Interpretes; Primo, רע notare *cogitationem*, dein ראש aliquando *ſummam* dico. Ad primum

mum quod attinet, illud רע pro *cogitatione* ſumi apud Hebræos ex duobus ſolum, iiſque hoc ipſo in Pſalmo occurrentibus, locis probatur; ſcil. vſ. 2. hujus Pſ. & hocce eodem 17, in quo verſamur. Atque ex his quidem alter novam hanc & incertam notionem reſpuit, alter non neceſſario poſtulat. *Vſ.* 17. ſignificat. hanc ægre admittit, nam hominis non eſt in Dei cogitationes penetrare; Pſaltes autem hic loqueretur tanquam ſi eas pernoſceret, præſertim ſi vſ. ſequentem etiam conferas; adde orationis ſeriei rectius convenire τὸ רע ſenſu pervulgato ſumtum pro *amico*. *Quam cari mihi ſunt, ô Deus, amici tui*, cui opponitur vſ. 21. *Annon odio proſequerer, ô Deus, qui te odio habent?* neque ullam video rationem quæ Interpretes movere potuerit, ut a communi vocis רע, quæ plus centies pro *amico*, *ſocio* occurrit, notione recederent, niſi quod eam de *cogitatione* ſumi putaverint in vſ. 2. hujus Pſalmi, cum tamen id ibi notare varias ob cauſas improbabile ſit: & quid quæſo nos impedit, quo minus eo in loco illud רע *amicum* exponamus, *noſti amicum meum* vel *ſodalem e longinquo;* de externis enim ſolum agere videtur Pſaltes verſibus 2 & 3, atque de inter-

internis animi cogitatis, quæ ore proferuntur, loqui demum incipit vſ. 4. Certe *Rabbi* etiam *Salomon* רעי heic a verbo רעה ſenſu *ſodalitatis* expoſuit hoc pacto, *Tu noſti* לרעי, id eſt, לחברני אליך *ad me in ſocietatem tuam adſciſcendum.* Atque hic quidem adiri velim Celeb. *Guſſet.* in Comment. Ling. Hebr. ubi רע nunquam pro *cogitatione* ſumi validiſſime oſtendit. Standum ergo erit hoc in loco communi ac frequentiſſima vocis רע notione, *amici* ſcilicet; *Quam cari mihi ſunt, ô Deus, amici tui;* atque ſic Hieron. etiam *amicos* heic reddidit ex Lxx. Alterum, in quo peccare mihi viſi ſunt Interpretes, eſt quod ראשיהם *capita eorum* hic ſumſerint pro *ſumma, ſummæ eorum*, quaſi ראש *caput* notaret *ſummam;* quæ ſententia licet poſt *Kimchium* graviſſimos habeat auctores, fundamento tamen deſtituta eſt; nam in phraſi illa, quæ ſola hanc notionem poſtulare videtur, atque eſt נשא ראש, illud ראש *ſummam* non dicit. Exemplo res clara fiet. Num. 1: 2. quem locum etiam pro verſione ſua ad hunc Pſalm. citant Belgæ, dicitur שאו את ראש *tollite caput* filiorum Iſraël; Sic Exod. 30: 12. כי תשא את ראש *Quum tolles caput* filiorum Iſraël; Ex his ac parilibus locis ſuſpicantur Interpretes

pretes ראש *caput* notare *ſummam*, quia id quadrat; hinc Lxx. συλλογισμὸν, *computum*; Vulg. *ſummam*; Chaldæus itidem & Samaritanis חושבן & סכום, id eſt, *computum*, *ſummam* reddiderunt. Verum τὸ ראש in hac phraſi non eſſe *ſummam* clariſſime patet ex Gen. 40: 13. *intra tres dies* ישא פרעה את ראשך *tollet Pharao caput tuum*; hic *caput* de *ſumma* capi poſſe non equidem putem; de uno enim ſolummodo mentio fit; at *ſumma* non niſi de multis adhiberi poteſt; eandem tamen eſſe locutionem evidens eſt, & a Doctis agnoſcitur; ſed iterum hic conſuli velim Clariſſim. *Guſſetium*, qui plura ac fortiora contra receptam expoſitionem argumenta ſuppeditabit. Si tamen quis obſtinate defendere velit ea etiam, quæ probare non ſolet, largiamur ראש *caput* aliquando eſſe *ſummam*, minime tamen notio ea in *Pſalmo* noſtro admittenda videtur, cum quia verbum נשא non adeſt, tum maxime quod in plurali etiam ראשים *capita* de *ſumma* accipi exemplis careat, & linguæ genio repugnet. Simpliciter ego verto: *Quam cari mihi ſunt, ô Deus, amici tui, quam multa eorum capita. Enumeremne eos? plures ſunt arena* &c. *Quam multa ſunt eorum capita*, quam locutionem

In-

Interpretes nondum intellexiſſe video, ſtylo Orientis tantundem eſt, ac *quam multi ipſi ſunt*. Nimirum *caput viri* dicunt pro *viro* & ſimilia, quod operæ pretium erit luculenter demonſtraſſe. *Abulphar. Hiſtor. Dynaſt.* pag. 53. ubi de equis *Salomonis* لهُ اربعون الف راس من الخيل *Erant illi quadragies mille capita equorum.* *Capita* dicit *equorum* pro *equis*. Et pag. 54. *Tunc in ſacrificia obtulit* مايةٍ وعشرين الف راس غنم *Centies & vicies mille capita ovium*, pro *oves*. Iterum pag. 216. الة المطبخ تحمل علي الف ومايتي راس من الدواب *Supellex ipſius culinaria jumentis mille ducentis geſtabatur*; In Arabico pro *jumentis* eſt *capita jumentorum*. Sic *Eutych. Alexandr.* ubi de conflatione vituli in deſerto; *Annal. Lib.* 1. *pag.* 106. *Et ceperunt mundum mulierum, eumque fuderunt* فخرج لهم راس عجل *Et prodiit iis caput vituli.* Hiſtor. Tamerl. pag. 6. اشتري بثمنه راس ماعز *Pretio ejus caput capri ſibi comparavit*, id eſt, *caprum*, uti ſequentia inſpicienti apparebit. Neve putes Hebræis hunc loquendi modum incogni-

cognitum fuiſſe, en tibi conſimilem ex Sacro Codice locutionem. Judic. 5: 50. רחם רחמתים לראש גבר *Puella una, duæ puellæ pro capite viri*, id eſt, *pro viro*; Een of twee Meysjes voor den Man. Clarius adhuc & in rem noſtram accommodatius, utpote ubi ראשים in plurali ita ſumitur, eſt exemplum ex 1. Chron. 12: 23. אלה מספרי ראשי החלוץ לצבא *Hic eſt numerus capitum expeditorum ad militiam*; ראשי החלוץ *capita expeditorum* heic nihil aliud ſunt, quam *expediti*. Alienum enim prorſus eſt ut *principes* & *duces* hoc loco intelligas, cum *milites* enumerentur, non *duces*, quam tamen inconvenientiam Interpretes hactenus effugere non potuerunt. Tandem huc referri poſſet locus 2. Sam. 3: 8. הראש כלב אנכי *An caput canis ſum?* quod ſumitur a Rabbinis, ac quibuſdam ex Noſtris pro *præfecto canum* vel *cuſtode*, ab aliis ſeparantur verba hæc, hoc fere pacto; *An caput ſum? canis ſum.* Alii aliter. Nihil ſimplicius videtur quam *caput canis* pro *cane* ſumere deſpectiſſimo apud Orientales animali. Atque ita *Junius* locum hunc jam explicuit: *An perſona canina ſum.* Hunc Hebræorum loquendi modum imitatus videtur *Hieronimus*, quum *vitulum* ab Hebræis

bræis in deſerto fuſum ſemper fere *caput vituli* appellat ; ut in *Hoſeæ* cap. 4. *Videtur autem mihi idcirco & populus Iſraël in ſolitudine ſibi feciſſe caput vituli, quod coleret.* Et in cap. 7. Hoſ. *In eremo vituli conflaverunt caput.* Et in Amos cap. 5. *Aurum in caput vituli transformarunt.* Tertullianus etiam; adverſus *Judæos* cap. 1. *Cum proceſſiſſet eis bubulum caput* فخرج لهم راس عجل quod ſupra ex *Eutychio* citabamus. Nec eſt quod quiſquam hoc idolum ſibi fingat ex mente veterum ſolum vituli caput, nam, ut vidimus, Hebræi ita loquuntur & Arabes; neque inſolens id Græcis aut Latinis cenſeri poteſt. *Homerus* Hymn. in *Mercur.* verſ. 94.

Τόσσον φὰς συνέσσευε βοῶν ἴφθιμα κάρηνα.

Hæcce locutus, propellit fortium boum capita; id eſt περιφραστικῶς βᾶς, *periphraſtice boves:* Et in eodem *Hymn.* vſ. 302.

Εὑρήσω κ᾽ ἔπειτα βοῶν ἴφθιμα κάρηνα.

Inveniam & poſtea boum fortia capita; itidemque vſ. 394 & 402. Quæ ſummus Poëta ſic imitatus eſt Lib. 5. *Æneid.*

Bina boum vobis Troja generatus Aceſtes
Dat numero capita in naves.

Bina boum capita, id eſt, *binos boves*. Luculentiſſimis hiſce exemplis novam meam interpretationem ſolide ſatis firmatam puto, manumque de tabula tollerem, niſi in mentem veniret, poſterius hemiſtichion cum priori aptius cohæſurum, ſi verbum עצם hic ſumamus ſignificatione ea, quam apud Arabes frequenter obtinet. Scil. עצם ſeu عظم (Hebræo ע Arabum ظ uſitatiſſime reſpondere amplius monere piget) Arabice notat, *magnum*, *pretioſum*, *magni momenti eſſe*; unde in 2. conjug. عظم *magni fecit, honoravit*, eandemque fere cum verbo Hebræo יקר habet vim: *Quam* יקרו, *pretioſi ſunt mihi, ô Deus, amici tui. Quam* עצמו *æſtimata, cara mihi ſunt capita.* Neque exemplo caret talis uſus verbi עצם in Hebraiſmo. Pſ. 135: 10. מלכים עצומים non ſunt *reges multi*, quam vim alias עצם poſſidet, binos enim ſolum enumerat, *Ogum* & *Sihonem*, ſed ſunt *reges magni*, عظيم *honorati, magnificentia præditi.* Verum ne quid diffitear, leviſſima hæc eſt conjectura, neque facile a communiore verbi עצם uſu hic receſſerim, præſertim cum ei vſ ſequens aperte faveat.

PSAL.

PSAL. CXLIV.

Verſ. 8. *Os eorum vanum loquitur &* ימינם ימין שקר.

D*Extra eorum dextra mendacii. Kimchi* & *Ab. Eſra* aliique Interpretes, *dextram* hic de *robore* & *potentia*, ut alibi ſæpe, explicant. At rectius *R. Salomo* ad jusjurandum *dextram* hic refert, כשקר נשבעין *falſo jurant*, בפשט ימינם לשבועה *extendentes ad jurandum dextram.* Ita etiam plurimi ex Eruditis. Confirmat hoc Arabiſmus, ubi يمين *dextra* eſt & *jusjurandum*, cujus ſignif. exempla dedi ad *Pſ.* 137:5. *R. Adonim* etiam, a *Kimchio* laudatus מירש אותו לשון שבועה מן הערבי *explicavit ſenſu juris jurandi ex Arabiſmo.* Ita & *Ben Bileam* apud *Ab. Eſram* אמר כי ימינם לשון קדר שבועתם *ait*, *dextram eorum ex lingua Kedarena tantum eſſe atque jusjurandum eorum.*

PSAL. CL.

Verſ. 5. צלצלי שמע & צלצלי תרועה

CYmbala auditus & cymbala clangoris; per poſteriora *Kimchi tubas* intelligit. priora vulgo ſumunt, de Cymbalis quæ procul audiuntur; at ea potius eſſent τῆς תרועה; nam majus hoc, quam שמע. Arabice سماع ſeu שמע *auditio* aliquande ſumitur pro غنا *Gina, cantu*, & موسيقا *Muſica.* Hoc ſenſu venit apud *Sadium* in *Guliſtan* pag. 174. bis, & pag. 176. *Nocte quadam in conſortio incidi in Cantorem; Dixeris ex incondito plectri ejus ſono, animæ venam ruptum iri.* Tum paucis interjectis

نيند كسي در سماعت خوشي

Nemo quidem tua muſica delectatur. Sic & alibi: ſint ergo צלצלי שמע *Cymbala muſicalia:* vel etiam, *ad quæ cani poſſit:* nam سماع eſt غنا *cantus*, ut monui, apud *Meidanium;* differentia a צלצלי תרועה quæ majorem ciebant ſonum; & quæ חצצרות eſſe putabat *Kimchius.*

ANI-

ANIMADVERSIONES PHILOLOGICÆ IN PROVERBIA.

CAP. II.

Vers. 17. *Adultera. Quæ deseri:* אלוף נעוריה.

LXX. διδασκαλίαν νεότητος. Sic *Chaldæus*: מרביתא דטליותהא, *educationem juventutis suæ. Vulgat.* propius aliquanto: *Ducem.* Ita fere recentiores, & sic Nostri etiam. Intelligunt autem *maritum.* Recte id quidem. Verum אלוף hic *ducem* non notat, sed *amicum.* Certe aliter sumi nequit Ps. 55: 14. ubi אלוף & מידע jun-

junguntur. Chriſto etiam ἀρχηγῷ *Dux* tribui non debet. *Mich.* 7: 5. אלוף & רע ſynonyma ſunt. In Prov. 16: 28. & 17: 9. aliter etiam vox ſumi nequit, quam *amicitiæ* ſenſu. Arabice radix الف notat *amicitiam;* الوف *familiaris, amicus intimus*, ut plus etiam aliquanto contineat אלוף quam רע. At, inquies, quid אלוף de *Doctore* & *Duce* ſumere hic vetat, cum maritus recte *Dux* dici poſſit uxoris? Fateor; verum ita ne ſentiam efficiunt hæc loca. *Jer.* 3: 20. בגדה אשה מרעהּ *Hoſ.* 3: 1. אשה אהבת רע ומנאפת. Exempla hæc rem ſatis evincere puto, ut fere opus non ſit monere Arabicum صاحب *ſocius* in eundem uſum adhiberi: صاحبة *ſocia* etiam *conjugem, uxorem* eſſe notat *Golius* ex *Meidanio;* & ita occurrit Alcor. Sur. 80: 36. يوم يفر المرء من اخيه وصاحبته وبنيه *Dies, quo Vir fratrem ſuum fugiet, & ſociam ſuam cum filiis.* Sic ſponſa in *Cantico* ſæpe רעיה *ſocia* appellatur. Et חברה *ſocia* manifeſto pro *uxore* ſumitur *Mal.* 2: 14. Ut autem oſtendam, quam miſere cœcutiant, & aera verberent illi, qui contemto Arabiſmo, in Hebraicis aliquid tentare audent, ſignificationes radicis אלף, una ut ex altera profluxerit, or-

ordinabo. Primario *discere* notat אלף: inde *assuescendi* notionem assumit; sicut Hebr. למד *discere* etiam apud Æthiopes *assuescere* notat, εἰωθέναι Matth. 27: 15. Quid? apud ipsos Hebræos ita usurpatum fuit. פרא למד מדבר Jer. 2: 24. procul dubio est; *Onager deserto assuetus*, uti recte *Hieron.* Videtur etiam ipsum τὸ אלף *assuescere* esse Prov. 22: 25. פן תאלף ארחתו *Ne assuescas viis ejus.* Saltem apud Arabes & Chaldæos verbum hanc signific. induisse extra dubium est. Ab una harum notionum, vel ab utraque junctim *Bos* אלוף est dictus, quod jugum pati edoctus sit & assuetus, uti docuit nos *Bochart.* in *Hieroz.* אלף etiam apud Hebræos hanc notionem possediisse, patet ex Jer. 11: 19. ubi כבש אלוף est *agnus assuefactus*, uti sui loco moneo. Ab *consuescendo* profluit *amicitiæ*, *familiaritatis* & *societatis* significatio; est enim *amicitia* ex *consuetudine*; imo *consuetudo* est *amicitia.* Juvabit hic observasse ab Interprete *Æthiopico* Joh. 18: 15. γνωστὸς per למוד expressum esse. An hinc forte *bos* אלוף est dictus, quod *socius sit hominis in rustico opere*, ut *Varro* de R. R. L. 2. c. 5. & κοινωνὸς τῶν ἀνθρώποις καμάτων, ut *Ælian.* V. H. L. 5. c. 14. loquuntur, non definire habeo; illud qui-

dem, אלוף hinc indubie *amicum*, *ſocium* ſignificare poſſe. Locis ſupra ad hanc ſignif. adductis addo *Jer.* 13 : 21. למדתי אתם עליך לראש אלפים quem hinc eleganter exponi poſſe dixi ad *Jerem.* Tandem אלוף *ducem* deſignat vel *præfectum.* Ubi hic aut quo pacto cum ſuperioribus cognatam notionem inveniemus? In *Societate.* Arabice Docti norunt, nihil apud Arabes eſſe frequentius quam صاحب quod *ſocium* deſignat, de *Hero*, *Domino*, *præfecto*, *Rege* etiam, & *imperatore* uſurpare. صاحب الغنم *ſocius gregis* eſt *Dominus*: alicubi صاحب البلد *ſocius urbis* eſt *præfectus*: صاحب مصر *ſocius regionis* eſt *rex.* Putem, ex arcta *ſocietate*, quæ *præfecto* cum ſubditis intercedit. Pari ratione altera vox Hebræa רע *amicus*, *ſocius* pro *Domino* commodiſſime capi poterit Job. 36 : 33. יגיד עליו רעו מקנה אף על עולה Quanta ſit de loco hoc Interpretum diſcrepantia dici non poteſt. Hodie τὸ רע ſolent vel *fragorem* exponere vel *cogitationem.* At Veteres rectius, *Socium*, uti *Vulgat.*, φίλον ut Lxx. & *Chald.* חבר nec aliter רע notat unquam, uti obſervo ad Pſ. 139 : 17. Miſſis Eruditorum diverſiſſimis ſententiis, ita locum verto:

to: *Indicat de eo*, malo tempeſtatis ex ſuperioribus, *ſocio ſuo pecus*, *etiam de aſcendente.* Senſus eſt: Jam tum, quum vapores aſcendunt, qui fulmina, tonitrua & imbres componunt, pecus præſentiſcens malum, multis illud ſignis *ſocio ſuo*, id eſt, *domino ſuo*, *paſtori* annunciat & indicat. Illud eſt quod vſ. præc. dicebat יצו עליה במפגיע *interceſſorem contra illud ordinat*; qui precibus tempeſtatem avertat, quod forte etiam illud על כפים כסה אור indicat, quod hic exponi poteſt: *per manus* ſupplices ſcil. quod ex ſeq. מפגיע poterat intelligi, *tegit*, *obtegit fulmina*, non mittit ea. Ita cuncta aptiſſime cohærent: *propter manus* ſupplicum *tegit & abſcondit fulmina*, *& deprecatorem contra ea imperavit.* Quo pacto? Nam *de iis nuncium fert ſocio ſuo pecus*, *etiam antequam oriantur.* *Atnach* neglectum ne turbet, nam vel ultra viginti darem talia exempla; quin etiam ipſum *Soph paſuk* aliquando negligendum venit. *Socius gregis* ex Arabiſmo صاحب الغنم eſt *paſtor*, *dominus*, uti jam ſupra monui. Hinc, ut tandem in viam redeamus, *ſocium* pro *Domino* poni apparet, atque ſic אלוף utramque ſignificationem recipere potuiſſe. Non diſſimulandum tamen eſt *Bochartum* אלוף ab

אלף *mille* derivare, quaſi χιλιάρχον dicas. At hoc non convenire videtur Geneſ. 36. & 1 Chron. 1. ubi אלוף titulus eſt *Principum* Idumeæ, & civile potius munus notaſſe, quam militare veriſimile eſt. Certe mirum videri poſſet, nunquam, ubi Scriptura de ἑκατονταρχοις & χιλιάρχοις loquitur, verbum hoc uſurpari. *Idumæorum* forte propria fuit vox, non enim, niſi ubi de eorum principibus agitur, ſenſu *imperii* uſquam occurrit.

CAP. V.

Verſ. 16. יפוצו מעינתך חוצה ברחבות פלגי מים

DE fontibus hic & rivis פוץ dicitur. *Diſpergere* reddunt vulgo; magis proprie dictum erit, ſi Arabicam verbi notionem admittamus. Arab. فاض eſt *abundare, exundare, effundi:* Proinde *Hier.* hic *derivari* recte vertit, & *Chald. effundi*, ut & Lxx. Sane פוץ *abundare* eſſe Hebræis, præter hunc locum patet etiam ex Zach. 1: 17. עוד תפוצינה ערי מטוב ubi *Hieron. adhuc affluent civitates bonis.* Nec poteſt aliter. Adde Job. 40: 6. הפץ עברות אפך *Effunde*

ex-

excandeſcentias iræ. Ira *effundi* dicitur ſtylo Spir. S. שפך עברה ſæpius; *diſpergi* dici non poteſt. Similiter plane Arabes افاض الغيظ, uti ad *Jobum* jam monui; in *Hiſt. Tamerl.* etiam legi افاض الحنق הפיץ *effudit odium:*

CAP. XI.

Verſ. 3. *Integritas juſtorum rectâ eos ducit,* וסלף בוגדים ושדם.

TO ו ante שדם Interpretibus orationis ſeriem turbare viſum eſt, ac ſenſum minus fluentem reddere; unde in ו mutandum & ישדם legendum eſſe jam olim *Maſorethæ* per ſuum קרי *indicarunt*; Unus *Ab. Eſra Chetibh* retinere tentat; atque hoc pacto exponit; ſupplens יבוא: *Et perverſitas impiorum* veniet, ושדם *& vaſtabit eos.* Placet mihi, quod *Chetibh* ſequi voluit, modus tamen, quo ipſe explicat, haud placet; nam illud ו in שדם redundat, & vacat: ſexcenta ſunt in Alcorano loca ubi و vel ف *Et*, παρέλκ. Vel una tantum Surata exempla abunde ſuppeditabit. Sur. 38:57. هذا فليذوقوه *Hoc & guſtabunt illud*, &

vſ.

vſ. 61. قالوا *dixerunt, Domine, qui nobis ad hæcce dux fuit* فزن *Et adde ipſi duplicem pœnam.* & vſ. 78. قال فاخرج منها *Dixit, & exi ex eo.* vſ. 80. قال رب فانظرني *Tum Diabolus, Domine, & moram mihi concede.* vſ. 81. قال فانك من المنظرين *Huic Deus, Et certe tibi mora concedetur.* In his omnibus τὸ *Et* redundare perſpicuum eſt; vel potius auget aliquantum & intendit, ut in illo ربنا ولك الحمد *Domine noſter, & tibi laus eſt.* Sic verto locum noſtrum. *Et perverſitas impiorum, & vaſtabit eos.* quod ad verbum expreſſum eſt; ſimpliciter redundare dici poteſt illud &, quamvis etiam per *certe* exprimi poſſit: *Et perverſitas impiorum*, hoc eſt, *quod ad perverſitatem eorum*, more Hebraiſmi, *certe in perniciem eos dabit.* Prius ut ſimplicius præpono. Sic ex Jerem. 6: 19. (ne auctoritate tantum Arabiſmi *Keri* firmare poſſe videamur) apparet, quam abſque ratione ושרם in ישרם correctum ſit; eadem enim plane illic loci conſtructio occurrit: ותורתי וימאסו בה *Et legem meam, & improbarunt eam.* Eadem eſt loquendi ratio 1. Reg. 15: 13. וגם

וגם את מעכה אמו ויסרה *Quin etiam matrem suam Maacha, & removit eam.* Forte alicui puncta vocalia interpretationi meæ obstare videbuntur, quæ futuri sunt, non præteriti; ם enim præteritis per *Kamets* accedere solet, non per *tsere*, ut hic, quod futurorum est. Verum non adeo constans est hæc regula, nam & affixum per *tsere* in præter. suffigitur Esai, 8: 11. & ni ita esset anomaliam potius quam literæ mutationem admitterem. *Kamets chatuph* ex *Cholem* ortum futurum arguere nego, nam & præterita hujus formæ *Cholem* admittunt, ut Gen. 49: 23. Job. 24: 24. Clar. *Guss.* qui etiam Chetibh τῷ *keri præponit*, magis inclinat ut שד hic pro nomine sumatur hoc modo: *Integritas justorum ducit eos, at perversitas, prævaricatores & vastatio eorum*, supple; *ducet eos* ἀπὸ κοίνου; hoc est, inquit Vir Doctus, ut eo semper tendant, quo a se vastationem inferri posse vident. Ego, si omnino שד nomen esse velis & תנחם ex præc. repetendum, ita mallem: *Integritas ducit justos*, ad vitam nempe, *perversitas autem & vastatio sua prævaricatores* etiam *ducit*, sed ad mortem. Ita هدى quod est proprie *in rectam viam ducere.* Cor. 22: 4. *Satanas* يهديه *rectam ipsum docebit viam*, sci-

ſcilicet الي عذاب السعيـــــر *ad inferni pœnam.* Sic בשר ſeu بشر quod eſt *Euangelizare* proprie, etiam *pœnas annunciare* eſt, de quo alibi quædam. Prior expoſitio mea ut ſimpliciſſima ita optima videtur.

Verſ. 6. *Juſtitia rectorum liberat eos;*
ובהות בוגדים ילכדו

Et per Havvat impii capiuntur. Illud הות Lxx. ἀπώλειαν hic reddunt; at Vulg. *inſidias: In inſidiis ſuis capientur iniqui;* Sano quidem ſenſu, at cum Hebræo non plane conveniente. Gemina his fere eſt verſio plurimorum Interpretum quæ habet: *Et in ærumna ſua capiuntur improbi;* quod intelligunt de ærumna & malis quibus improbi alios afficiunt. Rectius, ut puto, *Chaldæus*, qui, הות quod opponi videbat verbo צדקה, reddidit רשעא *impietatem;* & ſic Doct. Belgæ, **verkeertheit** oppoſite ad vocem præcedentem **gerechtigheit.** Ita quidem orationis ſeries & ordo *Salomoni* ſuetus poſtulare videtur, unde tamen ſignificat. hanc hauſerint Interpretes noſtri, ignoro. Lexicograph. non niſi de *ærumnis* explicant; addit quidem *Buxtorf. pravitas*, at parum Latine,

tine, non enim vitiositatem & *perversitatem* ipse intelligit sed *casum gravem*, quod quod liquet ex locis additis. Sunt autem loca nonnulla ubi *ærumnarum* & *calamitatis* notio non adeo quadrat. Ut hic noster, & *Mich.* 7: 3. הגדול דבר הות נפשו הוא. Si *Havvat* hic capis de *ærumna*, vertendum est, *ærumnam sui ipsius prodit potens*; quod series orationis & mens prophetæ non patiuntur; quod autem Eruditi & hic *Havvat* Activo sumant sensu, *ærumnam animæ suæ*, id est, *quam anima*, vel, *ipse inferre gestit*, violentum valde est & Hebraismo parum congruens. At verte *malitiam* & perfacilis erit sensus: *Malitiam animæ suæ loquitur*: de ea palam gloriatur.

Rectissime igitur & præclare Lxx. & *Vulgat.* quorum hic *desiderium animæ suæ* dedit, illi καταθύμιον τῆς ψυχῆς· præclare dico & plane ad rem, nam הוה id proprie notat, *desiderium* scil. at *pravum* fere tantum, & qui malignus est; unde de *malitia* tandem usurpatur. Mihi dubium non est Lxx. cum alias sæpe, tum hic iterum ad Arabismum respexisse, ubi הוה est *desiderium*, at, ut dixi fere *malum*; verbum הוה seu هوي Arabice notat *velle*, *cupere* يكون في الخير والشر

والشر *In bonum cadit & in malum*, teſte *Camuſi* auctore. Et هوي ſeu הוה *Havva* eſt ارادة النفس *animi deſiderium*, tam bonum quam malum. Honeſte ac liberaliter ſumtum invenio in *Abulphar.* pag. 209. لا يعلم ان لي في احد هوي الا عبث به *Non quemquam novit quem amem, quin eum male mulctet; quin eum malo afficiat.* Clar. Pocok. *Quin ei illudat*; tenuiter nimis. Videtur Vir Doctiſſ. ignoraſſe vim verbi hujus, quæ etiam certe in Lexicis non apparet, quæque eſt, præter *ludendi* notam ſignificationem, *noxa, injuria, damno afficere.* Frequentatur ita ab auctore Vitæ *Tamerl.* pag. 93. وكان عبثا وفسادا *Multus fuit in noxis inferendis & graſſando.* Sæpe cum عات quod eſt *damnum inferre* jungitur, ut pag. 44. عايثين عابثين Et pag. 64. يعيثون فيهم ويعبثون *Damno inferendo in eos graſſabantur.* p. 226. وجعل يعبث في تلك الديار *Et in eas regiones degraſſatus eſt.* Quam importuna, inquis, Criſis; at deſines ita ſciſcere, ubi videris non exiguam inde lucem oriri verbo עבת in loco *Michææ* citato: *Malitiam*

litiam ſuam libere *pronunciant*, *&* palam *in ea graſſantur*. Ceteri Interpretes: *Et contorquent eam, tanquam* Abotim, *funes*. At Vulg. *Et conturbaverunt eam* ſcil. *terram*, de qua vſ. 2. nam non ad חות, quod *deſiderium* reddiderat, ipſum hoc referri generis diſcrepantia arguit, ſed hæc hactenus. הוה ſeu هوي in loco citato ex *Abulphar*. in bonam partem ſumi vidimus, at magis proprie illud in malum convertitur & *prava* dicit *deſideria*. Hoc ex *Alcorano* conſtat, purioris Arabiſmi optima norma, in quo هوي vel centies occurrit, non alio, niſi memoria fallit, quam *mali* ſenſu. Alcor. Sur. 20: 17. *Qui eam* (horam judicii) *venturam haud credit*, واتبع هواه فتردي *quique libidinem ſuam, Havva ſuam, ſecutus, in exitium præceps ruit*. Sur. 23: 73. ولو اتبع الحق اهواهم. *Quod ſi veritas eorum libidini, aut improbis deſideriis obſequeretur*. Sur. 2: 140. ولئن اتبعت اهواهم *Quod ſi eorum, Havvoth, impietatibus morem geſſeris* &c. انك اذا لمن الظالمين *ecce in injuſtorum te numerum redactum*. Ex hiſce liquet, quam non abſque ratione &

fundamento הוה cum *Chaldæo* pro *impietate* ſumatur, ſeu *perverſitate* cum *Belgis*; ut opponatur voci צדקה *juſtitiæ* in hemiſtichio priori. Ceterum Hebræum הוה pro *ærumna* poſitum originem videtur trahere ab ſignif. *Cadendi*, quam in verbo هوي habent Arabes, ut Lat. *Caſus* a *cadendo*, de quo jam quædam ad Jobum monui.

Verſ. 21. יד ליד לא ינקה רע

Verto: *E manu in manum non impune feret malus.* Digladiantur Eruditi de locutione parum perſpicua יד ליד, quod noſtri reddunt hant aan hant / quæ duobus tantum in locis legitur; hic & Cap. 16: 5. *infra*; unde tamen, quia nude ibi poſita eſt, nihil lucis affunditur. Non placent Lxx. Rabbini nihil quicquam niſi contorta miſere. Noſtrorum quanta ſit diverſitas non facile dixerim. In primis placet ea, quam in notis Belgarum legere eſt, explanatio: impium nimirum ne in liberis quidem ſuis ac nepotibus impune evaſurum; in *filiis* & poſteris ejus Deum impietatem ejus perſecuturum; ex comminatione legis Exod. 20: 5. Non obſcura in ipſo textu ſigna ſunt, quæ hunc unicum eſſe verborum ſenſum oſten-

oſtendant. Vide enim quid oppoñatur זרע צריקים נמלט *Bonorum autem ſemen evadit.* Utrorumque, tum malorum tum bonorum rationem conſiderat, reſpectu poſterorum, quorum diſſimiles, felices horum, illorum vero infauſtos exitus ob oculos ponit. Hanc Belgarum pulcherrimam & orationis ſeriei convenientiſſimam expoſitionem firmare mihi aliquantulum poſſe videor ex ſimili plane Perſarum loquendi modo; quibus دست بدست *Deſt bedeſt, e manu in manum* (*E* enim, ut in principio jam monui, ſupplendum hic puto) eo ſenſu uſurpatur. Locupletem hic advocare teſtem juvat Elegantiſſimum Perſam *Sadium*, qui in *Roſario ſuo Coſrois* Perſarum regis Coronæ hæcce inſcripta fuiſſe verba tradit.

چه سالهاي فراوان وعمرهاي دراز
كه خلق برما برزمين بخواهد رفت
چنان كه دست بدست امد سمت ملك بما
بدستهاي دكر همچنين بخواهد رفت.

Hoc eſt,

Quid anni ſunt multi, longa quid vita?
Homines enim aliquando nos pedibus calcaturi ſunt:
Ut imperium ad nos devolutum eſt e manu in manum,
Sic in manus iterum aliorum tranſibit.

Jad lejad יד ליד, ſeu, *Deſt bedeſt, e manu in manum*, hant uit hant in perveniſſe ad ſe imperium dicit, quod a longa regnantium avorum ſerie *per manus* traditum erat. Aliud eſt apud eundem auctorem quod cum loco noſtro pleniſſime convenit, utpote in quo filiorum relictorum ratio habetur, non ut in altero illo deceſſorum & parentum.

دریاں کنون کہ دستت هست
بدستت
کہ دولت وملک میرود دستی
بدستت

Fruere fortunis tum, cum in manu ſunt tua;
Regnum enim & potentia tua perveniet e manu in manum.

Non

Non ſempiternum & conſtans tibi futurum eſt regnum tuum, ſed *e manu* tua in filiorum & nepotum *manus* devolvetur. Dicitur autem ut jam monui יד ליד pro מיד ליד convenitque fere Latinorum *per manus*, quod non diſſimili venit ſenſu.

Verſ. 24. *Eſt qui diſſeminat, & augetur*
וחשך מישר אך למחסור.

Et eſt qui retinet plus æquo, nihilominus in penuriam delabitur: Ita fere nunc illud מישר pro *plus æquo*, *juſto* ſumitur, quamquam aliter Veteres Interpretes & Rabbini, qui ישר de *juſtitia* ceperunt, aliis aliter ſenſum expedientibus. Dubio procul communis expoſitio reliquis longe anteferenda eſt, illud tamen hic male me habet, quod verbum ישר non eam dicat *æquitatem* & rerum *juſtum modum*, quem volunt Interpretes. Cogitabam aliquando ſignificat: vocis Arabicam hic pulcre quadrare; Arab. enim ישר *Joſer* ſeu يسر *Joſron* eſt *opulentia*, *ampliſſimæ fortunæ*, *divitiæ*. Abulphar. 268. انتهبوا دور اهل اليسر واخرجوا اموالا كثيرة *ædes ditiorum ſpoliarunt*, *ingentibus opibus productis*. Pro *divites* in

Arab. eſt, *populus* שר, *facilitatis*. Et verbum שר in 4. conj. أيسر *opulentus fuit*, *boni, affluxit*; quaſi dicas *bene*, vel *recte ipſi eſt*; quod de divite dictum alicubi, apud *Plautum* opinor, legiſſe memini. Vel שר *rectum eſſe* primum notat; tum *facilem*; recta enim expedita ſunt & facilia; poſtremo, *lautum*, *opulentum*, ut Lat. *facile vivere*. Ut contra Arab. عسر primo *obliquum* & *contortum*, mox *difficilem*, *egentem* denique & *pauperem* denotat: perſpicuum hinc eſt, quam proclive fuerit illud שר ad *divitias* & *magnas fortunas* deflectere, quod maxime a Salomone fieri potuit, qui non parum ſæpe nominibus novas & inſolentiores tribuit ſignificationes, format etiam quandoque, aut peculiari plane modo verbis utitur, quod ab ſapientiſſimi Regis inſtituto populum ſuum ſcriptis edocentis alienum cenſeri nequit. Verti itaque poſſet: *Et eſt qui cohibet, ex opulentia* nihil pauperibus largiens, *nihilo minus in penuriam*. Tantum abeſt ut parſimonia hac & pauperum defraudatione ſuas opes conſervet & augeat, ut potius ea cauſa ſit, quod in pauperiem ipſe delabatur. Speciem quantumvis hæc habeant, nihil tamen affirmare velim, aut magnopere urgere; ſenſus enim ille primus

mus propius ad Hebraiſmum nobis cognitum accedit, eumque preſſius ſequitur; & videor mihi locum inveniſſe ubi verbum ישר *æquitatem* dicit & *juſtam proportionem.* Is eſt 1. Reg. 9: 13. ubi de viginti urbibus iſtis, quas *Salomo* Tyri Regi *Hiramo* pro officiis præſtitis dederat, dicitur לא ישרו בעיניו Vulgo, *non recte erant in oculis ejus*, non ſatis recte. Ita tamen & Veteres. Hier. *non placebat ei.* Lxx. οὐκ ἤρεσαν αὐτῷ. Rectius procul dubio, ſi ita vertas: *Et non æquæ fuerunt in oculis ejus.* Ipſius judicio, non videbantur ad merita ſua & commoda *Salomoni* præſtita ullam habere proportionem.

CAP. XIII.

Verſ. 11. *Fortunæ vane acquiſitæ dilabentur.*

ID eſt, *dilabi ſolent*, de quo elegantiſſimo Futurorum uſu alibi monui. וקבץ על יד יבה *quæ autem (ſubſtantia) paulatim colligitur manu, multiplicabitur.* Ita *Vulg. verſio* habet, quæ etiam colon præcedens ſenſu contrario dedit *ſubſtantia feſtinata minuetur: Subſtantia* pro *divitiis* ex Jure nota eſt. *Feſtinata* eſt מבהל quomodo una literula

transposita lectum est, ex מהבל. Sic Lxx. ὕπαρξις ἀπατηδαζομένη. Additur ex *Glossa*, quæ hodiernam lectionem expressit, μετὰ ἀνομίας quod est illud מנהל. Ceterum an recte dederit *Vulg.* τὸ יד על *paulatim manu*, incertum est valde, neque ex Hebraismo nostro facile probatum detur. Rabbi tamen *Levi* fere eandem dat explicationem. Aliter *Ab. Esra* qui יד על *per manum* exponit *per industriam* & *laborem*, quod magis videtur rationi & loco consentaneum, unde etiam Belgæ hunc sensum amplexi sunt. Vetus Interpres *Chaldæus* diversam longe & prioribus illis alienam habet mentem; יד על enim ad *munificentiam* retulit & *liberalitatem* in pauperes, ut adeo יד absolute *largitionem* notasse videatur. Verba *Paraphrastæ* hæc sunt דמכנש ויהיב למסכינא יסגא ממוניה *qui colligit* opes *ut largiatur pauperi*, *augebit eas.* Sic *Syrus* etiam *per* צדקתה *justitiam*, ut vertunt, cum verius *per Eleemosynas.* יד על sumsere *pro manu*, id est, *pro liberalitate*, ut habeat quod impertiatur. Pervenuste sane & egregie, & ab Regis nostri instituto non aliene, qui nihil æque ubivis commendat, atque *bonitatem* & *beneficentiam.* Arabes ita voce יד utuntur. Sic dicunt, *hæc in eum contuli*, non ex debito,

sed

ſed علي طهر يد *ex liberalitate*, ad verbum, *ratione manus*. Sic apud Poëtam *Abulolam* laudes principis prædicantem.

اذا ما الغيم لم يمطر بلادا
فان له علي يدك اتكالا

Si quando nubes non compluerit regionem,
Utique illi in manu tua fiducia eſt.

Ubi Celeberr. Golius: *Manu*, id eſt, *liberalitate*. Adde Perſam, at Arabum more & ore loquentem, Gratiarum illum amicum dico *Sadium* in *Roſario* p. 114.

كه سوابق نعمت بر من بنده داري
وايادي منت

Hunc enim ſervum ingentibus tuis beneficiis & manibus liberalitatis tibi devinctum habes & munem; ut ait, *Plautus*. Neſcio quid *Gentius* egerit, qui illa ليادي منت *exprobrandi facultatem* vertit; Arabiſmo quidem non plane invito, attamen huic loco parum congruenter. ايادي منت ſunt *manus munificentiæ*, id eſt, *largitiones munificentiſſimæ*, ſolenni Orientalium locutione, qua duo ſubſtantiva ſynonyma ad majorem αὔξησιν jungere ſolent, quod etiam

in præc. سوابغ نعمت obtinet, nam & سوابغ absolute ſunt *officia*, & verbum استبغ *Corani* elegantiori uſu eſt *officiis proſequi*. Certiſſimum igitur eſt ايادي *manus* hic eſſe *beneficia*, quam ſignif. Cl. *Golius* in Lexico ſuo adnotare non neglexit. Sic in Hiſt. Tamerl. ايادي & ايان فضل pro *liberalitate* aliquoties. *Algazalius* etiam in *Lib. MSS.* quo Celeb. *Hemſterhuiſii* beneficio utor, ita vocem *manus* adhibet. هو غريق في بحر منن الله تعالي وايديه *Ipſe demerſus eſt in mare beneficiorum Dei O. M. & Manuum ejus.*

Verſ. 16. כל ערום יעשה בדעת וכסיל יפרש אולת.

Si duas ſententias hoc vſ. comprehenſas ad accuratam oppoſitionis normam revocare vellemus, Arabiſmus in ſubſidium vocandus foret. Primum דעת *ſapientia* ſtat contra אולת *ſtultitiam*; dein ערום *prudens* opponitur כסיל *ſtolido*; unde jam conjectari liceret verbo פרש quod *divulgare* eſt, tanquam contrarium oppoſitum fuiſſe τὸ עשע, quod tunc *occultare* foret. Accedit non exiguum hic

hic momentum, collatio ejuſdem plane ſententiæ cap. præced. jam præpoſitæ; cap. 12: 23. אדם ערום כסה דעת ולב כסילים יקרא אולת. Una eſt, ut dixi, eademque ſententia, at diverſis paulo, idem tamen ſignificantibus verbis expreſſa. Habemus hic iterum, primo דעת *ſcientiam* & אולת *ſtultitiam* ſibi contrarias; tum ערום *Callidum* כסיל *inſipienti* oppoſitum; tandem quod illic erat פרש *divulgare*, id hic jam eſt קרא *percelebrare*; pro עשה quod *occultare* veriſimiliter damus, hic eſt כסה *obtegere*: unde כסה & עשה ſynonyma fuiſſe non valde a vero abhorret. Certe غشي quod eſt Hebr. עשה *obtegendi* notione apud Arabas celebratur. Unde eſt غشوة *tegumentum, velum.* غاشية idem; ſed hujus verbi ſignificationem amplius ad Thren. 3. explicabo, ideoque hic ea re ſuperſedeo. Itaque hunc locum ſic reddamus: *Omnis callidus occultat ſapientiam, ſtultus autem divulgat ſtultitiam.* Senſum non explico, abunde enim id & copioſe Eruditi ad Cap. 12: 23. ubi eadem occurrit ſententia. Diffiteri tamen nolo non ipſum me, multum huic obſervationi tribuere, tutiuſque longe communem verſionem retineri cenſere; præſertim quum inſolens non ſit, ut una res

varie

varie proponatur; quod vel ex Pſalm. 18. liquet collato cum 2 Sam. 22.

CAP. XIV.

Verſ. 3. בפי אויל חטר גאוה

SUnt qui reddunt: *Propter os ſtulti venit in eum virga ſuperbiæ*: quo indicari volunt, propter grandiloquentiam ſuam ſtultum tandem aliquando pœnas daturum. Hanc jam olim mentem habuiſſe R. *Jonam* teſtatur *Kimch.* in *Lexico*, quod certe de viro iſto, qui non infeliciter Arabiſmum, cujus peritiſſimus erat, multis in locis advocavit, vehementer miror. Luce clarius eſt verba non aliter verti poſſe, quam hoc modo: *In ore ſtulti eſt virga ſuperbiæ*, id eſt, *ſuperba*; *Virgam* autem hic poetice pro *lingua* poſitam eſſe apertum eſt. Nec fugit hoc Interpretes. *Ab. Eſra* חוטר מטה ורמז הוא ללשון *Choter eſt virga, & hic linguam dicit.* Hunc ſequuti ſunt *Vatabl. Mercer.* aliique non pauci, nec injuria. Alii tamen dubitant, aut plane id rejiciunt, non alio fundamento, quam quod durius id & inſolens videatur *virgam* pro *lingua* poni. At inique damnant, niſi forte deli-

ca-

catiore ſe guſtu, aut meliore eſſe aure putent, quam non Arabes dicam, ſed ipſos etiam Hebræos. Horum eſt loquendi elegans mos *percutere lingua* apud *Jeremiam* C. 18. qui certe non aliunde originem ducit, quam quod *linguam* in detrectandi negotio tanquam *virgam* aut *baculum* conſideraverint. Arabes hic in partes advocare non parum dabit præſidii: عصا eſt *baculus*, *virga;* hoc vocabuli ſtylo poetarum & parœmiaſtarum duas induit ſignificationes, quas eaſdem *Salomo* ejuſdem notionis verbis adjunxerat. Nempe عصا *Virga* in *Camus* inter cœtera exponitur per ادب & لسان quorum illud *caſtigationem*, hoc *linguam* לשון dicit. *Virga* pro *caſtigatione* quam frequens ſit *Salomoni* haud monitu indiget: *Linguam* autem *virgam* ab eo appellatam ex loco noſtro conſtat.

Verſ. 24. *Sapientibus divitiæ Corona ſunt*
ואולת כסילים אולת.

Quas non hic comminiſcuntur duras, contortas, adderem etiam ineptas, niſi alicujus etiam nominis viris parcerem, interpretationes? Verba ex Hebraiſmo noſtro (ita liceat mihi illum, qui ſe ultra *Lexico-*

gra-

graphorum nostrorum decreta non extendit, appellare) sonant: *Stultitia stultorum stultitia est*. Vehementer hic laborant Interpretes, ut commodum ex his verbis exprimant sensum. Ex immensa sententiarum farragine non ulla tolerabilior videtur, quam quæ ita sensum extricat: *Stultitia stultorum* manet *stultitia*. At præterquam quod illud *manet* nulla auctoritate obtrudatur, cedo quæso vel minimam cum prioribus connexionem: *Sapientibus divitiæ corona sunt, at stultorum stultitia manet stultitia*; quis non videt quam ἀσύγκλωστα sint, & maxime discrepantia hæc, nec ullo pacto ea congruere. Hæc ratio movit *Ab. Esram*, ut sustinere se maluerit, & non obscuram ignorationis dare confessionem; explicationi enim suæ, tanquam qui quam parum ei tribuebat ostendere voluerit, statim subjungit. אולת שאין כמוהו *ivvelet est vox cui par non est*. Voluit nempe unum אולת propriam hic plane & singularem, sibique incognitam notionem habere. Lxx. seniores ita vertunt: Ἡ Διατριβὴ ἀφρόνων κακὴ, quod ex Arabica lingua nisi eruatur, talis versionis rationem non facile dederis Sed de hoc aliisque locis quamplurimis a Lxx. ex Arabismo expressis uberius &, quod

ajunt,

ajunt, ex profeſſo a me agetur. Diſplicet tamen ea verſio, neque enim priori ſententiæ probe congruit, licet tautologiam, quæ alias fere ineſt, evitaverint. Unice convenire videtur *Chaldæi paraphr.* interpretatio, qui duo hemiſtichia pulcre connectit, & ſibi invicem reſpondere facit, omnemque plane difficultatem tollit. Ita ille : כלילא דחכימי עותרהון ושבהודהון דסכלי שטיותהון *Corona eſt ſapientibus divitiæ eorum; at ornamenta & honores, ſtolidis ſtultitiæ ſunt.* Prius אולת *honorem* reddit & *gloriam*, poſterius *ſtultitiam*. Sententia aperta eſt, & cuique in promtu, non Hebræorum tantum & Arabum, ſed Græcorum etiam & Latinorum monimentis percelebrata, ad ſolos ſapientes divitias & honores tanquam proprio quodam & ſuo jure pertinere, eoſque ornare, inſipientibus hæc & ſtolidis dedecori magis eſſe quam ornamento. Arabica radix אול ſignificationem *honorum* ſuppeditabit; اول enim ſeu, ut ſcribitur, ال Arab. exponitur per ساس *rexit, adminiſtravit* Rempubl. & ولي *præfuit, honores geſſit;* utrumque ab primæva ſignif. *primus fuit*, quæ in *Chaldaica* etiam obtinuit lingua. Unde Geneſ. 1. *Chaldæus* Onkel. באול

באול *in principio*, & Jonath. בקדמיתא, quod idem eſt: exempla dabit *Buxtorfius*. Hinc אולת tantundem eſt atque *principatus*. Arab. certe اولون non raro ſunt *optimates*, *principes*, & in *Timur*. ſæpe eſt أهل الايالة, quod eſt אנשי אולת *viri qui Remp. adminiſtrant*, *qui primas gerunt*. Nemo, ſat ſcio, adeo erit illiberalis, qui non hunc ſenſum illi alteri longe præſtare haud ægre conceſſerit: aſſenſum tamen aliqui retinebunt, quod in *Chaldæa* quidem & Arabia *principatum* radici אול adſcribi concedent; at idem apud Hebræos Veteres obtinuiſſe difficulter admodum largientur; Ut & his plus æquo moroſioribus fiat ſatis, en locum qui ſignificationem a nobis poſitam Hebraiſmo vindicet. 2 Reg. 24: 15. ubi אולי הארץ ſunt non utique *ſtulti* ſed *principes terræ*, vel ut Vulgat. *judices terræ*. Ubi quidem non magnopere curo Maſſor. *Keri* ac ſi אילי lectum oporteat, quod ex ignoratione veræ ſignif. ortum eſſe facile apparet. Accedat poſtremo non leve in partes momentum τ Lxx. haud aſpernanda auctoritas; qui אויל עמי *Jerem.* 4: 22. reddunt οἱ ἡγούμενοι τοῦ λαοῦ *Duces*, *principes populi*, quod quamvis illic loci non ſatis probe & commode factum ſit, argu-

argumento tamen eſt plus aliquid olim ſub radice אול contentum fuiſſe, quam unicam *ſtultitiæ* ſignificationem.

Verſ. 30. *Vita carnis eſt* לב מרפא, *at oſſibus putredo eſt* קנאה.

Duo hæc opponuntur ſibi invicem, quorum extremum *invidiam* dicit, cujus contrarium vulgo reddunt *cor ſanum*, vel, ut Vulgata, *ſanitas cordis*, quo intelligunt abſentiam vel liberationem ab omni perturbatione aut ægritudine. Non difficulter hiſce ſubſcriberem: ſed cogitabam tamen aliquando, exactioremne hic oppoſitionem reperire daretur, ut *invidiæ* vitio contraria virtus reſponderet; tum id accedebat, illud מרפא quod pro nomine ſumi ſolet, potius videri particip. eſſe conjug. Hiph. ut adeo לב מרפא non eſſet *cor ſanitatis*, id eſt, *ſanum*, ſed *cor ſanans*; & certe accuratius hæc ſecundum Hebraiſmi naturam inſpicienti apparebit verba illa לב מרפא non debere nec poſſe etiam reddi *cor ſanum*, ſi particip. ſit מרפא manifeſto; at ſi nomen fuerit? ne ſic quidem, cum enim ex Hiphil formatum ſit, ejus conjug. naturam ſequatur neceſſe eſt; non *ſanitatem*

ergo notat מרפא, ſi vel maxime nomen eſt, ſed *ſanationem*, quæ certe vehementer diſtant. Sic Jerem. 8: 15. מרפה non eſt *ſanitas*, ſed *ſanatio*, ut recte Vulg. *medela*, Noſtri **geneſinge** / non **geſontheit**. Sic ſemper alibi, quod cuilibet inductione exemplorum conſtabit. Itaque & hic לב מרפא vel ex partic. Hiph. erit, *cor ſanans*, vel ex nomine hinc formato & activam vim poſſidente erit *cor ſanationis*, quod idem eſt. Nunc accuratam, quam deſiderabam, oppoſitionem inveniſſe me puto; nam ut *invidia* eſt animi motus, quo propter alterius res ſecundas & proſpere fluentes dolemus & ægritudinem concipimus, eaſque ægris adſpicimus oculis; ſic contra ea לב מרפא erit animus fauſta omnia ac felicia exoptans, iiſque, tanquam ſibi ſi eveniſſent, gaudens & exultans. Hoc ergo eſt *animus ſanans*, qui proſpera omnia & læta aliis precatur, eaque, in ſe quantum eſt, confert, quod *Salomo* vocat *ſanare*; cujus ratio in aperto eſt, ſolemus enim ſub *vitæ & ſanitatis* nomine omnia, quæ bona veniunt, comprehendere. Ita *valeas* Latini & *bene valeas*, *bene vixis* etiam, & Ζήσειας Græci in bene optantis formulis habuerunt. Quod idem in rad. רפא in uſu fuiſſe patet

ex

ex Arabiſmo, in quo verbum رفا in 2 conj. eſt *bene precari*: unde illa formula congratulandi novo conjugi بالرفا والبنين *ſanitas ſit & liberi.*

CAP. XVII.

Verſ. 4. שקר מזין על לשון הוות

VUlgo vertitur: *Mendacium*, id eſt, *mendax auſcultat linguæ funeſtæ.* Cl. *Guſſetius* id duplici ratione impugnat; etenim מזין ab אזן derivari non concedit; tum quod האזין nunquam cum על conſtruatur, tum quod *Mezin* ſono ad *Maazin*, unde contractum volunt, non accedat. Si tanti ſunt Viri Docti rationes, recurri poſſet ad rad. זין in *Chaldæa & Arabia* notiſſimam. *Buxtorf.* aliique Lexicogr. *Chaldæorum* זין *arma* exponere ſolent; non improbo: attamen haud primaria eſt ea notio, ſed *ornatum* proprie deſignat; quod patet ex Arab. زين, quod eſt *ornare;* tam ſæpe autem ita uſurpatur, ut exemplis probare ſuperſedeam; *Chaldæis* idem notavit, quod patet ex Exod. 33: 4. ubi pro Hebr. עדיו *ornatus ſuus Chaldæus* habet תקון זיניה, quod male Buxtorf. *apparatum armorum*

reddit, cum debuiſſet, *ornatus*. Sic מזוינא *Chald.* in *Thalmude* non tantum eſt qui *arma* cuſtodit, ſed & נטר שראי דמלכא uti Gloſſa ad *Berach.* fol. 56: 1. exponit, id eſt, *quid cuſtodit ſerica regis*; aperto ad *ornandi* notionem reſpectu. Alia quæ huc trahi poſſunt apud *Buxtorf.* notata ſunt. Quomodo autem *armorum* ſignif. ab *ornando* profluxerit, vel Latini docebunt; quibus *Elephantus ornatus* eſt *armatus* apud *Nepot.* in *Hannib.* Et *ornatiſſimus exercitus* eſt *inſtrumentis bellicis inſtructiſſimus* apud eundem in *Ageſil.* idem etiam ibidem hæcce copulat: *Et quo ſtudioſius armarentur inſigniuſque ornarentur.* Similia ex *Cæſare*, *Livio*, *Suetonio*, *Tacito* aliiſque obſervantur, qui omnes *ornare* ponunt pro *armare*. Arabum etiam زينة bene memini pro *armis* a me lectum apud *Abulphar.* locum tamen, quod adnotare neglexerim, dare non poſſum. Vidimus hactenus *Chaldæis* & *Arabibus* quibus *Syri* etiam & *Samaritæ* adjungi poſſunt, rad. זין eſſe *ornare*, quod idem in *Hebraiſmo* obtinuiſſe liquet ex voce זנות 1. Reg. 22: 38. *arma* exponi ſolita; & אזים Deut. 23: 13. huc pertinente, ac pro *ornamento* ibi poſito. Inde מזין reddi deberet *ornans*, hoc modo: *Et mendax ornat*

nat ad linguam funeſtam; cujus locutionis ſenſum & rationem jam nunc explicatam dabo. Dicunt Arabes; *Exornavit ipſi rem*, ut indicent, *Excitavit eum ad rem*, quaſi dicas, tanquam exoptandam ipſi rem ante oculos ſtatuit. Nihil hac locutione frequentius in Alcor. cum verbo זין. Sur. 41: 24.

زينوا لهم ما بين ايديهم

Ipſis præſentia exornarunt; ad ea fruenda incitarunt. Sur. 29: 37. *Themodo & Aado*

زين لهم الشيطان اعمالهم

Ornavit Satanas ſua ipſis opera. Eadem verba Sur. 16: 65. occurrunt. Et in paſſiv. Sur. 2: 207. *Iis qui non credunt*

زين الحيوة الدنيا

Exornata eſt vita mundana. Sic Sur. 3: 12.

زين للناس حب الشهوات

Exornatus eſt hominibus libidinum amor. Sur. 40: 40. زين لفرعون سو عمله

Exornata fuerunt Pharaoni mala opera ſua. Vel triginta ex uno Alcor. ejuſmodi exempla proferre poſſem. Eadem loquendi ratio obſervatur cum verbo حسن *pulcher fuit*, unde forte Hebr. חשן explicandum. Hinc in 2 & 4 conj. *pulchrum effecit.* Unde apud Abulphar. pag. 254. حسن له الخلاف

الخلاف *ad defectionem eum instigavit*, ad verbum, *pulchram ipsi fecit defectionem*. Sic pag. 435. حسن له ابادتهم *ad delendum eos eum impulit*: proprie: *Exstirpationem eorum ipsi pulchram fecit*. In MSS. de Vitis *Episcop. Alexandr. Omnesque in magno erant metu de facinore* الذي حسنه له الشيطان *quod pulcrum ipsi fecerat Satanas*; sic in Alcor. 35 : 9. زين له *ornata ipsi fuit malitia*, addit فراه حسنا *eamque pulchram existimavit*. Hinc locus noster verti posset: *Mendax pulchram facit linguam funestam*, quorum sensus ex notatis satis perspicuus est. Vel quia שקר *mendacium* substant. est, τὸ מוּן ad præced. מרע deberet referri hoc pacto: *scelestus attendit ad linguam vanam, pulcrumque existimat mendacium, super lingua perversa*. Recte *attendere*, & *pulchrum existimare* junguntur; nam & ita in Hist. Tamerl. est حسن له الراي *pulcram habuit sententiam eam*. i. e. *aures ei præbuit*.

Vers.

Verſ. 14. פוטר מים ראשית מרון ולפני התגלע הריב נטוש.

Conjecturam meam de vera vocis פוטר ſignificatione aperui ad *Num.* cap. 3. Major eſt difficultas in verbo התגלע. Lxx. tribus in locis, ubi tantum exſtat, triplici explicant modo. Hic ἐνδείαν reddunt; mox cap. 18: 1. ἐπονείδιστον εἶναι. Tandem cap. 20: 3. συμπλέκεσθαι. *Vulgat.* conſtantius *pati contumeliam*, *exprobabilis eſſe*, & *miſceri contumeliis.* Chaldæus אצטרי exponit voce ambigua, quam alii *deridere*, alii *deſolari* notare contendunt. Cel. *de Dieu* ultimam amplectitur notionem, & verbum התגלע unice id dicere putat. Rabbini plerumque התערב *immiſcere ſe* explicant. Vaga ſunt & incerta omnia. Arabiſmus mihi rem explicare videtur. Arabice جلع גלע idem eſt quod جلا גלה *retegere.* ה & ע permutabiles eſſe literas notum eſt. Conſimiliter גמע dicunt *Chaldæi* pro גמא *abſorbere.* גלע idem eſſe quod גלה docent Arabum Lexicographi. انجلع apud *Zjauharium* per انكشف *retectus fuit* exponitur. Hoc idem verbum انكشف verbo جلا in 5. تجلى

جلا & 7. اجلا declarando adhibetur. جلي eſt سافر *Conſpicuus*, *illuſtris* in *Camus*. Idem apud *Zjauhar*. eſt جلع ſeu potius גאלע جالع ; ſcilicet سافر uti inter alia exponit. Eſt ergo גלע idem quod גלה *retegere*, ſatis manifeſto. *Retegendi* verba Arabes ad *jurgia* transferunt. Verbum جلا גלה in 3. conjug. جالا a *Zjauhario* exponitur جاهر *aperta fronte decertare*, *contendere* cum aliquo. Illud ipſum جاهر, quod *inimicitias aperte gerere* explicant, in prim. conjug. *retegere* ſonat. كشف aliud eſt *retegendi* verbum: illud in 3. conj. iterum ad *inimicitias* refertur & a *Golio* exponitur *palam oſtendit inimicitiam*, Exemplum unum ex *Abulphar*. dabo. p. 308. *Iſte Almottaki* قد عاداكم وعاديتموه وكاشفكم *Odio vos habet*, *& vos eum odiſtis*, *& aperte vobis inimicum animum oſtendit*. Non ſatis recte Cel. *Pocok*. *vitia veſtra detegit*. كاشف eo quo dedi ſenſu ſæpe invenio. Aliud adhuc eſt كفع itidem *retegere* notans. Et hoc in 3 & 6. conjug. ad *bella* & *rixas* transfertur. *Abulphar*. p. 472. شغلهم المغول بفتور المكافحة

Mo-

Mogulenſes intermiſſis eos pugnis laceſſebant. Sic in Hiſt. Tamerl. aliquoties. Ne longus ſim plura non accumulo: ipſum etiam verbum noſtrum גלע *retegere*, in 3 conjug. جالع per عربن declarant Arabes. Hoc verbum quam vim poſſideat aperiam ex *Sadii Roſario* pag. 254. خمر خورده وعربده كرده ويكي را كشته *Vino ſe ingurgitavit, Arbada movit, & hominem interemit.* Eſt ergo *Arbada*, & התגלע جالع *inter jurgia manus conſerere, rixari.* Nimirum quum verbis non tantum, ſed & verberibus locus conceditur. Nulla equidem ſignificatio apta magis excogitari poteſt huic loco noſtro: *Initium litis fons eſt aquarum ebullientium; itaque antequam ad aperta verba & verbera deveniatur, litem deſere.* Sic cap. 20: 3. *Honor eſt homini, quum abeſt a contentionibus.* וכל אויל יתגלע *Omnis autem ſtultus nudo capite* quaſi *rixas ciet & manus conſerit.* Hanc omnem ſignificationis vim poſſidet verbum. Ceterum vehementer dubito an tertius locus Prov. 18: 1. hinc etiam exponi debeat. Omnia verba in hoc vſ. ambigua ſunt, & in bonum æque atque malum ſumi poſſunt, niſi quod התגלע in duobus locis explicitis ma-

lo ſenſu ſumatur. Itaque ſic tentabo, cuncta in malum trahens: יבקש לתאוה *Cupidinem venatur* נפרד *miſantropos*, *& omni* תושיה *induſtria*, *conſilio* מלכנא uti *Chaldæus* vertit, יתגלע *jurgia ciet.* At verum ut fateat, non ita ſeries mihi & ordo orationis ferre videtur, unde omnino Belgarum verſionem præhabeo. Recte vero ab iis verſum eſſe ſuo loco probabo.

Verſ. 27. *Cohibens ſermones ſuos, vir ſcientiam doctus* וקר רוח איש תבונה

Et pretioſi ſpiritus Vir Eruditus, vertente *Hieron.* Legit יקר; quomodo etiam *Maſſoretharum* lectio margini adſcripta præfert. Hanc lectionem amplectuntur Rabbini plurimique ex noſtris Interpretibus, etiam Belgæ: *pretioſum* autem *ſpiritu* alii aliter explicant. Vulgo ex præcedenti colo talem intelligunt, qui non temere verba effundit, pretioſa ea nimis exiſtimans. Neſcio quomodo coacti hic aliquid ineſſe mihi videtur. Radicem יקר primario notaſſe puto *gravem eſſe.* Inde *pretioſi* ſignificatio eſt aſſumta, plane uti in כבד accidiſſe videmus. Chaldæis, Syris & Arabibus יקר *gravis* notione uſitatiſſimum eſt. Hebræis כבד

a *gra-*

a *gravitate* eſt *jecur*: hoc ipſum forte Latinorum nomen ex Oriente & a יקר eſt repetendum. In Sacro Codice ita aliquando explicandum venit. 1 Reg. 5: 17. אבנים יקרות גדלות אבנים verto: *Magni lapides, lapides graves ad fundandum:* Extra rem plane videtur *pretioſos* vertere *lapides*, non enim de *pretio* ſed de *mole* & *gravitate* mentio injicienda erat. Ne nunc dicam *lapides pretioſos gemmas* eſſe: ſic ſumi etiam debet *Pſalm.* 49: 9. ויקר פדין נפשם non poteſt verti; *& pretioſa eſt redemtio animæ eorum;* nam quamquam verum hoc ſit, non tamen inſtituto ſermoni id accommodari poteſt; verto: *Nam gravis eſt redemtio animæ eorum.* Video Cel. *de Dieu* ita etiam locum hunc vertiſſe, qui conſuli meretur. Prov. 25: 17. הקר רגלך מבית רעך non æque commode alio expreſſeris, atque hoc modo: *Gravem fac pedem tuum a domo amici*, uti alias oſtendo. Ita & in loco noſtro commodiſſime ſumi poteſt: *Gravis ſpiritu. Leves* homines *futiles* ſunt & *garruli.* Quibus opponuntur *graves.* Chaldæus דמכיכא רוחיה *humilis & modeſti ſpiritus hominem* intelligit. Arab. وقر وكر *gravem eſſe* etiam exponitur, *modeſtus, manſuetus fuit.* وقار ووقور & وبقور

وقور *modeſtia*, *manſuetudo*. وقور *modeſtus*. Aliam interpretationem ſuppeditat *Chetibh* קר *frigidus* uti nonnulli, ſatis accommode. Sed & *quietus*, *ſtabilis*, *conſtans* exponi poteſt, ut Arab. قر: quam ſignificationem Hebræis cognitam fuiſſe exiſtimo propter verbum קרקר *fundare*, *ſtabilire*, uti monſtro ad Num. 24: 17. Seu itaque קר legas, ſive יקר ſenſus erit idem.

CAP. XVIII.

Verſ. 1. לתאוה יבקש נפרד ובכל תושיה יתגלע.

DIſſentiunt hic vehementer Interpretes, neque ulla in hac oratione vox eſt, quam non varie exponant. Alii omnia in malum trahunt, alii contra ea cuncta in bonum. Singulas hic ſententias proponere & examinare animus non eſt; illam tantum, quæ vero mihi proxima viſa eſt, confirmare conabor. Belgarum ea eſt, qui hoc pacto vertunt: *Deſiderabile quærit ſolitarius, & omni veræ ſapientiæ immiſcet ſe.* תאוה actionem *deſiderandi* alias indicans, pro eo quod deſideratur etiam ponitur. Sic Gen. 49: 26. Gen. 3: 7. *deſiderabile* Prov. 19:

19: 22. *Desiderabile hominis est munificentia ejus.* Sic vertendum puto. In eundem usum synonymum חמרה adhibetur. בקש in bonum esse posse extra dubium est. נבדר *solitarium* recte verti confirmat Arabismus, ubi فرد in 2. conj. significat: *Segregavit se a ceteris*, pecul. *devotionis ergo.* Ita *Golius.* Unicum est quod scrupulum injicit, *rem quæsitam* nusquam alibi per ל designari, quod sciam; sed per את vel nude. ל autem personam indicat in cujus bonum quid quæritur, vel finem etiam, cujus causa quærimus. Hinc ita vertendum videtur: *Ad hoc ut desiderabilis fit quærit solitarius*, ut virtutibus se ornet, quibus Deo & hominibus gratus sit. Plane consimiliter תאוה venit Prov. 19: 22. quem locum modo exposui. בקש *quærere* absolute uti *Esth.* 7: 7. ubi etiam finis tantum quæsitionis adest, per על designatus, cujus naturam in multis ל imitatur. Posterius colon duo continet verba, quorum prius תשיה semper bonum indicat, posterius התולע in locis, ubi præter hunc invenitur, duobus Prov. 17: 14. & 20: 3. in malum sumitur. Sed & hic nos extricabit Arabismus. Supra ad Cap. 17: 14. veram verbi signif. erui, quæ *detegere* est. Apud Arabes *detegendi* verba in 3 & 6. conj. *conten-*

tendere notare, exemplo verborum جلا & جهر & كشف & كفع demonſtravi. Verum hoc non notant verba iſta, niſi ubi circumſtantiæ & ordo orationis id poſtulat, & quandoque in bonum ſumi poſſunt. Ideo התגלע hic de *contentione* & μάχη exponere neceſſe non eſt, ſed *immittere ſe negotio*, *obire*, *tractare*, ſimpliciter. Ita كافع quod ex *Abulphar. pugnare* eſſe oſtendi, ſimplic. *immittere ſe negotio* item notat, باشر uti declarant Lexicographi. Ita in *Hiſt. Tamerl.* كافع الامر idem quod باشر به *tractavit rem*, *palam ſe immiſit*.

Verſ. 8. דברי נרגן כמתלהמים.

Sententia eadem eſt, quæ infra cap. 26: 22. repetitur, in cujus ſenſu inveſtigando magnopere laborant Interpretes, nec exitum inveniunt. Sunt qui radici להם adſignant *blandiendi* notionem, ut *Kimchius* in Lexico, quique eum ſecuti ſunt Viri Docti non pauci; quo jure quove fundamento ipſi viderint. *Vulgat.* conſtanter *ſimplicia* dedit pro מתלהמים ex ſenſu puto, uti etiam ſuperiores illi. Alii autem, quibus

ſignif.

ſignif. hæc non certa ſatis videbatur, recurrendum putarunt ad rad. הלם quod eſt *percutere*; unde להם idem eſſet per *Metath.* Sic *Mercerus*, *Buxtorfius*, alii, & ante eos *Raſchi* & *R. Levi.* Quorum partim hunc exprimunt ſenſum: *Verba Suſurronis ſunt ſimilia interfectoribus*; partim: *ſunt vulnera:* alii denique (omnes enim hic annumerare ſententias mihi tædio foret) *ſunt percuſſorum* quaſi *& contuſorum*, qui oſtendunt plagas & vulnera, ut miſerationem moveant; quod ſane quo modo hic ſatisfaciat, mihi videre datum non eſt; non quod Virorum Magnorum eruditas commentationes ex mea ingenii tarditate metiri velim, ſed quod vel minimam rationem dari poſſe dubitem, cur להם ſit *contundere*, nam illatio ex ſyllabarum aut literarum ſimilitudine tam incerta eſt & lubrica, ut nihil ſupra. Tutius ego pedem figi in Arabiſmo poſſe exiſtimo, ubi להם peruſitatum eſt, & ſignif. poſſidet tam commodam tam pulchreque convenientem, ut promittere mihi fere auſim, ſi Doctis hanc propoſuerim, non ingratum me facturum. Verbum להם igitur ſeu لهم a *Golio* in 4 & 10 conj. quæ Hebr. *Hitpah.* reſpondet exponitur, *clandeſtino inſtinctu docuit*,

cuit, inſpiravit. Notandum autem, hoc verbum fere non niſi de inſtinctu afflatuque Divino uſu venire. Mihi quidem certe alio ſenſu nondum occurrit. Ex multis exemplis pauca hæc habeto. *Abulph. Hiſt. Dyn.* 560. والحمد لله علي ان شرح صدر الاسلام والهمه شريف هذا الالهام *Laus Deo ſit, qui pectus ipſius Iſlamiſmo aperuit, atque egregio hoc inſtinctu afflavit.* Auctor *Hiſt. Tamerl.* votum nuncupans, in initio operis ſui, hanc precem concipit والملك سئاله الهام الصدق *A Deo autem inſtinctum precamur veritatis* &c. *Alcor.* Sur. 91 : 8. فالهمها فجورها وتقواها *Et inſpiravit ei* (animæ) *tum injuſtitiam, tum pietatem.* Quem locum protuli, ut tam de malo quam de bono inſtinctu ſumi indidem conſtaret. Loci nunc noſtri explicationem aggrediar: *Verba Suſurronis, ut ſi numine quodam eſſent afflata, ita deſcendunt & penetrant in penetralia cordis.* (ut poſterius hemiſtichion ſimul adjungamus,) ſeu *ventris*; ut vulgo reddunt. Satis patet בטן hic eſſe *animum*, ut alias non infrequenter, neque de eo dubitant Interpretes. Illud quoſdam male habet,

habet, quomodo *animus* ex *ventre* ſit dictus. Ego tam *ventrem* quam *animum* בטן appellatum puto a primaria ſignif. *interioris*, quam ſub rad. بطن conſervarunt Arabes; ut בטן proprie notet, *quod interius eſt*, quod animo æque ac ventri convenire apertum eſt. Sed in viam redeundum eſt. Hanc igitur mentem fuiſſe ſapientiſſimi Regis puto, quam uſus certe rerum quotidianus & experientia comprobat, non ulli æque rei tamque leviter fidem haberi, atque ſuſurris iſtis & clandeſtinis exiſtimationibus, quibus tanquam Oraculo cuidam adſenſum præbent vulgus, quæque in intima animi penetralia admittunt. Vel ſic: „ *inſinuant* ſeſe ſenſim & quaſi ſine ſenſu „ tanquam *lenis quædam inſpiratio*, ſic„ que penetrant ad *intima* cordis & animi. Quæ ſunt verba Clar. *L. Capell.* qui Arabum لهم hic ſenſum præſtare commodum jam in *Notis* ſuis *Critic.* monuerat, a quo ſi me mea hic mutuatum eſſe credas, quod nonnulli tantopere reformidant, pluma haud intereſt, tantumque abeſt, ut hæc cum ante me ſcripſiſſe doleam, ut contra ea, vehementer id gaudeam, tantæ auctoritatis Viri Judicio, apud omnes Doctos merito magni habito, meam opinio-

nem non parum momenti ſibi promittere poſſe. Aliud adhuc ſuccurrit, quod etiam alienum non eſt. Scil. illa ſignif. *inſpirationis*, qua verbum لهم in 4. & 10. conj. gaudet, a primaria ſignif. deducta eſt, *deglutire buccellam*, a qua ſignif. quomodo *inſpirandi* notio derivetur *Jeremias* docebit & *Ezechiel* & *Johannes* in *Apocal.* qui omnes verba Dei Spiritu inſpirata buccellæ deglutitæ comparant Jer. 15. Ezech. 3. Apocal. 10. Eſt ergo להם proprie & primario *deglutire*. *Giggejus* ex *Camuſo*. لهمه *deglutivit illud:* تلهم & التهم idem: اللهم *cum quid deglutitur:* رجل لهم & لهوم & ملهم *helluo*, *vorax*. Inde התלהם eſſet *deglutiendum dare*, & ſenſus verborum Salomonis hicce: *verba ſuſurronis ſunt tanquam buccellæ quædam, quæ deglutiendæ dantur, quæque* leniter & facile *in penetralia ventris tranſeunt*. Certe اكلة eſt & لقمة *buccella*, & غيبة *obtrectatio*, & verbum اكل in 4. *edendum dedit* & *obtrectavit*, & hic forte אכל קורצא quæ tamen aliter ſumi poſſunt. Sed ſimile plane eſt nomen ضفاز quod *obtrectatorem* dicit a verbo ضفز *buccellas alicui in os ingerere*, quia, inquit

Go-

Golius ex *Zjaubari*, *calumnias leniter aliis devorandas concinnat.* Sic Chald. טלומיא quod *calumniatorem* exponi posse negat Buxtorf. in Lex. Thalm. ego non male ita sumi probare possem ex Arabico طلم *buccellas formare*; unde طلوم esset *buccellarum formator* sensu quo mox vidimus; & id locus *Proverb.* postulare videtur.

Vers. 19. אח נפשע מקרית עז

Innumeræ sunt hujus loci versiones, quæ omnes ortæ exinde sunt, quod vim verbi נפשע non satis perspectam habuerint Interpretes. Commune illud puto cum plurimis tam præced. quam subseq. voci, & æque ad אח referendum, atque ad קרית, quod efficit *Mem* comparationis. Ad verbum itaque hoc pacto verto: *Frater rebellis, præ castro munitissimo*, repete ex communi *rebellis est.* Quamquam & sic posset: *Frater rebellis est præ castro* &c. Ubi tunc per *fratrem* omnino *rebellem* intelligere ipsa res docet. Has duas interpretationes patitur fere Hebraismus. Unde ergo est quod tam discrepent hic Interpretes & in diversissima abeant? Non alia est ratio, quam quomodo utrique, tum *fratri*, tum

caſtello *rebellis* tanquam epitheton conveniret, non viderint. Utrumque aperiet Arabiſmus. *Frater rebellis* ſtylo Orientis, eſt *amicus* vel *frater moroſus*, *difficilis*, *faſtidioſus*, *contumax*, αὐθάδης, *obſtinatus*. Arab. عبي eſt *rebellem eſſe*, unde *ibba* nomen Diaboli apud *Herbelot. Bibl. Ori:* quaſi *rebellem* dicas; inde ابي *homo obfirmati & obſtinati animi*. Commodior eſt etiam radix عصي quam *Golius* per *rebellem eſſe*, *deficere* exponit, ex *Alcorano* notiſſima per impiam & horrendam Verbi Divini corruptionem, in Exod. 19. *Omne quod Deus juſſerit* נעשה *faciemus;* quod ille hominum audaciſſimus nefando ſcelere vertit in عصينا *rejiciemus*. Sur. 2: 87. & Sur. 4: 48. Sed ad noſtra revertamur. Ab hoc verbo non tantum عصي ſæpe eſt *difficilis* & *pertinax*, ſed ſimul etiam, quo modo *rebellis* cognomen *caſtello* quadret, feliciter aperit. In Lexicis quidem nihil quicquam ea de re invenias, ideoque majori ſtudio demonſtranda venit. *Arx rebellis* non ſemper eſt quæ a Domino ſuo defecit, ſed *munitiſſima*, quæ non facile expugnari poſſit. Hiſt. Tamerl. p. 258. Urbem *Sinopen* (Clariſſimam ſimul & antiquiſſimam, quam

ad

ad Argonautas adſcendere ferunt) deſcribit tanquam munitiſſimam & inexpugnabilem, adjiciens tandem اعصي من ابليس *Rebellior erat quam Iblis* i. e. *Diabolus.* De *Diabolo* proprie, de *caſtello* improprie, ut in illo *Ciceronis* de *Nat. Deor. in quo quidem magis tu mihi natare viſus es, quam ipſe Neptunus.* Iterum pag. 238. *Erat caſtellum hoc in eis, quæ in mundo percelebrata ſunt,* بالمناعة والعصيان *difficultate expugnandi & rebellione.* Et pag. 261. واضرمت في قلب خاطبها بتمنعها وعصيانها النار *Erat caſtellum, quod acerrima defenſione, & munitione ſua firmiſſima animos ambientium ſe urere poterat.* In Arabico eſt *rebellione ſua.* Et proxime: اعصي من قلاع الجبال *Caſtellis in montibus ſtructis rebellius:* i. e. *capi difficilius.* Sic pag. 69. القلاع العاصية *Arces rebelles*, i. e. *munitæ.* At quid omnia hæc loca, ubi ita verbum venit, exſcribo? vel in uno auctore noſtro plus vicies hac ſignif. uſurpatur. Neque vero Hebræis auribus inſolens id eſt: Dicuntur enim *montes rebelles*, id eſt, *ardui, prærupti, aditu difficiles* uti ad Jerem.

50: 6. & *via rebellis*, id eſt, *difficilis, impervia*, uti ad Thren. Jer. Cap. 3: 11. infra latius oſtendam, ſuo quodque loco; unde patet omnia quæ reſiſtunt & difficulter obſequuntur *rebellia* dici. Ita *fluvius rebellis* & abſol. العاصي *Rebellis* appellatur hodie Syriæ celeberrimum flumen, cui *Oronti* nomen apud Antiquos erat. Nomen inde ſortitum dicunt, quod quum cetera flumina facile ſe ex alveo duci & derivari patiantur, hoc unum non niſi grandium ope rotarum ex alveo deductum rigandis agris inſerviat.

Facilis hinc ſententiæ obſcurioris explanatio: *Frater rebellis*, id eſt, *moroſus* aut *obſtinatus*, *arce munitiſſima rebellior eſt*; id eſt; nec ratione nec vi ab animi confirmati propoſito divelli poteſt, & expugnari. Vel ſic: (duplicem enim expoſitionem verba ferre diximus.) *Frater arce munita rebellior eſt.* Nempe ſi ita accidat, ut *rebellis* ſeu *difficilis* ſit, *arcem* prius *rebellem*, id eſt, *munitam* expugnaveris, quam illum ab obſtinata mente abduxeris. Cui geminum plane eſt illud Græcorum apud *Eraſm.* in *Adag.* χαλεποὶ πόλεμοι ἀδελφῶν· ubi ſenſus nos communis docet, id intelligendum eſſe. Si ita acciderit, fratres

inter

inter ſe digladiari, longe graviorem eſſe eorum diſcordiam quam alienorum; & *Taciti* gnome: *Acerrima ferme proximorum odia ſunt.* Hiſt. Lib. 4. Ita & *Ariſtot.* πρὸς τὰς ξυνήθεις ἢ φιλὰς ὁ θυμὸς αἴρεται μᾶλλον. *Lib. 7. Polit cap. 7.* ubi hæc exſequitur, & cauſam adfert. Hanc meam expoſitionem, tum præced. tum ſubſeq. plane confirmant, quod cuilibet locum inſpicienti apertum fiet.

Non poſſum non hoc loco monere primam in *Aſiongaber* עציון גבר appellationem ab Arabica rad. عصى *rebellem eſſe* derivandam videri, percommode ab firmitate ejus & munitione tracto nomine. *Jonathan* certe *Num.* 23: 35. & *Deut.* 2: 8. ſua lingua reddit כרך תרגולא *Arcem galli.* Ergo עציון *arx* eſt vel *caſtellum.*

CAP. XX.

Verſ. 21. נחלה מבחלת בראשונה

ITa legunt antiquiores Codices, MSS. etiam quidam optimæ notæ conſtanter מבחלת per *Cheth:* itidem editiones Venetæ, Bombergianæ magnæ & parvæ aliæque melioris notæ. Hodiernæ autem

verſiones plerumque מבהלת cum *He* videntur legiſſe, quam etiam lectionem *Veneta* mea edita in fol. & *Bomberg.* magna margini adſcriptam habent; Plantina autem Edit. mea in 4°. de alia lectione nihil quicquam monet, quam per *Cheth.* *Ab. Eſra* etiam fatetur veram eſſe ſcriptionem per *Cheth.* וכתוב בח"ית *ſcribitur per Cheth.* Omnes tamen fere, ut dixi, Interpretes verſionem adornant, ac ſi lectum eſſet מבהלת. Verti enim ſolet: *Hereditas præmaturata in principio.* Qui ſane error, ſi error dicendus eſt, multo eſt antiquiſſimus. Lxx. enim, Vulg. eoſque ſecuti, *Chaldæus* etiam paraphr. textum ita legerunt. Quod non aliunde ortum puto, quam ex verbi בחל raritate, non enim alias quam hic & *Zach.* 11: 8. radicem hanc invenias, ejuſque adeo ſignificatio incerta eſt & perobſcura. Contra ea, בחל pervulgatum eſt. Putem tamen propter MSS. auctoritatem, מבחלת veram eſſe lectionem: ſignificat. commodam ſuppeditabit Arabia; ubi بخل notiſſimum eſt pro, *Avarum eſſe*, Synonymum verbo شح, per quod a Lexicogr. Arabum declaratur. Hanc ſumam mihi veram eſſe verbi noſtri בחל notionem, unde hæreditas מבחלת erit,

avare,

avare, sordide, quæstu illicito *acquisita hæreditas*, qui sensus cum eorum mente, qui *festinatam* dant *hæreditatem* plane convenit, nam & illi *non honeste paratam* intelligunt. Posset & sic exponi: *Hæreditas avare habita in initio* (unde nihil pauperibus confit), *ejus extremum benedictione carebit*; cui contraria ponitur sententia inf. 22: 9. & alibi. Illud etiam in versione nostra commodius videtur, quod nunc duo versiculi cola, ut moris est, inter se opponuntur; nam *sordide agere*, respondet τῷ ברך quod est *beneficiis prosequi*, non raro. Hæc etiam signif. loco *Zachariæ* apte quadrat, quod ibidem loci ostendam. Ceterum si מכהלת legendum alicui placeret, percommoda hic foret significatio verbi Arabici جهل, quæ est *maledicere*, *execrari*, contrarium τῷ ברך in posteriori hemistichio: *Hæreditas est, cujus male dicitur initio, & extremo ejus non bene dicetur.* Neque cuiquam similiorem invenias Salomonem, quam sibi. Infra cap. 30: 11. *Est genus, quod patri suo maledicit, & matri suæ non bene dicit.* Lxx. certe Interpretes *execrandi* signif. sub verbo בהל admiserunt, unde *Esai.* 65: 23. *Electi mei non creabunt liberos* לבהלה ipsi reddiderunt *εἰς κατάραν· nam*, addit propheta, *semen* ברוכי

ברוכי המה *ſunt benedictorum.* Ubi iterum בהל & ברך opponi videmus. Sed ut verum fatear hæc incerta mihi ſatis videntur & ambigua. Nam apud Eſai. vulgaris ſignif. ſatisfacit, & ex Proverb. loco nihil certi efficitur, utpote de cujus lectione non conſtat.

Verſ. 25. מוקש אדם ילע קדש ואחר נדרים לבקר

Diverſiſſimæ ſunt Interpretum expoſitiones, quas hic cumulare non eſt animus. Adeat, cui volupe eſt, *Mercerum, Pagnin. Vatablum, L. de Dieu* alioſque. Difficultas ea ex re oritur, quod ילע קדש vertendum putent, *abſorbet ſanctum, ſacrificia.* Ita tamen non fecerunt Lxx. & *Chaldæus* cum *Kimchio*, uti oſtendo ad *Obad.* vſ. 16. ubi latius hunc locum examino. Verti: *Laqueus eſt homini, quum ſanctitas vana eſt*, vel, *quum inanis eſt quoad ſanctitatem* veram, *votis eam quærere.* Laqueus eſt Diaboli hominem irretiens, & ad certiſſimam trahens perniciem, vera quum ſanctitate, & interna animi caſtitate vacuus ſit, ut eam in externo cultu & votis religioſis quærat, indeque ſalutem ſibi promittere audeat.

deat. Verbum לוע ſeu לעה potius, tribus in locis, ubi occurrit tantum, ad notionem *vani* percommode poſſe reduci, Eruditis examinandum propono ad *Obadiam* loco citato.

CAP. XXI.

Verſ. 14. מתן בסתר יכפה אף

CLam *largitio iram* יכפה. Verbum eſt, non alibi, quam hoc in loco, lectum. Quare Interpretes diſſident aliis ad vicinam radicem כפף aliis ad כבה recurrentibus. Qui priori modo, hunc dant ſenſum: *Largitio incurvat*, id eſt, *ſupprimit iram*. Sic Lxx. & Rabbini *Eſra*, *Kimchi*, *Levi*, ex noſtris etiam non pauci, & noviſſime Guſſetius. Qui poſteriori modo, ita verba exprimunt: *Largitio exſtinguit iram*. Ita Chaldæus qui מרעכא habet a רעך *exſtinguere*. Ita Vulgat. etiam; noſtrorumque Interpretum quam plurimi. Quæret quiſpiam; quid! hæccine non ſatisfaciunt. Difficulter id affirmarem, eſt tamen quod habeo forte melius. Ego utramque probam video interpretationem, ſenſumque explentem; & utram harum eligas, rationem non

non defuturam. Pro priore ſtaret conſimilis notionis confuſio in שנג & שגה in חקק & חקה aliiſque radicibus. Ultimam firmaret Phe in β mutandi prona facilitas, ut in נצץ & פצץ & ſimilibus; Etiam illud adjungo, non facile convenientem æque ac poſteriorem illam inventum iri ſignificationem; ſedationem enim iræ, quam ardori tum Sacri tum profani Scriptores comparant, nihil efficacius indicabit, quam *extinctionis* vocabulum. Atqui idem ego contendo, fallacem eſſe maxime ex literarum affinitate factam illationem; cui præterea accedit verbum כבה intranſitivam habere vim, quibus denique, ni levius id foret, ſubjungerem, in Sacro Codice *iram* nuſpiam *exſtingui* dici. Quod ſi in Arabia ſub radice noſtra כפה convenientem invenio ſignif. non aſpernandam eam puto, ſtabiliuſque forte habere fundamentum nonnulli cenſebunt. Arabice כפה ſeu كفي (Hebr. ה ult. quieſc. Arabes ſemper in ي mutant vel و) notat *ſufficere* ſeu *ſatis eſſe*: Unde in Alcorano ſæpiſſime كفي بالله وكيلا *Deum habere tutorem ſufficit*, vel potius, *ſufficiens eſt Deus pro tutore*. Prima fronte neutiquam hæc ſignif. convenire videbi-

debitur, at aliter faciam ſentias. Elegantiſſimam longe hinc formant locutionem, كفي شي abſque præpoſit. ulla, *ſufficit rei*, non ſenſu Latino, ſed prorſus alio, ut dicant aliquem poſſe amovere & averruncare talem rem, quam effugere & declinare volumus. Hoc eo libentius docebo, quod non hujus tantum locī explicationi multum inſerviat, ſed ſimul etiam locutionis Hebræorum pulcherrimæ ab Eruditis non ſatis intellectæ rationem aperiat. Alcor. Sur. 15: 95. انا كفيناك المستهزئين *Nos certe tibi ſufficimus* (contra) *deriſores*, ab iis te liberare poſſumus. Clarius *Abulphar.* p. 432. وكفي الناس شرهم quod Celeberr. *Pocok.* recte vertit: *Homines ab eorum injuriis liberavit.* In Arabico eſt: *Hominibus ſuffecit eorum injuriis.* Et pag. 503. اذا كفيت شرهم *Pocok. Quorum metu quum liberatus fuero.* In Arab. eſt: *Quorum malitiæ quum ſuffecero.* Hiſtor. Tamerlan. pag. 48. ان ساعدتماني يدي كفيتكما هذا النكد id eſt, *ſi mihi opem ambo tuleritis, vobis ego huic moleſtiæ ſufficero* nempe *amovendæ.* Et pag. 323.

واختم

واختم لنا بسعادة تكفي بها شر الغرور

Obſigna nobis beatitatem, qua Satanæ malitiæ ſufficiamus. Et Tim. p. 337. وقيتم الضر *Malo provideritis*, & وكفيتم الضير *damnum amoveritis.* כפיתם *ſuffeceritis.* In omnibus his obſervandum venit nullam intercedere præpoſitionem, quod in loco noſtro etiam ſervatur; verto itaque illa יכפה אף *ſufficit iræ largitio clandeſtina*, Hoc eſt, *eam reprimere & temperare* aut *amoliri poteſt.* Hanc loquendi rationem Hebraiſmum etiam habuiſſe, conſtat ex Deuter. 15: 8. ubi aqua multis hæret Interpretibus. Verba legis ſunt: *Mutuum dabis fratri tuo* די מחסרו: hærent, ut dixi, Interpretes, qui די חלב *ſatis lactis* eſſe videbant Prov. 23: 27. די שה *ſufficientiam ovis* ad ovem habendam Levit. 5: 7. & די השיב *quantum ſatis ad reſtituendum* Lev. 25: 28. unde די מחסרו eſſet *ſatis indigentiæ*, ut די בוזן Eſt. 1: 18. *ſatis deſpicationis*, quem tamen ſenſum loeus Deut. plane reſpuit. Ex iis quæ jam annotavimus liquet די מחסרו poſſe & debere exponi: *Quod ſufficit indigentiæ ejus*, hoc eſt, quod eam ſublevare poteſt.

teſt. Et ita in Hiſtor. Tamerl. pag. 269. وكفيناك وعيالك العيلة *Et tibi, & familiæ tuæ, nos ſufficiemus indigentiæ*, hoc eſt, *nos veſtram indigentiam tolerabimus.* Similis eſt loquendi modus cum verbo غني *ſufficiens fuit*; unde Deus in *Corano* ſæpiſſime الغني audit, id eſt, *ſufficiens* שר, Sur. 35 : 16. & 64 : 6. & 10 : 69. & alias. Hinc dicunt أغني عنه شي *Suffecit pro eo ei rei* amovendæ ſcil. ut Cor. Sur. 40 : 50. هل انتم مغنون عنا نصيبا من النار *An vos ſufficitis pro nobis parti ignis; abſtinendæ* ſcil. ſeu *avertendæ.* Nec abludunt ſequentia, quamvis aliam quandam induere videntur rationem, tum quod tranſitive efferenda ſint, tum quod præpoſitio intercedat. Alcor. Sur. 88 : 8. لا يغني من جوع *Non ſufficientem reddit a fame*, Hoc eſt, *famem tolerare non poteſt.* Sur. 77 : 31. لا يغني من لهب *non ſufficientem præſtat a flamma*, hoc eſt, *flamma liberare non poteſt.* Et ejuſmodi infinita obvia. Ex hiſce vero non abſimile videri puto, radicem כפה Veter. Hebr. eandem habuiſſe ſignif. quam habet كفي *ſuffecit*; & aliquando

quando *sufficienter reddidit, pensavit*, uti in 1. & 3. conjug. quem usum in Scriptura etiam observarem, si ratio Rabbi *Judæ* constaret. Nempe Rabbi iste a *Kimchio* in *Lib. Rad.* laudatur, tanquam qui locum *Mich.* cap. 6: 6. ubi legitur אנף a כפף vulgo, & recte explicari solitum, ad radicem נפה referendum putaverit. Non tempero hic mihi, quin illustratam aliquanto dem phrasin supra a me citatam Est. 1 : 18. וכדי בוזון וקצף quam Veteres Interpretes non recte intellexisse video. Verba sonant: *Et satis tunc erit despicationis & irarum.* Figura est quæ minus dicit quam intelligi vult. *Multum* enim *despicationis* indicare vult. Latini ita locuti sunt, sic Itali hodie & Galli. In Arabia idem plane obtinet. Ex multis unicum, ut brevis sim. Coran. 4 : 53. *Nonne vides, quomodo de Deo mendacia cudant* وكفي به اثما مبينا *Satis hoc est peccatum apertum.*

CAP.

CAP. XXVI.

Vers. 7. דלין שקים מפסח

LOcus obscurissimus est, qui in diversa rapit Interpretes. Vulg. *Quomodo pulcras frustra habet claudus tibias*, sensum non verba exprimens. R. *Jehuda Hiug* apud *Kimch.* דלין exponit per גבהו, *elata sunt crura claudi:* at דלה *altum esse* non notat. Ipse *Kimch.* הרימו *tollite, auferte crura ab claudo* כי מה יועילו לו *nam quorsum ei erunt?* Ergone putat *Kimchius* claudis crura sua nulli esse usui? mitto דלה non esse *tollere, auferre*, quare etiam Belg. nostra versio propius aliquanto ad vim verbi דלה accedens habet: **Heft de benen van den kreupelen op.** At præterquam quod hoc pacto nativa vis דלה non plane retineatur & sententia sit minus aperta, applicatio ad *verbum sententiosum in ore stulti* non juste procedit. Mitto nunc illos Interpretes, qui דלין ex radice דלל *attenuari* sibi exponendum sumserunt; *Debilia sunt crura* &c. nam τὸ י manifeste contrarium arguit. Conjectura mea hæc est. Verbum דלה notat *haurire aquam ex puteo, extrahere situla ex puteo:* unde דלי *situla*, quæ satis nota sunt: inde omni vi

& efficacia verbi דלה retenta, locum noſtrum ita verto; *ſitulas agunt femora claudi, ſitulas ex fundo putei aquam extrahentes referunt*; tanquam *aquam ſitulis hauriunt femora claudi.* Scil. quemadmodum ſitulæ binæ in puteo alternis vicibus aſcendunt & deprimuntur, ita ſunt femora claudi, nam latere dextro inclinante, ſiniſtrum ſurſum cedit & vice verſa. שקים מפסח verto ſimpliciter *femora claudi*; nam מן aliquando *Genitivum* format, ut noſtrum **van / de benen van den kreupelen /** pro **de benen des kreupelen.** In Arabiſmo hoc frequentiſſimum eſt. *Alcor.* 19: 3. انّي وهن العظم منّي

Utique oſſa mea debilitata ſunt. עצם מני *Oſſa a me*, id eſt, *oſſa mea*, **de beenderen van mp.** Ita *Cor.* 69: 46. قطعنا منه الوتين

præcidemus venam ejus; ותין כנה *vena ab eo*, pro *ejus.* τὸ منه præpoſitum eſt metri cauſa, ſeu رعاية القافية τῆς *Kaſia*, ſeu ὁμοιοπλώσεως *ſectandi gratia*, qua vehementer admodum delectantur Arabes. Sic apud Poëtam *Abulolam*

ملات به صدورا من اناس

Repleviſti ea pectora hominum:

צרור כן אנאס *pectora ab hominibus*, **de borſten van**

van de menſchen. Ita etiam in Damir. وتر من ذيب *Nervus lupi*, & Coran. Sur. 40: 50. نصيب من نار *pars ignis*. Arabiſmum hunc etiam in *Jobo* obſervo. Cap. 5: 16. ישע מחרב מפיהם En hy bewaart uit het ſweert van haren mond / *a gladio oris eorum*, uti optime hunc locum *Vulg.* expreſſit. Cap. 6: 25. ומה הוכח הוכח מכם & *qualis redargutio*, & *redargutio veſtra?* הוכח מכם het beſtraffen van u lieden / *redargutio a vobis*, plane ut Arabes תקוה מכם ſeu تقري منكم *pietas a vobis*, pro *veſtra*, in *Alcor. Sur.* 22: 38. & ياس منه *fortitudo ab eo*, pro *ejus* apud *Tograj.* Poëtam vſ. 11. Ita etiam apud *Abulolam* Poëtam جري منه *curſus ejus*, & حقد منها *ira ab iis* pro *earum*. Non ergo inſolens in Hebraiſmo cenſeri debet מן *Genitivum* notare, adeoque שקים מפסח per *femora claudi* omnino verti debere puto. Supereſt ut oſtendam, comparationem, qua claudicantis femora ſitulis alternatim aſcendentibus aſſimilantur, a genio & ſtylo Orientalium non abhorrere. Similem quidem plane comparationem non inveni adhucdum, attamen non multum abludunt ſequentia. Ob

incertam & inſtabilem belli aleam ſolenni proverbio dicunt Arabes: الحرب سجال *Bellum ſitulas refert.* Scil. quemadmodum ſitulæ alternis vicibus aſcendunt & deſcendunt, ita anceps belli alea elatum deprimit, depreſſumq; in altum evehit. H. *Tam.* p. 367. وان الحرب كما علمت سجال وكما ادبل لك علينا بالامس فان غدا لنا عليك يدال. *Bellum, ut noſti, ſitularum inſtar eſt, ut heri tibi favit, ſic cras mihi favebit.* Pro *favit* in Arabico eſt verbum دول quod idem eſt cum Hebr. דלה. *Damir* in cap. de *pardo.* طبعه في عداوة الاسد والظفر بينهما سجال *Naturale ei odium cum leone intercedit, victoria autem inter eos ſitulæ*, id eſt, *Alterna eſt.* Ita dicunt etiam الدهر دول *mundus ſitulas refert*, ſcil. per vices & viciſſitudines دول דול enim idem eſt quod دلى ſeu דלי per *metath.* Neque errare me puto ſi radicem Arabicam دول, quæ *fortunæ viciſſitudines* notat, ab Hebr. דלה derivaverim. Similis etiam eſt comparatio apud *Arabſj.* in Hiſt. *Tamerl.* p. 317. elegantiſſimis hiſce verſibus

الدهر

الدهر دولاب يدور فيه السرور مع
الشرور
وبينا الفتى فوق السماء واذا به
تحت الصخور.

Mundus rota eſt aquaria, qua convertuntur tam læta quam adverſa.
Subinde aliquis ad extremum faſtigium evehitur, quem deinde ſub terram depreſſum videas.

In *edit. Gol.* pro تحت legitur فخت manifeſto, at prono lapſu. Majore equidem jure putem *femora* claudicantis *ſitulis* alternatim aſcendentibus poſſe componi, quam vel *mundum*, vel *bellum*, vel *victoriam*: hæc enim non niſi cogitatione ſimilitudinem referente ſitulis comparantur, at femora alternis vicibus inclinantia ipſas quaſi ſitulas ante oculos ſiſtunt. Neſcio an huc faciat locutio Arabum اندال البطن cum *ventrem laxum* &, *pendulum pinguedine* indicare volunt, quod in inceſſu nunc ſurſum, nunc deorſum motitetur. Verbum اندال eſt ſept. conj. a دول quod, ut monui, ab Hebræo דלה eſt. Ap-

plicatio ad ſententiam in ore ſtulti non adeo evidens nunc mihi apparet: *Situlas referunt femora claudi; ſic ſententia in ore ſtulti.* An dicemus id velle *Salomonem*, ſententias & verba ſtultorum ſapientia, quæ quandoque mittunt, male ſecum cohærere & claudicare? Vel an potius ſtatuemus, ſententiam & dictum ſapiens in abuſum trahi a ſtultis, & flagitiis æque defendendis, atque virtutibus collaudandis advocari? hoc certe pacto *ſententia ſitulas referet;* quum nunc in bonam, nunc in malam partem rapietur. Conferri etiam meretur locutio non diſſimilis 1. Reg. 18: 21. עד מתי אתם פסחים על שתי הסעפות de populo, qui nunc ad Jehovam, nunc ad Baalem colendum inclinabant.

CAP. XXVII.

Verſ. 6. נאמנים פצעי אוהב ונעתרות נשיקות שונא.

NEque de ſenſu ſatis, neque de ſignificatione verborum hic conſtat Interpretibus. *Vulgata* non vim verborum ſed ſenſum fere exprimit: *Meliora ſunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oſcula odien-*

odientis. Lxx. preſſius Hebraicis verbis adhærent; eodem tamen redit eorum verſio. Difficultas eſt in voce נעתרות quæ vehementer hic torquet Eruditos Interpretes; nam ex duabus ſignificationibus, quas ſub radice עתר receperunt, quam vere nunc non anquiro, neutra huic loco recte convenit; nec *abundandi* ſcil. notio, nec *orandi:* ſunt tamen qui ita reddi poſſe putant: *Et oſcula oſoris abundant*; quod quam cum hemiſtichio priori parum cohæreat, cuilibet cernere licet. Mitto nunc ſignificationem eam plane incertam eſſe & dubiam, unde nec Veteres eam Interpretes nec Rabbini agnoverunt. Sed hæc copioſius alias & diligentius. Altera, quæ certior eſt, ſignificatio *orandi* in verbo עתר, æque parum convenit. Vertitur hinc quidem vulgo: *Oſcula oſoris deprecanda ſunt;* in quam etiam mentem Belgarum verſio concedit. Id tamen Hebraiſmus haud patitur. עתר enim in *Niphal* non eſt *precibus* quid *avertere* ac *deprecari*, ſed *exorari* notat & *propicium reddi.* Eſai. 19: 22. נעתר להם *Exorabitur iis.* Ita 1 Chron. 5: 20. *Deumque in bello advocarunt*, ונעתר להם *& exoratus eſt iis.* Atque ita etiam 2 Sam. 24: 25. Itaque & hic vertendum foret *Oſcula oſoris exorantur,*

quod abſurdum eſſet. Haud multo felicius Rabbini hic rem inſtituunt, ex quibus *Ab. Eſra* נעתרות exponit עבות, id eſt, *denſa*, atque ex mente etiam quorundam חזקות *fortia*; *Kimchius* etiam in *Libr. rad.* עבות *denſa* vertit; quid autem per *oſcula denſa* intelligat, ulterius non explicat, uti nec *Ab. Eſra*, niſi quod eum fortia ac crebra oſcula, quæ amicitiam mentiantur, cogitaſſe, conjectare licet. *R. Salomon* נעתרות dicit eſſe לשון גודל quaſi *grandia* dicas & *ſuperba oſcula.* Omnes hæ expoſitiones partim, ut vidimus, non conveniunt, partim fundamento carent. Vero nihil propius videtur quam ut נעתרות ſit oppoſitum נאמנים in priori hemiſtichio. Sicut enim *oſcula* נשיקות *vulneribus*; פצעי, *blandus amicus*, quem verius שונא *oſorem* appellat, quod peccatis indulgens præcipitem amicum ferri ſinat, *ſincero amico* ac vere אוהב *amanti*, opponi videmus, juſte inde concludi puto etiam נעתרות contrarium eſſe verbi נאמנים, quo modo jam olim paraphraſtes etiam *Chaldæus* judicavit; cum enim נאמנים per שפירין *pulcra, bona* expoſuerat, illud נעתרות tanquam oppoſitum prioris ac contrarium eis בישין *mala* reddendum putavit. Neque aliunde eſt quod Hieron.

frau-

fraudulenta habeat *oſcula*, quam quod נאמנים quod aliquando *fidelia* notat, opponi videret. Arabiſmus ſi hic attendatur, confecta res erit. Arabicum enim עתר ſeu عثر contrarium eſt plane verbi אמן apud Hebræos; ſicut enim hoc apud Hebræos *firmam* dicit *conſtitutionem*, pedumque & ſtatus firmitatem, ita illud contra ab Arabibus de *cæſpitatione* & *lapſu* uſurpatur. Nimirum verbum עתר عثر ab Arabum Lexicographis declaratur per زل *Zalla cæſpitare, præcipitem labi.* Multus ejus & frequentiſſimus in Arabia uſus eſt; ne longus ſim in exemplis cumulandis, en tibi duos verſiculos, ubi verbum עתר quater adhibetur.

يصاب الفتي من عثرة بلسانه
وليس يصاب المرء من عثرة الرجل
فعثرته في القول تذهب راسه
وعثرته بالرجل تبرا علي مهل.

Malum reportat homo ex lapſu עתרה *linguæ, non item ex lapſu pedis.*
Lapſus enim in ſermone caput quandoque aufert, lapſus vero pedis lento corrigitur greſſu.

Eandem autem vim fere ac poteſtatem habet עתר apud Arabes, quam apud Hebræos כשל, unde ei in verſionibus Arabicis reſpondere ſolet. De ſenſu jam porro Proverbii inquiramus. *Oſcula* שונא *ſunt* נעתרות. Ubi primo notandum, illud *ſoue* hic non eſſe *oſorem*, qui apertas gerat inimicitias, ſed *dulcem* dicere ac *blandum amicum*, qui adulatione, blanditiis, aſſentatione utitur, quem iccirco *oſorem* verius quam *amicum* dicere maluit Rex ſapientiſſimus, quod, quemadmodum ſupra jam attigi, peccatis amici aſſentatione & *oſculis* abblandientibus indulgens, præcipitem eum ferri ſinat; atque hæc mihi ratio videtur cur *Oſculæ* amici blandi נעתרות appellet Salomo a verbo עתר cui, ut jam oſtendi, *cæſpitandi* atque *præcipitis* notio adſcribitur. Eadem fere R. Levi de loco hoc mens eſt, quum ita commentatur מראה לו אהבה להכשילו ולהפילו *Amorem ei commonſtrat, ut præcipitem eum deturbet.* Amici contra veri ac ſinceri *vulnera*, id eſt, *ſeveram objurgationem* נאמנים vocat, quia a lapſu retrahunt, & ſtabiles in via virtutis greſſus firmant.

Verſ. 8. *Sicut avicula tranſmigrans e nido ſuo; ſic vir qui derelinquit* מקומו *locum ſuum.*

Ex hac oppoſ. ſatis manifeſto patet מקום non eſſe hic *locum* quemvis, ſed *locum natalem*, quare id exprimendum putarunt Lxx. *ἐκ τῶν ἰδίων τόπων.* Eodem modo Arab. موضع quod alias ſimpliciter *locum* dicit, pro *ſolo natali* uſurpatur in iſto proverbio.

وحلم الفتي في موضعه جهل

Sapientia viri in loco ſuo ſtultitia eſt. Quod cum Chriſti effato convenit. Sic apud Abulphar. pag. 246. ubi de ſcientiis Græcorum ab Arabibus excoli cœptis. فاقبل علي طلب العلم في مواضعه

Almamoun ſcientiam ex loco ſuo quærere aggreſſus eſt ſcil. ex Græcia ſcientiarum matre, uti mox additur. Eodem modo מקום legitur Gen. 29: 26. לא יעשה כן במקומנו *Non conſuetudinis eſt in loco noſtro*, id eſt, *patria.* Sic 31: 55.

CAP.

CAP. XXVIII.

Vers. 11. חכם בעיניו איש עשיר ודל מבין יחקרנו.

SApiens sibi videtur vir dives, pauper autem prudens scrutabitur eum: Ita *V. Vulg.* posterius colon alio longe sensu effert *Chaldæus.* ומסכינא סוכלתנא בסר ליה *At pauper sapiens ipsam contemnit.* Cur חקר *contemnere* vertat Arabismus docet, ubi unice ea signif. sub radice حقر continetur. حقارة *contemtio* חקיר حقير *contemtus, vilis.* Iste sensus sane perquam est commodus, & longe facilior quam si חקר *scrutari* notet; eam tamen notionem hic deserere non audeo, nisi exemplis ulterius firmetur. *At pauper sapiens eum scrutatur*, id est, *insectatur, in vitia ejus inquirit.* Sic فحص Arab. *scrutari* in 3 conj. exponitur *insectari* aliquem, *inquirere in vitia ejus & arcana.* Hoc dicit Salomo: Dives licet sibi ipse sapiens videatur, facile tamen pauper haud insipiens in vitia ejus & stultitiam inquirendo, ea detegit & toto orbi stultissimum esse hunc divitem ostendit. Possem & aliter,

su-

ſumendo חקר pro *diſputare*, at non æque commode.

Verſ. 12. בקום רשעים יחפש אדם

קום hoc vſ. poni videtur pro *imperium obtinere, regnare. Vulg.* optime vertit *regnantibus impiis;* at unde eſt ei יחפש אדם *ruinæ hominum?* an hallucinatus eſt? vel an Arabicam verbi خفس & خفش ſignif. reſpexit, *diruit, ſubvertit.* Hæc Arabum ut & Latini Interp. verſio non tam longe ab Hebraica *ſcrutandi* ſignif. recedit, atque prima fronte videtur; חפש enim potuit ſumi ut Arab. حفن *ſcrutando effodere*, qua ſignif. Hebræum חקר occurrit ni fallor: inde eſt *evertere.* Sed quid illud יחפש אדם? an idem eſt quod infra יכתר *abſcondit ſe*, ſeu *quæritur*; metu Tyrannorum; certe eadem videtur ſententia. Poteſt tamen aliter & Hebraïſmo convenientius intelligi *impiis regnantibus, delatoribus & accuſatoribus locum concedi;* Arab. فحص *ſcrutari* in 3. conj. eſt *in arcana vitia proximi inquirere.* Sic ſub Tiberio & Nerone delationum finem non fuiſſe *Tacit.* & *Sueton.* abunde teſtantur. *Raſchi* hunc locum ita intellexit me-

mecum, nec longe recedit *Ab. Eſra*, qui *opes hominum quæri & rapi* dicit. Sed ad id, in quo eramus, redeundum eſt. קום dicebam hic ſumendum pro *regnare*: vſ. 28. hujus cap. idem poſtulat. Sic Arabice قام idem notat; unde in 4. اقام بي عليكم *ſtare me fecit ſuper vos*, id eſt, *præfecit*. Et in prima conj. قام *ſtare* eſt *imperium habere*.

CAP. XXX.

Verſ. 27. *Locuſta regem non habet* ויצא חציו כלו.

MEntem meam de loco hoc obſcuro, in Annot. ad *Jobum* aperire cœpi. Examinavi omnia, nec vero quicquam magis ſimile inveni. Docui ſcilicet ad *Jobi* cap. 40: 25. חץ *ſagittam*, pro *ſorte* ſumi, ex more vetuſto ſortes ſagittis diſtribuendi. Inde חצץ exponebam, *ſortiri* hoc ſenſu: *Locuſta regem non habet, exit tamen* ad bellum, *ſortiens ſibi quæque*. Hanc verſionem videamus an ulterius confirmare & Eruditis commendare poſſimus. Locuſtas tanquam *exercitum* hoſtilem proponunt Orientales. Ita Deus eas vocat חילו הגדול

exer-

exercitum ſuum magnum Joel. 2 : 25. plane uti Arabes, ad quos hoc tranſiit. Referunt nempe in احداث ſeu *dictis Mahomedis*, hoc ejus effatum. لا تقتلوا الجراد فانها جند الله الاعظم *Ne occidatis locuſtas, ſunt enim exercitus Dei Maximus*, vel *Maximi.* Fabulantur etiam locuſtas inter *prophetæ* manus cecidiſſe, quæ alis hæc inſcripta habebant. نحن جند الله الاكبر *Nos exercitus ſumus Dei Maximi.* Sic apud *Damirem* de *locuſtis.* يجتمع كالعسكر *congregantur ut exercitus.* Hoc primum eſt. יצא porro ſeu *exire* ſæpe ponitur pro *exire ad bellum:* Pſalm. 108: 12. לא תצא אתה צבאותינו 2. Sam. 11 : 1. לעת צאת המלאכים. Num. 31 : 26, 27. אנשי מלחמה יצאים לצבא Idem apud Arabes in verbo خرج *exire* obſervatur, quod ſæpe apud *Hiſtoricos* notat, *expeditionem ſuſcipere, expedire, egredi*, uti alicubi abſolute *Tacitus.* Nunc ad id in quo cardo rei vertitur veniamus. חצץ expono *ſortiri*, a חץ quod *ſortem* notaſſe contendo. Sic سهم *ſagitta* Arabice, *ſortem* etiam & *portionem* ſimul notat. In Pentateucho *Erpenii* pro *Hebr.* חלק *portio* Deut. 32: 9. *Arabs* dedit سهم *ſagittam.*

Abul-

Abulphar. pag. 405. ملك اشتراه من سهمه من الغنيمة *poſſeſſio, quam paraverat parte ſua ex ſpoliis.* Pro *parte ſua* in Arabico eſt *ſagitta ſua.* Hinc verbum سهم in 3. conj. eſt *ſorte contendere* Alcor. 37: 14. in 4. اسهم apud *Zjauharium* eſt اقرع *ſortiri.* Idem in Hebræo יח accidiſſe probavi ex Arabico حظ *Heds* hinc transſumto, quod pro *ſorte*, *portione* uſitatiſſimum eſt. حصة etiam ſeu חצה *portionem* ſonat, & verbum חצץ حص in 3. & 6. conjug. *portiones partiri.* Imo radix خص *proprium fuit* origine ſua ſignificare *tanquam ſorte ipſi contigit & propria facta fuit* res, docere videtur Arabs MSS. penes me, qui *Luc.* 1: 9. ἔλαχε τῷ θυμίασαι vertit حصه ان يبخر. Ergo in radice خص *ſortitionem* agnovit, & *per ſortem addictionem.* Sic verbum חצה *ſortiri* primario notare puto, qua ſignificatione ſumi poteſt *Job.* 40: 25. Inde ſecundo notat generaliter *diſtribuere* & *dividere*, tandem ſtrictiſme *in duas partes diſtribuere.* Ipſum etiam חצץ *ſortiri* notat. Tribus tantum in locis verbum hoc ſeſe offert. *Jud.* 5: 11. ubi commodiſſimum præ ceteris ſenſum præbere notionem

tionem hanc, ſuo ordine demonſtravi. *Job.* 21:21. כי מה חפצו בביתו אחריו ומספר חדשיו יחצו. Solet hic vulgo יחצו *dimidiati ſunt* reddi, uti etiam *Vulgat.* habet, ex coll. *Pſ.* 55:24. לא יחצו ימיהם At diſpar ratio eſt, & לא hinc exulat. Non convenit etiam, quia vſ. 13. dixerat: *Ducunt in bonis dies ſuos, & in quiete ad ſepulcrum deſcendunt.* Hic ſibi ipſe nunc reſpondet *Jobus*; ita quidem cum impiis agitur, verumtamen non eo beati ſunt prædicandi. כי מה חפצו. *Quæ enim delectatio ejus de domo ſua poſt mortem, numerum quamvis menſium ſuorum* plene *ſortitus ſit.* Vel, *numerus licet menſium ipſi tanquam ſors* ejus plene *conceſſus ſit.* Aliter paulo ſeriem orationis & cum præced. connexionem aptant Belgæ, cum quibus faciam, dum modo, quod illi *reſecti ſint*, id eſt, *finiti* vertunt, ſignificatione incertiſſima, mihi vertere liceat, *diſtributi ſunt*, tanquam ſors. Nihil moror Virum Doctum, qui Æthiopum dialecto adjutus, hæc reddit; *Et numerus menſium parvus factus eſt.* Ita enim verbum in aliis locis ſumi nequit; quin contextui parum id convenit; nullamque aptiorem præ ea, quam ego adſtruo, tum ceteris, tum huic etiam loco, invenio. Ultimus eſt lo-

cus *Prov.* in quo verſamur. Et huic *ſortiendi* notio mire convenit. Regum eſt & Imperatorum ſpolia bellica diſtribuere & in ſuos dividere. Vid. 1. Sam. 30: vſ. 24, 25. &c. *Num.* 31: 26. *Tu Moſes* חצית המלקוח Regum etiam eſt, exercitum in expeditiones educere. Hoc licet careant locuſtæ, *exeunt & ad bellum egrediuntur*, & חצץ כלו *unaquæque ſpolium diſtribuit, ſibique propriam ſortem aſſignat.* Alii reddebant. *Unaquæque tamen exſcindit*, folia ſcil. uti *Kimchius*. Alii *ſagittarum inſtar ſe ejaculantur*, ut Cel. *de Dieu.* Verùm hæc ἀνακόλωθα ſunt. *Regem non habent, & gramen depaſcuntur*, vel *& ſagittarum inſtar ſe ejaculantur*, quia hæc nihil ad Regem, aut quicquam cum Regis munere commune habent. Si cum duobus reliquis locis id componi poſſet, non diſpliceret Belgarum verſio, quæ etiam *Hieronymi* eſt, qui vertit: *Egreditur univerſa per turmas ſuas.* Hoc quippe ad Regem etiam pertinet, ut exercitum in turmas dividat.

ANIMADVERSIONES PHILOLOGICÆ IN CANTICUM.

CAP. I.

Vers. 7. *Indica mihi ubi pascas, & ubi* gregem *recubare facias, ut quid essem* כעטיה *ut operta, ad caulas sociorum tuorum.*

MUltum laborant Interpretes in expositione vocis כעטיה. Quibusdam *velata* significat *meretricem*, quod meretrices velentur; quod probant ex Hist. *Thamaris* Gen. 38. At frustra sunt illi, quia meretricum est potius *revelari*. Esai. 47: 3. Ezech. 16: 36, 37. Nah. 3: 5.

Thamar autem ſe more meretricum non velavit, ſed ne agnoſceretur. R. *Salomon* כעטיה explicat ex Ezech. 24: 17. עטיה עלי שפם quod eſt *lugens*, quia lugentes tegebant labrum ſuperius ex loco citato. Alienum prorſus id dicit *Bochartus*: ipſe autem eo inclinat, ut pro עטיה *operta* legat טיעה trajectis literis *vaga*, *oberrans*, *meretrix*. Syris enim & Chaldæis טעיתא primo *vagam*, deinde *meretricem* notat. Ita *Chaldæus* Eſai. 1: 21. pro זנה habet טעיתא, & verbum טעה non ſolum *errare* eſt, ſed & *ſcortari*. *Syrus* certe כטעיתא hic vertere non dubitavit, & *Hieron. ne vagari incipiam*, manifeſto ad rad. טעה reſpiciens. *Aquila* etiam *ut vaga* ῥεμβομένη vertit, & *Jonathan* מטלטלה *divagans*. At quia conſtanter עטיה legunt Codices omnes, ægre hanc emendationem admitto. Ex Arabiſmo vocem explicatam dabo: *Operta* deſignat *deficientem*, *languidam*. Hoc textui noſtro convenit. Quærit ſponſa, ubi greges recubare faciat ſponſus circa meridiem, ſcilicet ut frigus & umbram captent: nam in calidis iſtis regionibus, niſi greges horis meridianis ad aquas & umbram ſubducti devitent æſtum, langueſcunt & deficiunt. Hinc Poëta:

Cogite

Cogite oves pueri, ſi lac præceperit æſtum,
Ut nuper; fruſtra preſſabimus ubera palmis.

Sponſa igitur hæc rogans palam oſtendit, ſeſe æſtui meridiano expoſitam eſſe, uti etiam ex vſ. 3. conſtat, ad umbroſum ideo recubitum perduci ſe poſtulat, ne ardenti amplius ſoli ſubjecta, evadat כעטיה *ut operta*, id eſt, ut dixi, *languida* & *deficiens* nimio æſtu locutione Arabica. Verbum غشي notat *tegere*, inde in paſſ. غشي *Gusjia*, *tectus*, *opertus fuit*, exponitur *deliquium animi paſſus eſt.* Alcor. Sur. 33: 19. تدور اعينهم كالذي يغشى عليه من الموت *rotant oculi eorum, ut qui deliquium patiuntur ex morte.* In Arabico eſt, *qui operti ſunt.* Ita & in 4. conj. اغشي *tectus fuit & defecit.* Nomen غشية *animi deliquium* apud Zjauhar. Apud Abulphar. de quodam fuſtibus probe excepto dicitur: ضرب حتي عشي عليه *verberarunt eum, donec tectus fuerit*, id eſt, *defecerit.* Idem in alio *tegendi* verbo غمي uſu venit; inde dicunt in paſſivo *Gumia*, & in 4. conj. اغمي *Ogmia* cum علي, *tectus eſt*, quum *animi deliquium* dicunt. Nomen غمي *Ga-*

Gaman, animi deliquium patiens quasi *tectum* dicas, & مغمي عليه, ut & مغشي عليه participia a verbis غمي & غشي idem notant. Apud Hebræos hanc phrasin eodem sensu usitatissimam esse operæpretium fuerit ostendere. עלף *tegere* est: inde in *Pyhal* Ezech. 31: 15. *Arbores agri* עליו עלפה *propter illum tectæ sunt* (ita ad verbum) quod recte Lxx. ἐξελύθησαν· secus Hieron. qui *concussæ sunt* vertebat: *Tectæ sunt*, id est, *defecerunt*. Frustra ergo est Gussetius quum scribit, *tegendi* signif. non convenire, quoties *deliquium* significatur, ideoque aliam signif. huic radici obtrudere contendit. Eodem modo התעלף *tegi* pro *deliquium pati* venit Amos 8: 13. & Jonæ 4: 8. pariter in עטף alio *tegendi* verbo idem observare est. Inde העטפים *tectos* Thren. 2: 19. optime, Hieron. *qui defecerunt* explicat, & Lxx. ἐκλυομένας, ut & Jarchius *Espamez*. Sic vs. 11. בעטף *cum tegeretur*, id est, *deficeret* vertente Hieronymo. Sic Ps. 61: 3. & 107: 5. & Esai. 57: 16. רוח מלפני יעטף *Spiritus a facie mea tegeretur*, & *animæ* ונשמות *quas feci*. Aliter hic Veteres; nempe quum נשמות non *animas*, sed πνοὴν πάσαν & *flatus* verterent רוח etiam non de *Spiritu* hominis

sed

ſed *vento* ſumendum putarunt, & יעטף *egredietur* ἐξελεύσεται exponunt: Quo jure non video, niſi ad Arabicum عطف *flectere, deflectere* recurramus. *L. Cappell.* hunc locum aliter ex Arabiſmo expoſuit: *Nam Spiritus, qui a me eſt, miſeretur.* Verbum عطف eſt *propitium, benevolum eſſe.* L. de Dieu alio adhuc modo: *Spiritus ab ante me revertetur*, etiam ex Arabica verbi ſignificatione. An יעטף *deficere* exponi recte poſſet, dubitarunt Viri Doctiſſimi: ſane recte ſenſu, quem dedi, vel quem defendo potius; aliorum enim ante me ea eſt interpretatio, etiam Belgarum, longe convenientiſſima. Ex his tandem concludamus עטיה in hoc loco, *opertam* per *deficientem* exponi licere ex puriori Hebraiſmo æque, atque ex Arabiſmo. Neſcio an huc faciat quod in grege ſint העטפים *tectæ pecudes*, id eſt, *languidiores* Gen. 30: 42.

CAP. II.

Verſ. 5. סמכוני באשישות רפדוני בתפוחים
Suffulcite me lagenis, & ſternite me,
vel *mihi, malis.*

VEl, *ſternite circum me mala*, ut *Jarchius*. Apud *Ab. Eſram* nonnulli שימו היציע תפוחים *ſtratum mihi ex malis facite.* הוא רחוק בעיני *At alienum hoc eſt*, ait *Ab. Eſra*, qui ad Arabiſmum hic confugit, & aliter vertit: חזקוני nempe *confortate me*, quo ſenſu רפד apud Arabes venire teſtatur. Arabice رفد, eſt *fulcire*, *ſuffulcire*, idem quod סמך, cum quo hic conjungitur. Hæc ſane ſignificatio longe convenientior eſt loco huic, quam *ſternendi* illa, quæ contortum exhibet ſenſum. Hinc Belgæ maluerunt: **Onderſteunt my.** Quid ſi רפד *ſternere* eſſe negemus, omniaque hujus verbi rarius occurrentis exempla cum Arabica & loci hujus ſignificatione componere poſſemus? majori equidem tum jure *fulciendi* notionem verbo רפד tribuam, quam *ſternendi.* Videamus loca. Mox infra cap. 3: 10. *Thalamum fecit ſibi Salomo.* עמודיו עשה כסף רפידתו זהב *ſtratum* hic dant In-

Interpretes. At recte orationis seriem attendenti non minus credo placebit, ut רפידה *fulcrum* exponamus: *Stylos ejus argenteos fecit, fulcra ejus aurea.* Ut apud *Poëtam* alicubi: *Lucent genialibus altis, Aurea fulcra toris.* Atque hic quidem locus adeo mihi non officit, ut contra in opinione mea hic non leviter confirmer. Arabice certe vox رافدة *fulcrum* denotat, & روافد ejus plur. apud *Zjauhar.* exponitur, *fulcra, quæ tectum* simileve quid *sustinent.* *Duo* restant ex Jobo loca, nec alibi occurrit. Job. 17:13. רפרתי יצוע. Hic unicus est locus, unde *sternendi* significat: elicuerint Interpretes. At quid vertere vetat *fulcivi lectulum*, vel *strata mea*, id est, *paravi.* Sane non durius id, quam quod *Juvenal. nobile fulcrum* posuit pro ipso lecto. Ultimus est locus subobscurior cap. 41:21. ירפד חרוץ על טיט. Agi volunt de cubili *Leviathanis*, cui ob cutis duritiem super lapides & rupes testarum instar & tribularum acutas, jacere perinde sit. Vertunt itaque: *Sternit* tanquam lectum *tribulas in luto.* At cum verbum in *Kal* non alias legatur, incertum est, an in prima conjug. vim habeat transitivam; & passive itaque sumi potest; *fulcitur* tanquam in lecto, *tribulis*

bulis, vel, quod malo, tranſitive: *Fulcit* eum *& ſuſtinet* tanquam lectus *tribula in luto*: hac ratione ירפר cum תרוץ copulo. *Bochartus* alium ſenſum huic verſic. attribuit, & aptius cum præcedentibus connectit. Fruſtra eſt gladium, fuſtem, tela omnia in hoc animal intentare: Nam pro eo nihil feries quam teſtarum eminentias, id eſt, ſquamas tam forma, quam duritie, teſtis ſimiles. Hoc pacto ירפר תרוץ עלי טיט non verterem: *ſternit tribulas in luto*, ſed, *ſuſtinet tribulas in luto*: Non jam animalis corpus in luto jacere putes, ſed machinam quandam, quæ tribulas ſuſtineat, quibus ſimile tergum *Leviathanis*, quoſvis ictus repercutiens. *Tribulam in luto* jacens *ſuſtinet*, non tergum diceres: Si ירפר hic *ſterneret* eſſet, inconvenientia quædam eſſet, nam *tribula* ſeu *ſquamæ* in luto *ſtratæ*, gladiis & telorum ictibus non paterent; & tergum, quod hic intelligi Boch. contendit, in luto ſtratum dici nequit, at in luto ſuſtentum & ſuffultum, recte quidem.

Verſ. 14. בחגוי הסלע בסתר המדרגה

Vox חגוי, quam *foramina*, vel *fiſſuras* ſignificare abſque fundamento vulgo putant,

tant, proprie *loca refugii*, *asyla* denotat a verbo חגא *confugit*, quam signif. Arabes sub حجا conservarunt. Latius hæc ad Esai. 19. aperui, quæ consule. Hic moneo tantum חגוי & סתר hoc pacto synonyma nunc reddita esse; hoc posterius enim *latibulum* etiam notat. מדרגה radix est Arabicum درج *gradatim ascendit*; unde درجة *gradus*; & sic דרגין apud Chaldæos significare videtur præcipitium, & asperum montis cacumen, ad quod non nisi gradatim seu per gradus quasi ascendi potest. Ita in Ezech. etiam הרים & מדרגות conjunguntur. Alibi non exstat. Mera proinde oscitantia est, quod in Lexicis quibusdam, vox etiam *gradum* vel *gradationem* notare doceatur. Falsum hoc est, sed etymologiam vocis & originem indicare voluerunt.

CAP. IV.

Vers. 1. *Ecce pulcra es* עיניך יונים
מבעד לצמתך.

LXX. ὀφθαλμοί σου περιστεραί, ἐκτὸς τῆς σιωπήσεώς σου. Hieron. *oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet.* Hieron. in Comment. suo ad Esai. 47: 3.

hic

hic intelligit *verenda*, quæ Græcos σιωπήσιν expreſſiſſe vult, quod taceri debeant præ verecundia Hæc aliaque huc facientia, & errorem *Hieron.* oſtenſum reperies ad Eſai. 47: 3. Hic moneo tantum צמה recte a noſtris *cincinnos* expoſitum eſſe, nec debere aliter, quod oſtendo ex Arabum radice طم ممط quæ *plectere* denotat, pecul. *capillos*, unde مطموم *capillos plexus* in *Zjauhar.* Chaldæos & Arabes ſemper fere Hebræorum ץ in ט mutare, iis qui in his linguis plane hoſpites non ſunt, ſatis notum eſt. Sequitur in hoc vſ. *Capillitium tuum eſt ut gregis caprarum*, שגלשו מהר גלעד pro quo Cap. 6: 4. legitur שגלשו מן גלעד Laborant vehementer Interpretes in verbo ambiguo & incerto גלש, quod alibi nuſpiam, quam in duobus his locis parallelis, occurrit. Lxx. שגלו legiſſe videntur, nam ἀπεκαλύφθησαν in priori, in poſteriori loco ἀνεφάνησαν dederunt; ubi etiam Hier. *quæ apparuerunt*, ut in priori, *quæ aſcendunt*. Rabbini *Jarchius*, *Pomarius*, *Aquinas*, *Kimchii* pater & filius ex Chaldaico גלוש ab *Onkeloſo* pro גבח *recalvaſtro* poſito, גלשו notare volunt *depilantur*, *deglabrantur*: ſed quia incommodum videbant, ſponſæ crines

crines cum capris calvis & depilibus conferri, fingunt, capras non plane depilari, ſed per montis arbuſta & dumeta pilos ita digeri, ac ſi arte & induſtria pexi fuiſſent. An hoc eſt *deglabrari?* & quis dumis hanc virtutem attribuet? ſomnia: ſapienter proinde *Ab. Eſra: Alienum hoc eſt.* Plura contra hanc expoſitionem Rabbinorum vide in Comment. *Guſſetii.* Ab. Eſra autem: *Quæ apparent & videntur*, ad mentem τῶν Lxx. exponit. Ex noſtris alii, *quæ emicant*; alii, *quæ detondent* nempe *dumeta*; alii *quæ niteſcunt*, quod Celeb. *Guſſetio* arridet. At fundamentum velim, cur ita ſentiat. Magnus *Bochartus* ex Arabiſmo ita vertebat: *Quæ aſcendunt ex monte Gilead.* „ Arabice „ جلس, inquit, *ſedere* non tantum, ſed „ & *aſcendere* ſignificat. *Golius* ex *Zjauhar.* „ جلس *ſedit*, & *vaſit aſcenditque*, & *venit in elatiorem terræ partem.* Et ibidem „ جلس *Gels* nomen eſt idem quod فجن „ *elatior terra.* Et in *Giggejo* جلس *Gels* „ eſt *mons excelſus.* Quo eodem facit quod „ *Auroram* גולש *Arabice* vocari ait R. *Jona.* „ *Aurora* enim nihil quicquam eſt, quam „ aſcenſus ſolis. Præterea Chaldæis etiam „ גלשיתא vox palam inde deducta, *col-*

„ *lem*

„ *lem* & *eminentiam* ſonat. Quin in para-
„ phraſi locorum, in quibus verſamur,
„ Chaldæus palam ad hoc verbum allu-
„ dens, per *capras Galeaditicas* שגלשו *Ja-*
„ *cobi filios* intelligit, qui collectis lapidi-
„ bus עכרו גלשושיתא בגלעד *Eminentiam* (acer-
„ vum) *fecerunt in monte Gilead.* Accedit auctoritas quorundam ex Veteribus. Græci Interpretes in *Complutenſi* editione, & *Pariſienſi* Cant. 6: 4. οἱ ἀνέβησαν. *Hieron.* Cant. 4: 1. *quæ aſcenderunt. Syrus* utrobique אין גארא דעזא דסלק מן טורא דגלעד *ut grex caprarum, qui aſcendit ex monte Gilead.* Perplacet hic, ut ſemper, ſententia *Bocharti.* Difficultas tamen eſt, quam & ipſe ſenſit, *E monte* non *aſcendi* ſed *deſcendi*; unde *Aponius* in *Cant.* libr. ſex. hærens: *De monte*, inquit, *deſcendere dicitur*, & *in montem aſcendere.* Solvit quidem quodammodo difficultatem ὁ πάνυ, at non omnibus hæc ſatisfactura credo.

Interim non dubitabo ceteris hanc Bocharti Interpretationem præhabere. Neſcio tamen an non in cenſum etiam venire poſſit R. *Jonæ* expoſitio apud *Kimchium*; in Libr. Rad. verba ſunt. ור׳ יונה פירשו השכימו לקוח מלשון שרב שקורין לשחר גולש *R. Jona vocem expoſuit*, quæ mane ſurgunt, *ex Ara-*

bum

bum lingua, qui auroram vocant Goles. Arabicum eſt غلس quod Græco πρωΐ reſpondet Joh. 20: 1. *Diluculum* proprie notat, vel *tenebras extremæ noctis.* Verbum اغلس *tempore diluculi fecit quid.* In ſecunda conj. peculiar. غلس גלש in *Zjauhar.* exponitur *extrema nocte, ſub auroram acceſſit ad aquam, potandi vel aquandi ergo:* quod miror R. *Jonam* non addidiſſe, adeo pulcre hic convenit: *Quæ primo diluculo aquatum eunt ex monte Gilead.* Ita mox vſ. ſequenti, de iis comparationem inſtituit, *quæ aſcendunt ex lavacro.* Obiter nota hallucinationem *Bocharti*, quum גלש Arabum, ad radicem جلس referebat, cum a غلس ſit, ut vidimus. Neminem credo turbabit, quod verbum Arabicum non cum ج ſed cum غ ſcribatur, nam non raro Hebræorum ג in Arab. غ permutatur. Ita pro גרה *miſcere bellum*, Arabes habent غرى, pro Hebr. שרג Arabes سرغ notante *Pocok.* qui eundem in modum دفا *tranſgredi*, ab radice Hebr. גנא formatum volebat, quam exſtare putat Hab. 1: 5. בוגדים, quod Paulus cum Lxx. transfert καταφρονηταὶ Act. 13: 41. Talia ſunt quod in Pentat. Erpen.

جوي

جوي ponatur pro غوي *erravit.* غوش pro جوش *pectus*, غوب pro جوب. Sic نمغة & نمجة idem ſunt. غادف & جادف *remex.* غراف & جراف *menſuræ genus*, aliaque id genus plura.

Verſ. 3. מדברך נאוה

Omnes, quos vidi, Interpretes מדבר hic *ſermonem* vertunt. λαλίαν Lxx. *eloquium* Hieron. ſic Rabbini. At rectè mihi locum inſpicienti *linguæ* potius ſignificatio hic placet. Externa enim membra & eorum decus hic prædicantur. *Oculi*, *dentes*, *labia*, מדבר, *tempora*, *collum*, *mammæ* &c. an non *linguam* potius inter hæc recenſeri, & per מדבר indicari dicemus, quam *ſermonem* vel *eloquium?* ita puto. Alibi ſemper *deſertum* notat, unde exemplis defendi res nequit. *Kimchius* quidem refert patrem τὸ מדבר 1 Sam. 4: 8. pariliter *ſermonem* explicaſſe, at in eo falſus eſt. מדבר ergo *lingua* ſit, quaſi *inſtrumentum* dicas *locutionis*, plane ut مقول Arabibus eſt *lingua* a verbo قال *dixit.* *Mem* nomina format inſtrumentorum. Sic מפתח *clavis* eſt, *inſtrumentum quo aperitur.* מקבת *malleus*, *inſtrumentum*

tum, *quo pertunditur*. מנקיות *ſcopulæ*, *quo quid mundatur*. מקצעה *inſtrumentum*, *quo ſcinditur*. Erpen. in Gramm. Arabica. Nomen inſtrumenti fit *Mem* præpoſito per *Keſra*. Confirmantur hæc quodammodo, quod Arabes aliquot nominibus ad hanc formam *linguam* inſigniant. Ita, ut dixi, a قال *loqui* eſt مقول. A ذان *propulſare lingua* مذون audit, quod ea injuriæ propulſentur. A دل *detrectare* مدل itidem dicitur, quod calumniis multum inſerviat. مسحل etiam vocatur a سحل, quod eſt *polite loqui*, unde proprie *eloquentem* ſonat *linguam*.

CAP. V.

Verſ. 11. קוצותיו תלתלים שחרות כעורב.

DUæ ſunt voces obſcuriores, קוצות & תלתלים. *Capillos* primam ſignificare conſentiunt Interpretes. *Comas* explicat Hieron. & Lxx. βοτρύχες. Egregie. Non enim *capillos* in genere ſonat, ſed *antias*, uti oſtendam. Vau primum non radicale, ſed ſervile eſt & *Cholem* indicat, ut in חוק aliiſque. Radix eſt קצץ *præcidere*, ſpe-

ciatim ex uſu etiam Arabum, *forfice comas.* قص الشعر. Inde مقص *inſtrumentum, quo præciditur* ſpec. مقراض *forficem* exponunt. Apud Hebræos קצץ eundem uſum ſpecialem obtinuiſſe probo ex Jer. 9: 25. & 25: 23. & 49: 43. ubi קצוצי פאה ſunt *qui angulum crinium circumtonſum gerunt*, uti patet ex lege Levit. 19: 27. קצץ ergo hic *præcidere crines* eſt, uti apud Arabes قص. Specialiſſime قص eſt *antias præcidere & attondere*, unde מקצץ مقصص apud *Meidanium* declaratur, *qui antias attonſas habet.* קוצה autem, ſeu قصة *Kutsſa* a *Golio* ex *Zjauhari* exponitur *capillus frontis, antiæ:* Et a *Giggejo: Comæ portio, quæ fronti imminet, aut ex anteriore capitis parte propendet.* קוצה ad radicem קצץ eſſe referendam conſentiunt Grammatici. Altera vox תלתלים *criſpaturæ* vulgo, at abſque fundamento exponitur; ſcil. id ad laudem faciebat capillorum. *Ab. Eſra accumulatas, cumuli in modum* תל *aggregatas* intelligit *comas.* R. *Salomon* a rad. תלה *pendules* פנדולייש *pendulas* intelligit *comas*, quod ſatius videtur. At Lxx. & Hieron. quid viderunt, quod ἐλάτας *Elatas palmarum* verterint? An huc facit quod תלתלה תלתלה ſit *vaſis genus ex*

ſpathis

ſpathis contextum in Lexico *Camus?* Si Arabes גלגלא *ſpatham palmæ* eſſe monerent, forte ſignificatiø admitti poſſet. Magis enim id orationis ſeriei conveniet, ſi תלתלים rem dicat, cui קנות comparentur, quam ut tanquam epitheton ſumatur, uti fieri ſolet. Inſpice textum, & ſtatim hoc animadvertes. An גלגלא primo *ſpatham* notavit & dein *vas ex ſpathis contextum?* ut צנא صنى. *palma* ab Thalmudicis pro *caniſtro ex palmis* ponitur. דיקולא itidem pro *caniſtro* a דקל *palma:* فحل etiam *palma* & *ſtorea ex palmulis.* הוצא etiam in Thalmude proprie *folium palmæ* notans, ut خوص, pro *calceis ex palma.* Non inſolens certe eſt, ut materia, & res ex ea confecta uno nomine appellentur. Niſi veteres præiiſſent, nihil hic auſus fuiſſem.

Verſ. 14. *Manus ejus orbes aurei* ממלאים *incluſos habentes Topazios.* מעיו עשת שן מעלפת ספירים *Viſcera ejus ſunt ornamentum elegans ex ebore tectum ſapphiris.*

'Alii *viſceribus ejus nitor eſt eboris tecti ſapphiris.* Sed alienum videtur hoc, ut ebur,

cujus nitori & lævitati venter ſponſi hic comparatur, *tectum* dicatur & *coopertum* ſapphiris, nam hoc pacto albedo & nitor eboris conſpici non poſſet. Hinc eſt, quod Lxx. verbum non expreſſerunt, ſed in genere ἐπὶ λίθῳ σαπφείρῳ dederunt; Preſſius Hieron. *diſtinctus ſapphiris*. R. Salomo eadem de cauſa מחקשטת *ornatus* hic exponebat. Videamus an aliquid extricare poſſimus: Arab. غلف ut Hebr. עלף *tegere* ſignificat, unde اغلف eſt ἀκρόβυστος. Plerumque autem non *tegere plane*, ſed *aliquoties circumdare tegumento* denotat, ut adhuc quodammodo conſpici res poſſit. Inde غلف *thecæ imponere*, *vaginæ includere* eſt; & غلاف *vagina*, enſis, cultri *theca*: سيف اغلف *enſis tectus*, id eſt, *vaginæ inditus*, قوس اغلف *Arcus theca impoſitus*. Sic alia multa quæ *thecis* impoſita, partim teguntur, partim detecta manent, & conſpiciuntur עלף dicuntur. Ad hunc modum, lapides *palæ incluſos* עלף dictos eſſe exiſtimo, ut adeo עלף hic idem fere ſit, quod præcedens מלא. Verto itaque: *Viſcera ejus ornamentum elegans ex ebore, incluſos habens Sapphiros, cui tanquam in palis & thecis inſiti ſunt ſapphi-*

ſapphiri. Scilicet nitorem eboris ſplendor ſapphirorum ei incluſorum magis illuſtrat.

Verſ. 7. מה יפית ומה נעמת אהבה בתענוגים.

Quam pulcra es & quam decora, chariſſima, in deliciis: Ita Vulgat. Lxx. ἐν τρυφαῖς σου. Alii, *in voluptatibus.* Quærunt Interpretes, quibuſnam? Commodius actum putem, ſi תענוג ad corpus poſſit referri, hoc enim magis conveniat contextui, quia in corporis decore & venuſtate celebrando occupatus eſt ſponſus. Arabice غنج τρυφᾶν ſpeciatim de fœminis dicitur, quum *geſtu amatorio utuntur.* Hinc apud Golium ex Zjauhari עג exponitur: *Geſtu amatorio,* ut *limo intuitu, faſtuoſa gratia, ſuperbiore inceſſu uſa fuit* fœmina. غنج & غناج *talis geſtus amatorius:* غنجة & مغناج *geſtibus amatoriis venuſte uti ſciens fœmina.* Amantium inter ſeſe deliciantium hic geſtus eſt. Idem alio verbo دلل vocant Arabes. Ita hoc verbum in Camus: *Limis aſpexit, faſtuoſo fuit vultu, & ita geſtibus ſeſe blanditi ſunt* amantes. Hoc ideo noto, quia *Arabs Erpenianus* Deut. 28: 54, 56. ענוג & ענוגה

per مدلل & مدللة interpretatus eſt. Ergo eandem ille, quam ego, vim in verbo ענג agnovit. Inde nunc verterem : *Quam pulcra es quam decora*, ἔρως, *in geſtibus tuis amatoriis*; quibus mihi amorem commonſtras. Locus eſt in Sacro Codice, qui aperte docet, verbum ענג *corporis geſtum* aliquem indicaſſe nonnunquam. Is exſtat Eſai. 57 : 4. עַל מי תתענגו על מי תרחיבו פה תאריכו לשון. Evidenter apparet התענג hic eſſe *geſtu* aliquo *corporis* ἐντρυφᾶν & *inſultare*. Differt quidem hoc ab ſignif. quam in loco Cantici voci attribuo; at quidni fieri id poſſit, ut tam *geſtum illudentem* indicet quam *amatorium?* Eodem plane modo צחק Gen. 26 : 8. *Vidit Iſacum* מצחק *cum Rebecca uxore*, *geſtum* notat *amorem commonſtrantem*. At idem verbum Cap. Gen. 21 : 9. ubi de Iſmaele מצחק mentio fit, contrarium denotat, & tum *verba* tum *geſtus illuſorios*, quibus Iſaaco inſultaverit Iſmaël, indicat, uti monent Interpretes.

Verſ. 10. אֲנִי לְדוֹדִי וְעָלַי תְּשׁוּקָתוֹ

Veteres pariter ac Recentiores Interpretes, ac ſi ſponſa ſponſi hic in ſe amorem & deſiderium prædicet : *Ego ſum dilecto*

lecto meo, & ad me eſt deſiderium ejus. Duplici ratione verſio hæc labefactatur: Prima eſt, quod ſignificatio partic. על minuatur & pro אל poſitum capiatur, quod vitari debet. Altera eſt & præcipua ratio, quod תשוקה ſubjectionis in ſe notionem contineat, ut תשוקה in aliquem ferri idem fere ſit, quod *ſubjectum eſſe*, uti clariſſime conſtat ex Gen. 3: 16. & 4: 7. alibi enim non legitur. Videant jam Interpretes, an ſponſæ hoc de ſponſo Chriſto affirmare conveniat, ut eum ſibi ſubjectum dicat. Inverſo ſenſu verto: *Ego ſum dilecto meo, & ſuper me eſt deſiderium ejus:* τὸ *ejus* non active capias, ſed paſſive, quo Hebræis nihil eſt frequentius: *ſuper me eſt, mihi incumbit* תשוקה *ad eum ferri;* ut uxorem erga virum decet. Gen. 3: 16. עלי *ſuper me* eſt, officium notat & debitum. Locutio huic noſtræ plane ſimillima, & unde verſio mea confirmatur, exſtat Pſ. 56: vſ. 12. עלי אלהים נדריך idem uſus in עלי; idem in affixo. Ita Arabes. *Beidavi* ad Sur. 3. علي نذرا لك עלי נדר לך *Eſræ* 10: 12. עלינו לעשות. Et notum eſt Cel. Interpretem ita cepiſſe עלין τὸ Pſalm. 16: 2. Hic uſus apud Arabes longe eſt frequentiſſimus. Ex infinitis pauca hæc produce-

re animus eſt : Alcoran. Sur. 13: 40. عليك البلاغ وعلينا الحساب *Super te*, Mahomedum, *eſt perferre nuncium*; *ſuper me* (Deus hic loquitur) *rationem accipere.* Sic Sur. 29: 17. ما علي الرسول الا البلاغ المبين *Non eſt ſuper Prophetam, niſi ut nuncium ſimpliciter & palam proferat.* Hæc officii ſunt. Debiti non pauciora dantur exempla. Ita dicunt لي عليه الف درهم *debet mihi mille nummos.* Et عليه دين *Debitor eſt.* Similia annotavit *de Dieu* ad Gen. 16: ג. ubi eadem notione על ſumebat. At fallitur Vir Doctus, ut moneo ad iſtum locum.

CAP. VIII.

Verſ. 2. עסים רמני.

LXX. & *Vulg.* ' affixi loco habent. ῥοῶν μου. *Malorum granatorum meorum.* *Chaldæus* pro רמנים per defectum ד ם accepit, quam ſententiam Grammatici vulgo amplectuntur. Adjectivum eſt רמני ut תחתי ceteraque. Arabice رماني. Ita

ſæpe

ſæpe in Avicenna. شراب & رب رماني رماني aliaque id genus.

Verſ. 5. מי זאת עלה מן המדבר מתרפקת על דודה.

Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto, deliciis affluens, innixa ſuper dilectum ſuum: Verſio eſt *Hieronymi.* Putabam aliquando cum *L. de Dieu* aliiſque, *Innixa* Hebræo מתרפקת reſpondere, at nunc video, illud *deliciis affluens* potius ex eo expreſſum, quamquam ex verſione τῶν Lxx. aliter adhuc videri poſſet. Illi ita vertunt: Τίς αὕτη ἡ ἀναβαίνουσα λελευκανθισμένη, ἐπιστηριζομένη ἐπὶ τὸν ἀδελφιδὸν αὐτῆς· Illud λελευκανθισμένη juxta ordinem verborum ex מן המדבר male lecto, expreſſum videtur. מן המי ברה *ex aquis pura*, ut למר Jer. 2: 23. ἐφ' ὕδατα למי. Ita ἐπιστηριζομένη מתרפקת eſſet. At incerta hic omnia. Ex Chaldaica autem hujus loci paraphraſi conſtat מתרפקת ab *Hieron. deliciis affluens* eſſe redditum, nam & illa מתפנקן, quod idem eſt, habet. Kimchius eodem modo, in Rad. *ſignificatio verbi ex ſenſu eſt* מתנענע *oblectans ſe.* An huc facit quod رفق Arabice ſit

facile vivere? Non putem. *Ab. Esra & Jarchius* cum patre *Kimchii* מתחברת *associans se* exponunt, מלשון הערב שקורין לחבר רפאק ולחבורה רפאקה *ex lingua Arabum, qui Socium* Riphak, *& societatem* Riphaka, *appellant.* Revera ita est. رفق verbum est, *comes fuit:* رفيق *socius, comes:* رفقة est *comitatus & comitum turba,* etiam *consortium:* مرافق *comes itineris.* Ferri hoc potest: sed credo non defuturos, quibus æque placeat hæc versio: *Quæ ista est ascendens ex deserto, innixa cubito super dilectum suum.* Belgarum ea est versio, eamque ceteris præferendam esse non hæsitanter assero. Sic vis præpositi. על retinetur, quam si התרפק *associare se* vertas, nimium enervabis; verba etiam *associandi* non cum על construi solent. Non male ita a Nostris versum esse, Arabismus comprobabit. Verbum رفق in 8. conj. ارتفق, quæ Hitpah. fere respondet, exponitur a Lexicographis: *Innixus fuit cubito.* مرتفق *qui cubito innititur,* مرفق *cubitus,* מרפק apud Chaldæum Interpretem: مرفقة *cubitale:* דמרפק *cubitali innixus.* Ab hac notione *cubito innitendi,* Æthiopum in verbo רפק usus est deductus, *accumbere,* idem quod ἀνακλίνεσθαι Matt.

Matt. 8: quod L. de Dieu ad hujus loci illuſtrationem adducebat, cujus tamen verbi apud Æthiopes omnem efficaciam non expreſſit Vir Eruditus, cum ſimpliciter *inniti* notare dicit; Eſt enim *cubito inniti* accumbendo.

Ibid. verſ. 5. שמה חבלתך אמך שמה חבלה ילדתך.

Permale Vulgat. *Ibi corrupta eſt mater tua, ibi corrupta eſt genitrix tua.* Aliquanto propius vero οἱ Lxx. ἐκεῖ ὠδίνησέ σε ἡ μήτηρ σου. ἐκεῖ ὠδίνησέ σε ἡ τεκοῦσα σε. Sic Sic Rabbini etiam חבל hic exponunt לשון חבלי יולדה *ex* חבל *dolores partus notante.* Inde nunc vulgo verti ſolet *parere, eniti.* Fateor ad hanc ſignificationem nos ducere vocem חבלים, at loca duo, ubi tantummodo verbum הבל ad generationem refertur, attente inſpicienti, non ſatis accurate poſita mihi videtur. In hoc loco ſi חבל eſt *eniti* tria habebimus verba idem notantia. At magis urget Pſalm. 7: 15. הנה יחבל און והרה עמל וילד שקר Hic *Vulgat.* & Lxx. *Ecce parturiit iniquitatem, concepit dolorem, & peperit injuſtitiam.* Sic & *Chaldæus:* Expoſitionem hanc ordo non patitur.

tur. Vertere malo : *Ecce concepit vanitatem, gravidus eſt perverſitate, & peperit mendacium.* Gradatio eſt elegantiſſima. Arabice حبل *concipere* notat. Ita Arabs MSS. Luc. c. 1 : 24. pro Græco συνέλαβεν dedit حبلت *Et poſt dies hos* حبلت اليشبع συνέλαβεν Ἐλισάβετ. Sic vſ. 31. Ἰδὺ συλλήψῃ ἐν γαστρὶ. هـا انت تحبلين. Iterum vſ. 36. συνειληφυῖα حبلي *Gravidam eſſe* præterea notat, prout הרה utrumque etiam. Ita pro ὑρέθη ἐν γαστρὶ ἔχουσα Arabs habet ; صوت حبلي. Inde חבל apud Jobum cap. 39 : 3. *fœtum* exponi poſſe monui.

Verſ. 14. ברח דודי ודמה לך לצבי או לעפר האילים.

Fuge dilecte mi &c. Difficultatem parit Interpretibus votum hoc, a ſponſa nullo, ut videtur, modo optandum, cujus in ore hoc potius conveniat, ἔρχου κύριε, ut in fine Apocalypſeos. *Chaldæus* ita פרוק לך רחמי מרי עלמא מארעא הדא מסאבא ותשרי שכינתך בשמי מרומא *Fuge tibi miſericors mundi Rector ex terra hac contaminata, & Majeſtatem tuam in cœlis altiſſimis colloca.*

Rab-

Rabbini: *Aufugiendum eſſe cum Eccleſia ex captivitate.* Ex noſtris alii alias excogitant rationes, prout ipſis ſeries orationis ferre videtur. Sunt qui ſimpliciſſime explicant: *propera; accelera* ad me; at *receſſus fuga properatur* non *acceſſus.* Conjectura mea, cui tamen multum tribui nolim, hæc eſt. Arabice برح præter *fugiendi* ſignificationem, etiam *apparere*, *in conſpectum venire* notat, præſertim *in auſpiciis*, vox enim auſpicalis eſt. *Damir* apud *Boch. Hierozoic. Lib. I. cap.* 3. التطير اصله من الطير اما مر سانح وبارح وقعيد وناطح. Vertit ὁ πάνυ: *Vox* تطير (id eſt, *augurium*) *derivatur a voce* طير (quæ eſt *avis*) *prout & Sanich & Barich, & Kaïd & Natich.* Hæc quid ſibi velint, nemo niſi Arabice Doctus intelliget unquam, nam nimis propere hæc expreſſit Vir Magnus. Vertendum eſt: *Vox augurium ab ave* eſt derivata, eſtque augurium, *cum tranſit ea & apparet, vel Sanich* (id eſt, *a parte ſiniſtra*) *vel Barich* (id eſt, *a dextra*) *vel Kaïd* (*a tergo*) *vel Natich* (*a fronte & obvia*). Eſt ergo برح נרח *apparuit* præſertim *in auſpicium*, eſtque fere apud Arabes mali ominis, quum auſpicale animal a dextra apparet. Hanc ſigni-

ſignificationem Hebræis cognitam fuiſſe, vero valde ſimile fit, ex voce בריח ſerpenti addita נחש בריח apud *Jobum* & *Eſaiam*, quod equidem verterem: *Serpens infauſtus.* Vid. not. meas ad Job. 26: 13. *Qui infauſto apparet.* Semper enim mali ominis habiti ſunt ſerpentes. At loco huic minime id convenit. Ita eſt; at verbum ברח ſua vi non malum dicit, ſed uſu tantum; generalis enim vox eſt. Ita dicunt برح الخفا *Apparuit occultum:* برح الظبي *Apparuit* venatori *dorcas:* ברח אלצבי. Ita plane in textu noſtro. Sic in Proverbio in bonam partem ſumitur: كبارح الاروي *ac ſi caprea prodeat montana*, de re rara & inexſpectata. *Apparitionem* igitur notat tam *bonam*, quam *malam* & μέσον eſt. Hinc verti poterit: *Appare dilecte mi*; & *aſſimilator dorcadi* &c. Quod autem בריח *infauſtam* ſonet *apparitionem*, mihi nihil officit, nam eodem modo *ominoſum* & *auſpicatum* aliquando in *malum* ſumuntur, cum etiam *bonum* ea notare poſſint.

ANI-

ANIMADVERSIONES PHILOLOGICÆ IN ESAIAM.

Cap. I.

Vers. 22. סבאך מהול במים

Occurrit vox semel tantum lecta מהול: Veteres pariter ac recentiores Interpretes *mixtum* interpretantur: *Vinum tuum aqua mixtum est.* Ita nempe *vinum* & *aqua* persuadebant τὸ מהול *mixturam* utriusque indicare. Non autem probatur, מהל proprie significare *miscere.* Kimchius quidem a patre edoctum se dicit, מהול Arabibus מעורב *mixtum* notare, verum Arabes Lexicographi nihil de hac significat. monent. Hebræis מול *circumcidere*,

dere, primario autem *ſecare*; forte מהל idem notat. Affine certe eſt. Ita pro מור Arabes فهر habent. ال ſeu اول & اهل idem ſignificant. Alia ejus generis exſtant plurima. Quo autem certior ſis, ita in מול & מהל accidiſſe, obſerva apud Thalmudicos מהל *circumcidere* notare, quod ex מול palam formatum eſt, & illud æque atque hoc *ſecandi* habere notionem comprobat.

Hinc proprie ita vertendum foret: *Vinum tuum aqua ſecatum eſt*, id eſt, *mixtum eſt* locutione Arabum. Sic in *Zjauhario* legitur قطب الشراب مزجه *Secuit vinum*, id eſt, *miſcuit*. Sic cum قطع dicunt قطع با لشراب *Secuit vinum aqua*: participium مقطعة abſolute *aqua dilutum vinum*. Confer omnino quæ notavi ad *Gen.* 40: 11. Verum ne quid diſſimulem, ſupereſt difficultas, quam obſervavit etiam Cel. *Guſſetius*. Monet ille *vinum aqua mixtum eſſe*, in vitio non eſſe apud Orientales, qui vinum aqua mixtum plerumque ſolebant bibere. Atqui locus noſter poſtulat, ut vitium & corruptio vini indicetur. Hinc ipſi מהול eſt pro מהולל *infatuatum*. Conferebam aliquando rad. Arab. مهل pro quo & per metath. همل

مهل quæ *contemtum*, *neglectum* primario notaſſe videntur, quod argumentis quibuſdam & exemplis a me obſervatis confirmare poſſem. Quia tamen de rad. مهل illud Arabes non tradunt, nihil affirmare auſim. Hoc pacto ב in נמים eſſet, ut in illo poëtæ:

يلمزه بكذاب اشر

Pro mendace & improbo ipſum traducit:

Sadius in *Guliſtan* cap. 4. Ita alias etiam ב apud Hebræos venire oſtendo.

CAP. III.

Verſ. 26. ונקתה לארץ תשב.

LOcutio eſt, cui ſimilis in Sacro Codice nulla alia occurrit. נקה *purum eſſe* prima fronte hic convenire non videtur; excidium enim & everſionem Urbis hic prædicit Propheta. *Vulg.* ex ſenſu: *Deſolata in terra ſedebit.* Lxx. καταλειφθήσῃ μόνη, qui *Nikkattha* legerunt. Vulgo ad explicationem hujus loci adducunt Interpretes *Prov.* 14: 4. & *Amos* 4: 6. in primo loco legitur באין אלפים אבום בר in poſteriori נתתי לכם נקיון שנים. Neuter plene ad

rem eſt; nam hic נקה eſt *expilare*, *depræ-dando vacuum* & quaſi *purum efficere*. Locutio hæc eſt unice ex Arabiſmo illuſtranda, qui commoda & plane ſimilia ſuppeditat exempla. Verbum خلص notat *purum, mundum eſſe*. Hinc dicunt استخلص المدينة *urbem depopulatus eſt*, & *depræda-tus* : Proprie, *mundam reddidit*. Hiſt. Tamerl. p. 307. وقصد الجواشي والاطراف لاستخلاص ممالك والاكناف *Terræ oras & plagas petebat, ut ditiones & imperia emundaret*, id eſt, *exſpoliaret*, & *eorum opes ſibi raperet*. Sic alias ſæpe in eadem *Hiſtor.* Idem in verbo صفي, quod etiam *purum eſſe* notat, obſervari poteſt. *Abulphar.* 234. استصفي اموالهم, *Divitias eorum ad ſe pertraxit*. Propius *Hiſtor. Tamerl.* pag. 262. ثم سلب عن القلعة غناها وافقرها واقواها عن ذخايرها واقفرها واخلاها وقد استصفي منها ابيضها واصفرها *Tunc caſtellum illud divitiis ſuis ſpoliavit, pauperatumque theſauris ſuis evacuavit & compilavit, & quidquid in eo erat* (in Arab. eſt *album cum flavo*) *emundavit* : נקה *pleniſſime exhauſit*. Perſæ eodem

eodem modo loquuntur. *Sadius* in *Guliſtan.* دزد بر کاروان زدد وپاک ببردد *Prædones Caravanam invadunt, & cuncta diripiunt.* In Perſico eſt, **en ſy namen 't 'er rein / of ſchoon weg.** Dicere etiam poſſemus: **Zy maakten 'er 't ſchoon.** At quo plura? En illud ipſum loquendi genus cum verbo נקה. *Hiſt. Tamerl.* pag. 162. deſcribit auctor everſionem urbis *Siwas* (*Sebaſte* ea veterum eſt, *Sevaſtia* in Tabula *Peutinger.*) quam ita tradit. والان وقد حلت بها الغير *Hac plane nunc ſede mutata eſt & everſa, incoliſque huc illuc diſperſis funditus deleta jacet* : hac ruina & depopulatione ob oculos poſita ſic pergit. ولما استنقي تيمور شيواس لحما وقعيا *Cum ergo Tamerlanes Sevaſtiam ad carnem uſque & medullam* נקה *expurgaſſet.*

Dubium non eſt, quin hic ſit verus loci noſtri ſenſus: quod autem alii hinc explicent Jer. 30: 11. & 46: 28. לא נקה אנקה quaſi id ſonet, *neutiquam ad purum putum exhauriam* aut *perdam*, rectene id fiat an ſecus, nunc non diſputo; *Chaldæus* certe שיצאה לא אשיצנך *perdendo non perdam te* utrobique reddidit, & revera commodiſſimum illud videtur, quamquam & altera ver-

verſio defendi poſſit, quam Lxx. dederunt & *Vulg.* *Kimchius* in hunc etiam ſenſum exponebat Zach. ϛ : 3. כל הגנב נקה ubi Lxx. ἐκδικηθήσεται, unde nonnemo conjiciebat, eos נקם legiſſe. Fruſtra. Nam & *Chaldæus* Joel. 3 : 21. נקה bis אתפרע *ulciſci* vertit. Porro *L. de Dieu* huc trahebat inſigne illud Juſtitiæ Divinæ teſtimonium Exod. 34 : 7. Cui quidem ego hactenus aſſentiri non poſſum. Tandem Commentatores quidam Judæi ita explicarunt locum obſcurum ſatis *Joël.* 3 : 21. ונקיתי דמם לא נקיתי ubi ultimum illud נקיתי teſte R. *Tanchum* a quibuſdam ſumitur ſignificatione الاستيصال *radicitus evertendi*, hoc pacto: *purgabo eorum ſanguinem, non penitus exſcindam;* ſupple *eos.* Obiter monendum eſt de loco hoc *Eſaiæ*, verba illa לארץ תשב non ſatis recte a quibuſdam intelligi: *ſedere* hic eſt *dirutum collabi & ſolo æquari*, quare recte Lxx. ἐδαφισθήσῃ· *Vulgat. ſedebis:* Recte & Latine. *Statius* de incendio *Capitolii.*

—— *Nondum rogus ille Deorum*
Sederat.

Hoc *Virgilio conſidere* de *Ilio* everſo.

—— *Viſum conſidere in ignes*
Ilium

Tacit.

Tacit. Hiſt. Lib. 3. *Cum omnia ſacra profanaque in igne* conſiderent, *ſolum Mephitis templum* ſtetit.

CAP. V.

Verſ. 2. *Vinea erat dilecto meo pingui in colle*
ויעזקהו ויסקלהו.

HIeron. *& ſepſit illam & lapides elegit ex illa:* Lxx. καὶ φραγμὸν ὠκοδόμησα καὶ ἐχαράκωσα in 1. non in 3. perſ. De verbo עזק non niſi hic lecto atque obſcuro proinde ita Kimch. in Lib. Rad. פ" חפר וכן ברברי רגות" הלך כשרה ומצאו יושב ועזק תחת הזתים *Verbum* עזק fodere *notat, atque ita occurrit in ſcriptis Rabbinorum.* Menach. fol. 85. *in agrum egreſſus invenit eum ſedentem &* עזק *fodientem ſub olivis.* Addit etiam aliam Interpretationem, quæ cum Veterum mente congruit. גדר כביבותיו *undique ſepſit.* Scil. כטבעת שהוא עגול ותרגום טבעת עזקא *in rotundum inſtar annuli, qui Chaldæis* עזקא *appellatur.* Eodem modo Rashi. ויעזקהו סייגו וגדרו סביב מוקף כמו טבעת דמתרגמינן עזקא. Sed ſolidum non videtur ac firmum ſatis fundamentum hoc, quo עזק *cingere* exponatur. *Annulus* enim *ſignatorius,*

rius, qualis עזקא *Chaldæis* eſt, melius aliunde quam a *cingendo* nomen traxerit. Ab. Eſra igitur parum originationi iſti tribuens ſignif. *ſepiendi* ex Arabiſmo firmat. בלשון קרר טעמו כמו גדר ומשוכה. Confecta res eſſet, ſi ſatis verum hoc eſſet. At vereor impoſitum fuiſſe Ab. Eſræ; diligenter enim mihi inquirenti illud conſtare non potuit. Solet etiam alias Arabiſmus falſo ab Ab. Eſr. in ſubſidium vocari; ut Joël. 2: 7. & alibi. Habet verbum עזק عزق Arabicum convenientiſſimam loco huic ſignif. *fodere* ſcil. peculiariter *fodere terram lapidoſam*: unde معزقة in Golio exponitur: *Inſtrumentum quo terra aperitur, ubi aratro non eſt locus*; Nempe quum lapidoſa eſt terra. Mirum in modum id huc congruit. ויעזקהו ויסקלהו *fodit eam & elapidavit*. Ita Kimch. ex Rabbinorum lingua locum hunc expoſuiſſe vidimus. Hanc etiam tutiſſimam puto Interpretationem, licet aliter videri poſſet ex Matt. 21: 33. niſi frequentia in N. T. eſſent exempla, quæ Sacros Scriptores verſionem ☥ Lxx. retinere aliquando, pravam licet, evincant.

Verſ. 7.

Vers. 7. ויקו למשפט והנה משפח לצדקה והנה צעקה.

Hieron. *Exspectavi ut faceret judicium, & ecce iniquitas, & justitiam, & ecce clamor.* Sic Lxx. ἔμεινα τοῦ ποιῆσαι κρίσιν, ἐποίησε δὲ ἀνομίαν. Qua ratione משפח hic *iniquitatem* reddant, nullam video, nisi quod ex sensu ita conjecerunt. *Aquila* teste *Hier. dissipationem* dederat. Rabbini *Ab. Esra* & *Kimchius* ex verbo ספחת & מספחת in Lege, pro *abscessu* aut *suppuratione* sumto, locum hunc explicant: *Expectavit judicium & ecce suppuratio*, vel, ut alii, *scabies*. Sensus valde incommodus & non apta satis oppositio. *R. Salom.* אסיפת חטא על חטא *peccati ad peccatum accumulatio;* putabat nempe כפח esse *accumulare.* Alii *pertinacia, contumacia* absque ulla auctoritate. Ego illud משפח expono, *effusionem sanguinis;* quod eleganter & apposite τῷ משפט *justitiæ* opponitur. Arab. سفح notat *effundere.* Eam signif. in verbo כפח invenio Job. 14: 19. Et Hab. 2: 15. quod videsis. Speciatim notat hoc verbum quandoque *effundere sanguinem*, unde سفاح *tyrannus, homo cruentus.* Hunc usum recipit locus hic, & eo modo diffi-

diſſimum efficit ſenſum; ſanguinis enim innocui effuſionem a Propheta deſignari ſequens צעקה condocet. Ceterum elegantiſſimam paronomaſiam in quatuor hiſce verbis obſerva, quod Hieronymus jam olim in Comment. ſuo adnotaverat.

Verſ. 13. צחה צמה.

Aridus ſiti: Ita vulgo & recte. Illud tantum monere volo, cum forma צחה non recte a צחח, ad quod vulgo refertur, deduci queat, Arabiam nobis radicem צחה etiam exhibere, quo analogice referatur. Verbum ضحي *clarus fuit*, ut צחח, & de ſole, *uſſit*, præſertim *ſiti*, quomodo hic uſu venit. Ex multis unus *Corani* locus ſufficiat. Sur. 20: 117. وانك لا تظمـا فيهـا ولا تضحي *Nec ſities in ea* לא תצמא, *nec ſolem patieris* לא תצחה. Plurima alia in hanc rem ſub radice ضحي habent Arabes, quæ ex Lexicis peti poſſunt. Habent & Arabes rad. צחח unde ضح *lumen ſolare*, & ipſe *Sol*, ut Æthiopes ab præc. raq. צחי. Verbum ضحضح geminatum *manifeſta, evidens fuit res*, quemadmodum Hebr. צחות ſunt *explanata, -lare expreſſa* verba Eſai. 32: 4. Alibi

bi plura. Nunc unicum hoc. צחיח ſolet exponi *arduus locus* in petra; ita *Kimch.* & omnes noſtri. Vir in Arabicis impenſe doctus confert Arab. صحاح quod probare non poſſum. Ego non dubitem צחיח *petram* exponere, quod eſt a צחח, ut صفاة itidem *petra* a صفي ejuſdem cum צחח notionis, *clarum eſſe: Petram* ſcil. intelligunt *levem, duram & omni herba nudam.* Alcoran. Sur. 2. vſ. 266. مثله كمثل صفوان عليه تراب فاصابه وابل فتركه صلدا *Eſt iſte inſtar petræ levis, cui terra inſperſa eſt, in quam quum imber deciderit, duram eam ac levem relinquit.* Vides quid ſit צחיח & صفوان *petra levis.* Ceterum unde hanc parabolam hauſerit *Mohammed*, nihil eſt quod moneam.

CAP. VII.

Verſ. 6. *Tendamus in Judam* ונקיענה

MIre Lxx. καὶ συλλαλήσαντες αὐτοῖς. An legerunt ונקצנה? nam Arab. قص eſt *confabulari*; an potius ad ſignif. Arab. verbi قيض reſpexerunt quæ non multum differt. Alcor. 43: 35.

نقيض له شيطانا فهو له قرين

Conciliabimus ipſi Satanam, eique ſocium adjungemus. Sed ad rem. *Vulg.* ex ſignif. verbi קוץ, quæ eſt *evigilare*, dedit; *ſuſcitemus eam*; ſic alii. Rectius ex altera ejuſdem verbi, *tædendi* ſcil. ſignif. *tædio afficiamus eam.* Hoc ſtylo Orientis eſt *obſidione premere:* Verbum ضجر Arab. eſt *tædio affici* & ضجر *ægritudo ex tædio*, hoc ſæpiſſime in 3. conj. ubi tranſit: recipit vim, *obſidione premere* notat. Hiſt. Tamerl. pag. 133. *Cum Timur ad Multan pervenit, ei ſe oppoſuit Sjarnik Chan* فاقام يحاصرها وقعد يضاجرها *quare obſidione cinctam tædio affecit.* Et pag. 276. فاولع بمحاصرتها والتزم بمضاجرتها

Vehementer eam obſidere & tædio afficere cupiebat, animoque fixum id erat. Et ſic ſæpiſſime alibi ضاجر *tædio afficere* apud Hiſtoricos eſt حاصر *obſidere.* Contra ضجر, id eſt, *tædio capi* dicuntur, qui *obſidione cinguntur*, in Abulphar. aliiſque, quod ipſum in Hebr. קוץ obſervo in hoc cap. noſtro vſ. 16. *Derelinquetur terra*, אשר אתה קוץ מפני שני מלכיה. Quum hactenus fugerit Interpretes, *affici eos tædio* dici *qui obſi-*

obſidione premuntur, omnes quos ego vidi *Vulg.* Lxx. *Rabb. Belgæ*, ceteri ita verba expreſſerunt: *Derelinquetur terra, quam tu averſaris, propter ejus duo reges.* Propius puto & magis Hebraice: *Cujus a duo regibus tu tædio afficeris.* מפני cum קץ compingendum utique erat, ex creberrimo linguæ uſu. Divellunt hæc Interpretes, & אשר τὸ a קץ regi putant: *Cujus tædet*, terræ ſcilicet. At קץ ſemper cum ב conſtruitur vel cum מפני, adeoque באשר ſi ſtabit verſio hæc, vel מִפְּנֵי אשר ſcriptum oportuit.

CAP. VIII.

Verſ. 21. נקשה ורעב

LXX. σκληρὸν λιμὸν non ſatis recte. *Hieron. Corruet & eſuriet.* Cur נקשה *corruet* vertat non video. An ad נקש *illidere* reſpexit? Hæſitant Interpretes quid proprie illud נקשה hic indicet. Quidam *gravatum* exponunt, ſeu *indignabundum*. Alii *dure habitum*: partim *induratum*: Alii aliter. Ego ex Arabum ſtylo monſtravi *duros* appellari *famelicos*; ad *Jobum* ſcilic. cap. 5 : 22. ubi legitur בכפן גלמוד. Vocem גלמוד proprie *durum* ſonare docui ad *Job.* 3:7.

In

In *Abulphar.* مكدي *durus*, pro *mendico*, *famelico* ſumitür pag. 299. Sic in illo

يكدي الفتي في عيشه وهو عالـــم

Durus eſt homo in vita ſua, licet ſapiens ſit. Durus eſt, id eſt, *famelicus eſt, fame premitur*; quod liquet ex conſequentibus. *Nam*, additur, *ſi ex ſapientia victus concederetur, fame perirent bruta.* Ita alicubi in Adag. *Golii* legiſſe me memini.

CAP. IX.

Verſ. 5. aliis 4. בי כל מאון מאן ברעש.

LOcus eſt perobſcurus & denſiſſimis offuſus tenebris. Connexio cum prioribus repetenda videtur, ut inde lux aliqua affulgeat. Vſ. 3. de quo non una interpretum mens eſt, ita Belgarum veſtigiis inſiſtens verto: *Auxiſti gentem hanc*; nunc ſuppleo אשר quo nihil familiarius in Hebraiſmo: *Cujus non magnum effeceras gaudium*; agit de initiis N. T. & regni Chriſti cujus licet ſubditos quotidie augebat Deus, gaudio tamen eos non perfundi ſinebat, ærumnis ſcil. & perſecutionibus *Judæorum* preſſos & fractos: ἐπανορθωσῃ autem

tem uſus quaſi, & ſe ipſum corrigens prophetâ mox ſubjungit: *Imo lætantur* לפניך *coram te*, hominibus licet miſeri ac ærumnoſi videantur, Divino tamen gaudio plena eorum corda ſunt, quo perpeſſionibus gloriandum ducant; & *quidem lætitia*, qualis *in meſſe* illabi, aut *in opimis ſpoliis captis*, hominum animis ſolet. Hæ meæ in vſ. hunc conjecturæ ſunt, cujus ſenſus non facilis adeo & illuſtris: Sequitur vſ. 4. ubi cauſa ſpiritualis hujus lætitiæ redditur: *Nam jugum* (cœrimoniarum, an Diaboli, nunc non inquiro, neque etiam ad rem noſtram) *quo erat onuſta, & virgam exactoris ejus tu confregiſti, ſicut die Midianis.* Jam ſequitur: כי כל סאון סאן ברעש additur etiam mox ושמלה מגוללה בדמים. Hæc ita ſolent verti: *Quia omnis conflictus confligentis cum ſtrepitu, & veſtimentum cædibus inquinatum.* סאן verbum eſt, quod alibi non reperitur, unde vera ejus notio perobſcura. At cur *confligere* reddunt? Ratio in promtu eſt, quod de רעש *tumultu* bellico, & *veſtibus ſanguine tinctis, conflictus* effectis, in ſeq. dicatur. Alii eodem fundamento *tumultuari* exponunt ex voce רעש. Alii *ſtrepere, vociferari* non alio etiam fundamento. Ingenue id fatetur *Kimchius.* ענינו

לפי

לפי מקומו-צעק וצרת. *Significatio verbi ex ſenſu eruenda eſt, vel dolor, vel clamor.* Ratio certe nihili, quæque graviſſimorum ſæpe errorum cauſa eſt, quod cum alias ſæpe tum hoc ipſo in loco vel ex Lxx. patet Interpretibus, qui quum idem jus ſumſiſſent, vocem ignotam מאן ex aliqua ſequentium exponendi, στολὴν *ſtolam* interpretati ſunt ex ſeq. שמלה *veſtis*, manifeſto lapſu. Aliam nomine patris verſionem citat *Kimchius*, ubi מאן pro *calceo* ſumitur, ex Chald. מין & *Thalm.* מסאני *calcei*, quæ vocabula in *Syria* etiam & *Æthiopia* nota ſunt, quæ conjectura aſſenſum non meretur. *L. Capell.* ex Arabiſmo aliquid tentat: *Arabice*, inquit ille, شان *ſignificat* καταισχύνειν *ignominia afficere, quæ ſignificatio non aliena eſt hoc loco.* Quam vellem id oſtendiſſe Virum Doctum, mihi quidem certe alienior eſſe videtur. Deinde شان non reſpondet Hebr. מאן quia *Aleph* medium in verbo Arabico non radicale eſt, ſed loco *Jod* poſitum, شين enim eſt. Et ego ex Arabiſmo tentabo, non feliciori forte ſucceſſu. Hebræo מאן reſpondet Arabum شان *Aliph* med. radicali, & cum ش, ut enim Ara-

Arabes Hebr. ש in س, ſic contra ס in ش mutare ſolent. Id verbi patentis admodum & diffuſæ eſt ſignificationis; Latine uno verbo exprimere non licet, ideoque verbis aliquot (erit enim notius pluribus notatum vocabulis idem fere declarantibus) vim ejus oculis ſubjiciam. Comprehendit ergo Latinorum, *facere*, *agere*, *intendere*, *ſibi proponere*, *curare*, *velle*, *expetere*. Sed meliores, quam ipſos Arabes, magiſtros non facile inveneris, ideoque ex eorum libris exempla quædam, quæ hujus verbi naturam & uſum exhibeant, depromam. *Conditionem* ſæpe, & *ſtatum* dicit vox מאון ſeu شان. Abulph. Hiſt. Dyn. pag. 556.

كل يوم هو في شان

Unicuique dici ſuus eſt מאון ſingularis *eventus*, *ſtatus*, *conditio*. Iterum pag. 229.

ملكة جليلة عظيمة الشان

Regina illuſtris, *magnæ conditionis*, i. e. *dignitatis*. Ambiguum ejus uſum, ut tam malum dicat quam bonum, ex hoc exemplo cernere eſt. *Hiſtor. Tamerl.* pag. 214.

وصار لكل منهم يومين شان يغنيه

Evenitque tunc temporis unicuique מאון *ſtatus, quo contentum eſſe oportuit.* Latine ut potui

tui expreſſi; obſcuriora enim ſunt verba nec eorum omnem vim Latine facile exprimas. Locus eſt ex *Corano* deſumtus Sur. 80: 37. ubi eadem verba leguntur; quorum veram ſignificationis efficaciam ex ſeq. plenius percipies: وجوه يومئذ مسفرة *Nitentes tunc videas facies:* id unum eſt מאן, ſed & وجوه يومئذ عليها غبرة *facies* videas *pulvere atras* impiorum ſcil. & damnandorum. Hoc alterum eſt מאן. Hæc loco noſtro ſi applices talis foret ſenſus: *Omnes quo tandem ſtatu eſſent, quidve demum agerent, tumultu bellico*, id enim רעש eſt, vel *terrore Divino*, ut *in die Midianis*, ſubito injecto *perterritos eſſe & fractos.* Illud tamen heic deſidero, quod מאן hoc pacto paſſivum eſſet, ſicut etiam eſt, in exemplis Arabicis, cum actionem hic locus poſtulet & quidem intentiorem, repetitione ejuſdem verbi מאן מאן ſignificatam. Activum ergo uſum verbi شان examinabimus; ubi primo monendum (nam & hoc aliquid facere videtur) ut in loco noſtro nomen cum verbo ſuo copulatum eſt, ſic Arabes nunquam fere verbo شان uti, niſi nomen ejuſdem radicis conjunctum ſit. Ita dicunt شانه شان ſeu

מאן

מאנו quod ab Arabibus declaratur per قصد قصدة *ad ſcopum ſuum perrexit; ea, quæ intenderat, perficere ſtuduit; rem ſuam curavit;* ut hoc quoque pluribus verbis inſigne faciamus: ſed uſum Arabum iterum videre præſtabit. Activa ergo ſignificatione מאן ſumitur in *Alcorano*, ubi inſignem habet uſum, ex quo multa percipies. Sur. eſt 10: vſ. 62. وما تكون في شان وَلا تتلوا منه من قران ولا تعملون من عمل *Non eſtis in* מאן *actione* (ita nunc vertam) *aliqua, nec Coranum legitis, ullumve aliud opus peragitis, quin vobis adſimus teſtes.* Omne ergo *opus, negotium, actio, quodcunque* tandem & *cujuſmodi agatur*, id omne מאן dici poteſt. Sur. 24: 62. واذا يستاذنوك لبعض شانهم *Et quum veniam rogabunt te ad quædam negotia ſua.* Abulphar. Hiſt. Dyn. p. 216. Chalipha Almanſor ex principibus quendam fraude interfecturus, quatuor ſatellitibus poſt ſiparium ſe abdere juſſis, hæc mandat: اذا انا صفقت بيدي فشانكم *Cum ego manus meas comploſero* ומאונכם *tum agite, quod vobis agendum eſt.* Hiſt. Tam. pag. 15. exſtat verſiculus hoc exemplo.

لا تحقرن شان العدو وكيده
ولربما صرع الاشبون الثعلب

Ne inimici מאן *actionem ullam, & fraudem*
parvi æstimes;
Nam aliquando & vulpes leones proſtravit.

Vides ex luculentis hiſce exemplis, quam longe lateque ſeſe uſus & ſignificatio radicis מאן extendat, ac ei tribui omnes hominum actiones, eamque tanquam nomen generale, omnia humanæ vitæ negotia, tum interna animi, cogitationes & intentiones, tum corporis externa, cujuſce tandem ſint generis, complecti; ut adeo ea omnia quæ Interpretes excogitaverant, *clamores, tumultus*, ceteraque hic contineantur: כי כל מאון מאן ברעש *Quia omne negotium, omnis actio, aliquid agentis in tumultu* fiebat *bellico*, omnia ſtrepitu, confuſione, turbulento concurſu agebantur, qualis in die cladis eſſe ſolet, *quum Veſtes ſanguine tinctæ ſunt, & in eo volvuntur*. Perinde autem eſt, an ad cladem Midianitarum, eorumque confuſionem hæc referas cum Belgis, an ad hoſtes regnum N. T. oppugnantes, qui cæde, ſævitia, carnificina in fideles graſſabantur: idem enim ſemper manet ſenſus verborum. Non poſſum hic non addere novam Clar.

Guſſe-

Gussetii conjecturam, qui radicem מאן ex voce מאה *Sea*, mensuræ aridorum in Scriptura notissimo nomine, explicavit; unde conjicit מאן potuisse significare *mensurare*, & מאון idem cum מאה *mensuram*, quod illustrat aliquanto ex eo, quod ה quiescente prædita verba ן *Nun* quandoque assciscant: ut in צפה & צפן in צעה & צען, quibus addo in Arabia idem fieri, ut in قصي (illud *Jod* est loco *He*, est enim Hebr. קשה) & قصن in شجي & شجن aliisque. Itaque vertit: *Cum omnis mensuratio mensurantis in tumultu* erat *bellico*. Atque hoc amplius confirmat ex Historia Sacra, refertque ad imperii *Midianitici* tempus, quum *Israëli* servitute presso propter *Midianitarum* incursiones & depeculationes fructus colligendi spatium non concedebatur, unde tumultuarie & continuo cum metu hostium messem fructusque ex agris surripere quasi cogebantur; & hoc sensu מאון מאן *mensurationem mensurantis* ברעש *in tumultu* fieri dici. Peracute dicta videntur. Sunt tamen quæ ad hæc habeam reponenda: primo illud מאן מאון Spir. S. die prælii *Midianitici* (siquidem ad illa tempora verba hæc referri placuit *Gussetio*) factum

tum dicit; יום מרין enim eſt *prælium Midianiticum*, nam *dies* dicitur *gentis*, qui ejus clade & ſtrage inſignis eſt. Vid. notas meas ad Jobum. Proxime etiam ſubjungitur, & *veſtis ſanguini involuta*, quod prælii eſt. Atqui ad quam Hiſtoriam reſpici putat Vir Doctus, *Gideonis* ſcil. fruges ex agro furtim colligentis Jud. 6: 11. ea prælium hoc antecedit. Illud etiam incommodum videtur, ut frugum collectio ex agro *menſuratio* vocetur, & quidem *Seæ*, menſuræ non capacis & perexiguæ. Tandem quid de Cl. *Guſſ.* conjectura fiet, ſi verba ea non ad *Midian* referas, ſed ad Judæos Chriſtum impugnantes, quæ ſententia graviſſimos habet auctores. Illud conjectura mea commodi, præ *Guſſetii*, habere videtur, quod ſive huc ſive illuc referas, utrobique conveniat. Fere oblitus eram Interpretem *Chaldæum* eodem fere modo, quo ego feci, locum expoſuiſſe: מתנהון ומכנהון ברשע *Omnis eorum negotiatio*, commercium omne, quodcunque & quocunque loco agerent, ברעש *in tumultu* fiebat, ita enim legendum puto pro ברשע. Hoc modo verba ad fideles afflictos referri poſſent, quaſi eorum omnis פאון *intentio*, *propoſitum*, *actio*, *negotium*, *in tumultu* fierent, & *perpetua hoſtium*

ſtium perſecutione. Malo tamen ego ad ipſos referre hoſtes; quicquid illi agebant, quicquid intendebant, machinabantur, aut moliebantur (nam מאן Arabice eſt قصى قصىء *intendere*, *machinari* etiam) quicquid, inquam, ſibi proponebant, *tumultus* id erat & perſecutiones in Eccleſiam ſuſcitare, *veſteſque* ſanctorum *ſanguini intingere.*

CAP. XI.

Verſ. 13. *Et auferetur* קנאת *invidentia Ephraimi;* וצררי יהורה יברתו.

OMnes fere Interpretes exponunt: *Et hoſtes, oppugnatores Judæ excidentur.* Ego ex ultimis hujus vſ. verbis יהורה לא יצר אפרים puto rectius vertendum eſſe ſenſu activo, *tſorere ex Juda.* Ut Hoſ. 13: 2. זבחי אדם & Eſai. 29: 19. אביוני אדם Dan. 11: 33. משכילי עם *Sapientes e populo.* Et ſic locus controverſus Dan. 12: 3. מצדיקי הרבים: *Qui juſte agunt ex multis.* Aliud adhuc de loco hoc monendum habeo, Interpretes צררי & ſequens יצר *oppugnatores* & *oppugnabit* ſolent reddere. Non rejicio id; attamen alia heic loci horum verborum vi-

detur vis; ſcil. eadem fere quæ eſt verbi קנא *invidere, zelotypum eſſe.* Hanc ſignif. habet Arabiſmus, ضر & in 3. ضار. Hinc ضرار & ضرير & مضارة *Zelotypia.* Verto itaque totum locum: *Et ceſſabit Ephraimi Zelotypia, & invidi ex Juda delebuntur. Ephraim in Judam Zelotypus non erit, Juda etiam Ephraimo non invidebit.* In Hebraiſmo hunc uſum admiſiſſe radicem צור liquet ex 1 Sam. 1 : 6. ubi vide notas meas.

CAP. XIV.

Verſ. 4. איך שבת נגש שבתה מדהבה

DIfficultatem parit vox מדהבה, quæ alias in Hebraiſmo non occurrit. Recentiores fere Interpretes Judæi & Chriſtiani Chaldaicam faciunt vocem & a זהב *auro*, quod Chaldæi דהב efferunt, derivant; *auratam* vertunt alii, id eſt, *opulentam*, alii *auri exactricem.* Kimch. *Madheba eſt ex Chald. Dahba aurum, eſt adjectivum Babelis* שהיתה לוקחת מס הזהב מכל הארצות *quæ tributum auri imperabat cunctis gentibus.* Ab. Eſra parili modo: *Madheba eſt ex Chaldaico, & ſic in Kedarena* (Arabica) *lingua;* והטעם זהב מס *intelligit autem aurum tributarium.*

tarium. Ab. Eſ. in mente habuit Arabum ذهب. Vulgat. eodem pacto : *Quomodo ceſſavit exactor, quievit tributum.* Sed durum videtur hoc מרהבה *tributum* exponere, & verbum רהב *aurum tributarium imperare;* quin & רהב tanquam verbum a Chald. uſitatum non reperimus: Arabice vero ذهب eſt *inaurare* in 2. & 4. conj. unde מרהבה eſſet *inaurans* (tranſit. eſt & in Hiphil) quod non convenit. Quod ſi Chaldæis רהב olim fuiſſet *tribuum imponere*, ſtulte egiſſet paraphraſtes Chaldæus, quod ſignif. illa convenientiſſima & ſibi notiſſima relicta verterit חיבא תקוף *vis impii.* Lxx. etiam id ignorarunt; quibus *Madheba* eſt θλιψασδάσης quos pro more ſecutus Arabs الحريص dedit, & Syrus מחפטנא *inſtigator*, nempe ob præcedens נגש. In re dubia hæc tento. Arabice ذهب ſeu רהב eſt *abigere, auferre.* Hiſt. Tam. ذهب منهم الراس *abactus eſt ab iis princeps*; de militibus etiam prædam agentibus ירהבו يذهبون dicitur non uno in loco. Similis eſt uſus pag. 120. ubi de incolis *Deſt. Tunc frequentibus iſtis præliis debilitati, extenuari cæperunt & diſpergi huc illuc*

وقد كان جلهم ذهب مع تيمور

Quin antea jam maximæ eorum opes a Tamerlane erant abactæ. Verbum ذهب etiam aliquando *perire* notat. Abulphar. 367. ذهب المال والدواب والازواد *facultas, jumenta & commeatus perierunt.* In 4. ان ذهب ſeu הרהיב *exitio dare* Alcor. Sur. 35 : 17. ان يشا يذهبكم ويات بخلق جديد *ubi voluerit perdet vos, & novas producet creaturas.* Sic Sur. 4 : 132. ubi eadem fere & ſic ſæpe alibi. Hinc מרהבה poteſt eſſe *exitio dans* & *perdens* gentes, vel, quod præhabeo, *agens* ſpolia nempe gentium ; quod cum præced. נגש *exactore* commode copulatur.

Verſ. 7. פצחו רנה

Locutio Eſaiæ familiaris quæ etiam cap. 44 & 54. exſtat. De verbi פצח vera notione dubitant docti. Vulgo *perſonare, ſonum edere* dicitur eſſe, vel etiam, quod Bochartо placet aliiſque, *exultare*, quia Syris id eſt פצח. Non recte res inſtituitur. פצח Hebraice *frangere* notavit unice; Mich. 3 : 3. *Oſſa eorum* פצחו *diffregerunt.* Quid hic Syrorum ſignificatio? duplicem ergo ſtatuere coguntur ſignif. ita Kimch. primo הרמת קול *vocis ela-*

elationem radici huic tribuit, deinde שבר *confractionem.* Ego ſub una hæc notione comprehendo. *Frangere* ut dixi primo notat, quod clarum eſt ex Mich. ubi Lxx. συνθλᾶν & Vulg. *confringere* dederunt. Sic Arab. فضخ *frangere, rumpere.* Quin & ſignif. quas ſub radicibus فضخ & فصح habent Arabes a primaria *frangendi* deflexæ ſunt. Ut quum de aurora illuceſcente dicunt فصح & فضح *phatzaha*, *fregit* proprie id notat; nam ita loquuntur صدع *fidit* فرق *fregit* شق *rupit* aurora: Et Hebræi eodem modo Eſai. 58: 8. פצח etiam *probro afficere* notat, & *vitiare* fœminam in Hiſt. Sarac. p. 99. itidem a primaria *rumpendi notione.* His efficitur פצח Hebræis & Arabibus unice eſſe *frangere.* Nec aliam ſignificationem poſtulat phraſis noſtra פצח רנה quod eo modo dixerunt Hebræi, quo Latini *erumpere gaudium.* Terent. Eun. Act. 3. ſc. 5. *jamne erumpere hoc licet mihi gaudium. Frangere* ſeu *erumpere ſermones* locutione Arabum eſt, palam & cum clamore aliquo aut fragore pronuntiare: פצח רנה *erumpere jubilationem*, elata voce exclamare. *Oratores* Arabibus פצחים audiunt فصحاء,

فصحاء, & *orationem pronuntiare* eſt פצח فصح. Verbum شق eſt *fidit*, *fregit* & gemin. شقشق *diffregit*: inde eſt شقشق الكلام *elata voce pronuntiavit orationem* ذو شقشقي *dominus fractionis* a Golio exponitur *altiſonus & concitatus orator*. Sic & كلام صادع In Hiſt. Tamerl. *elata oratio* a صدع *rumpere*, quod inter alia eſt *palam pronuntiare* Coran. 15 : 94. اصدع بما تومر *Erumpe quæ juſſus es*. Apud Romanos *ſubſellia frangere* dicebantur Rhetores aut Poëtæ, ſed ejus locutionis alia videtur eſſe ratio, quam permultis exemplis illuſtratam reperies a ſummo Grævio in Lect. Heſiod. At plane ſimile eſt *rumpere voces*, & *rumpere queſtus* apud Virgilium. Porro שבר *fractio* cum צעקה jungitur Zeph. 1 : 10. & pro *clamore* ponitur. Hinc patet quomodo פצח in hac phraſi nihil aliud ſit quam *rumpere*. Sic Nonnus dixit ῥήξατο φωνῇ· Et Apoſt. Gal. 4. ῥῆξον καὶ βόησον ex Lxx. Eſai. 54. ubi in Hebr. eſt פצחו רנה Pſalm. 98 : 3. פצחו ורננו per Hendiadyſin eſt *erumpite & jubilate* pro *erumpite in jubila*. Ipſum etiam Syrorum פצח *exultare* a prima *rumpendi* notione derivatum eſſe Syrus Interpres

pres oſtendit Gal. 4. ubi pro ῥῆξον ipſe habet אתפצחי. Ceterum פצח *erumpere* ab Hebræis non niſi in lætis rebus invenimus, quare & Syris פציחותא ſimpl. eſt ἱλαρότης Rom. 12. At Romanis ad alia etiam transfertur. *Erumpere Stomachum* Cic. ad Att. lib. 16. ep. 3. & Græcis ῥήγνυμι de quavis prolatione.

CAP. XIX.

Verſ. 17. והיתה אדמת יהודה למצרים לחגא.

VUlgata exprimit: *Et erit terra Juda Ægypto in pavorem.* Eodem modo Lxx. illud לחגא, de quo inquiremus, εἰς φόβητρον. Sic *Syrus* & *Arabs*, quorum hic لهخوفا *in terrorem*, ille לסורא, quod idem eſt, habet; &, quem majoris facio, *Chaldæus* לרחלא quod eodem etiam recidit. Veteres hic mire conſpirantes, non relinquunt Recentiores Interpretes, qui conſona voce חגא *pavorem*, *trepidationem* ſonare pronunciant, & ſine ulla quidem addubitatione, ut adeo in temeritatis invidiam incurrere poſſet, qui notionem tam in vulgus pervulgatam ſollicitare vellet.

Præ-

Præjudicata tamen abſque opinione ſequentia examinentur argumenta. Primum vox hæc, quam alibi fruſtra quæras, ſolet ad rad. חגג analogia repugnante referri; quod equidem mirari ſatis non poſſum; nam cum ea radix *effuſam lætitiam* ſub ſe contineat; *feſtum* enim *agere*, *tripudiando*, *exultando ſigna gaudii mittere* ubique denotat, qua via, quave ratione חוא, ſi a חגג ſit, *pavorem* ac *trepidationem* dicere poſſit, equidem nullus video. Forte huc trahet quiſpiam Pſ. 107: 27. ubi de maris irati procellarumque vi jactatis dicitur יחוגו וינועו כשכור ubi *pàvoris* ſignificatio non male conveniret. Errat, qui judicat, ad acerbas periclitantium cogitationes hæc referenda eſſe; nihil minus: ebrii enim *pavidi* eſſe non ſolent; ſed eleganter vacillatio inſtar mero titubantium & huc illuc motitatio innuitur; unde recte Noſtri: Sy danſſen en waggelen &c. *Tripudiant & titubant inſtar vinolenti.* Alterum, quo recepta ſignificatio damnari poteſt, argumentum eſt, formam vocis חוא originationem communem a חגג refugere, quippe quæ ἀναλόγως procedere nequit. Cui tertium ſubjungi poteſt, unde origo ſimul hallucinationis aperietur. Latet ea in verbis proxime ſequentibus. כל אשר יכיר אתה

אליו

אליו יפחד. Quæ *Vulgat. Omnis qui illius fuerit recordatus, pavebit.* Melius aliquanto Lxx. Πᾶς ὃς ἂν ὀνομάσῃ αὐτῷ αὐτοῖς φοβηθήσονται. Viden' cur חגא φόβητρον & *pavorem* dicere putarint; hoc nimirum illud פחד *trepidare* effecit. Non firmum tamen satis erat fundamentum hoc, quo ad significationem *pavoris* in חגא concluſio fieret; etenim non ſemper verbum פחד *pavorem* illum mentem loco moventem exprimit, ſed ad *feſtinationem* ſæpe & *acceleration*em pertinet, non ſecus ac Latinorum *trepidare.* Poëta Lib. 9. *Æneid.*

Ne trepidate meas Teucri defendere naves:

id eſt, *ne feſtinetis* auctore *Servio.* Sic *Horat.* Scoliaſt. ad Lib. 3. Od. 27. *Trepidet*, id eſt, *properet, feſtinet.* Vid. etiam *Non. Marcell.* in voce. Res Eruditis ſatis nota. Eodem modo Hebræis פחד non parum ſæpe ſimpliciter *feſtinare* notat. Hoſ. 3 : 5. ופחדו אל יהוה *Et trepidabunt ad Jehovam*, i. e. *feſtinabunt.* Ab. Eſra ad h. l. ישובו במהרה במרוצה פתע פתאם. *Redibunt feſtinanter, curſim, cito, velociter.* Idem in חרד altero *trepidandi* verbo obſervare eſt. 1 Sam. 16 : 4. *Cum Samuel venit Bethlehem, tum* יחרדו *trepidarunt ſeniores in occurſum ei.* Aliud adhuc *trepidandi* verbum חפז in eundem uſum adhibetur,

tur, quod vel ex Lexicis notum esse potest. Contra, quod non inutile fuerit monere, *festinandi* etiam verbis, *trepidandi & pavendi* notio subjicitur, uti in verbis בהל & חוש & מהר ad *Jobum* ostendi. Quid quod adeo non *metum* dicit פחד, & malam habet significationem, ut *lætitiam* etiam dicere atque bonam habere possit significationem: Ut Esai. 60: 5. & Jerem. 33: 9. Quid ergo de voce חגא si *pavorem* non notat, statuemus? Arabismus expediet nos; si invidiosum fuerit Arabismi nomen, ipse etiam Hebraismus noster. Scilicet vox חגוים, quæ ter in Sacro Codice occurrit, cujus ego singulare constituo nostrum חגא, unde regulariter iste pluralis est, א in ו ob euphoniam mutato. At quid Interpretes ita facere prohibuit? Veræ in voce חגוים significationis ignoratio. *Fissuras* enim dicere putant, quod loco nostro aptari nequit. Lxx. τρυμαλίας & ὀπὰς Vulg *foramina* & *fissuras* exponunt: Judæorum Magistri consimiliter: *Kimchius* בקעי *R. Salomon* שברי. Nempe quum נקיק הסלע sint *foramina petræ*, idem plane sonare חגוי הסלע sibi persuadent. *R. Salom.* חגוים *fissuras* derivat a חגג *loca titubationum*, aspera scil. & iniqua montium. *Kimch.* & *Ab. Esra* a rad. חוג *circulus* & fastigia præ-

rupta

rupta petrarum, quæ rotunda fere iis esse dicuntur, intelligunt. Neutra harum notationum ducit ad *fissuræ* significationem, quare eam effictam esse & nullius fundamenti satis constat. Utrique etiam formatio repugnat, & ratio denominationis ex æquo satis inepta. Hinc Clariss. Hotting. חגוים ex Arab. חגי حجي *constitit in loco* deducendum statuit, unde nomen حجي est ناحية tractus. Sic חגוי סלע essent *tractus petrarum*, quod nescio an non incommodi quid habeat. Ego חגוי חסלע proprie *asyla petrarum* sonare puto. Arabice radix חגא حجا ultima radicali per لجا *confugere* declaratur; & nomen חגא حجا & מחגא محجا per ملجا *refugium*, *asylum*. Altissima in petris loca, חגוים *refugia* dicuntur ab officio, quod præstant. Jerem. 4: 29. *In fugam versa est urbs.* באו בעבים ובנפים עלו שוע אל ההר. Jes. 22: 5. Vicissim *petra* notat *refugium*, unde in Psalm. totiens Deus סלע audit. Et talia in Arabismo innumera. Vidimus חגוים esse *refugia*. Inde in hoc loco nostro חגא commodissime *asylum*, *refugium* verto: *Et erit terra Juda Ægypto in refugium. Quum quis*

quis ejus, terræ Judæ tanquam aſyli, *mentionem fecerit*, vel potius, quia הזכיר *celebrare* etiam & *prædicare* notat: *Quum quis eam* Judæam, ſeu veram Eccleſiam, aſylum propoſitam, *celebraverit* אליו יפחר *ad eum accurretur*, naar dien ſal men ter haaſte lopen/ *trepidabitur*, notiſſimo Hebraiſmo. Poteſt & aliter, ſed non ita commode. Hoc pacto ſenſus exurgit longe ab ceterorum Interpretum mente diverſus. In diverſum etiam, in quem nunc bene incido, abierat *Hieronym.* qui חגא a rad. חגג *feſtivitatem* dedit: *Et erit terra Juda Ægypto in feſtivitatem.* Quem ſenſum *Sanctius* & *Forerius* a *Polo* citati, amplectuntur. Hoc cum mea interpretatione eodem fere recidit, ſed quo minus aſſentiar, analogiæ repugnantia efficit.

CAP.

CAP. XXII.

Verſ. 2. קריה עליזה

CIvitas *exultans.* Ita omnes Interpretes, tam Veteres, quam Recentiores. *R.* tantum *Jona* alieno plane & diverſo ſenſu hunc locum explicuit, ex uſu verbi Arab. علز, quod *tremorem* dicit & *furorem* ex morte inſtante. Ita ſentiebat *R. Jona*, quod ſtatim ſubjungatur: *Interfecti tui* &c. Sane ſignificationem hanc poſtulare videtur Jerem. 51: 39. uti illic loci videbimus. Malo tamen hic cum plurimis facere Interpretibus. De diverſa tantum expoſitione eaque fundamento plane non carente monendum putavi.

Verſ. 3. מקשת אסרו

Lxx. σκληρῶς δεδεμένοι εἰσὶ. Vulg. *dure ligati ſunt*: quaſi a קשה. Sed hoc non ago. Illud docere volo, verbum אסר *ligare* poni pro *captivum ducere*, ut Arabicum اسر Abulphar. منهم من قتل ومنهم من اسر *partim interfecti ſunt, partim capti.* Sed hoc pluribus exemplis oſtendi ad Hoſ. 10:

10. ubi etiam ſic ſumi conjicio. Obſerves etiam velim ex hoc loco uſum pulcherrimum particulæ יחד, quam non advertunt hic Interpretes: *Cuncti principes tui fugerunt, partim*, ita יחד verto, *a ſagittariis capti ſunt: omnes qui inventi ſunt in te, captivi partim ſunt abducti, aut procul aufugerunt.* At Lxx. cur נמצאין reddunt ἰσχύοντες ἐν σοὶ? forte huc facit, quod Arab. وجد idem quod מצא *invenire & ſufficientem eſſe*, de *divitiis* & *opulentia* uſurpetur. *Deus ſuffiſans.*

Verſ. 5. מקרקר קיר ושוע אל ההר

Lxx. מקרקר per πλανῶνται explicaſſe videntur. Vulgat. *ſcrutans murum.* Sic Syrus & Arabs etiam. Hodie fere קרקר *diruere* exponunt, aliis tamen aliter ſentientibus. Ad *Numer.* 24: 17. oſtendi *ſtruere* convenienter poſſe notare. Ea ſignificatio & hic convenit: *Dies eſt perplexitatis & confuſionis. Eſt qui reparat murum. Eſt qui clamat, Montes petite.* Hic eſt ſenſus; in tanta ex hoſtis adventu perturbatione, alios ad fugam ſe parare, alios ad defenſionem, exclamando, murum eſſe reſarciendum. Hoc plane convenit cum *vſ.* 10. ubi *domos* dicuntur

tur *dejeciſſe*, לבצר החומה *ad murum muniendum*. Vid. etiam quædam huc facientia in fine obſervationis ad Num. 24: 17.

Verſ. 16. *Quid tibi hic, aut quis tu hic? quod excidiſti tibi hic* קבר *ſepulcrum.* חצבי מרום קברו חקק בסלע משכן לו. *O tu in alto ſepulcrum excidiſti, & in petra* משכן.

Lxx. σκηνῶ. Vulgat. *tabernaculum.* Alii *habitaculum, domicilium.* Atque cogitant hic de ædificiis ſuperbis, quæ *Sebna* erexerit. Non omnino male: at monumentum & Mauſolæum ni explicent, fruſtra ſunt; neque vim vocis משכן ſatis intelligunt; quæ hic *tumulum* dicit & Synonyma eſt τῷ קבר quod ex tota oratione, & ſcopo textus, ſatis illuſtre eſt & perſpicuum. Quum autem obſervatio hæc uni alterive S. Script. loco non parum lucis affundat, ex Arabiſmo hæc ulterius confirmabo. Arabice verbum שכן ſeu سكن *habitare* ſæpe *ſepeliri* notat, aut *decumbere in ſepulcro.* Ita in Hiſt. Tamerl. p. 322. de morte principum:

تركوا فصبح قصورهم رغما الي
ضيق القبور

Auguſta relinquunt palatia, anguſtis pro ſe-
pulcris:

Tum ſubjungitur:

سكنوا الثري — ورعاهم دون البلي

Habitant in ſepulcro, atteritque eos vermis conſumens.

Hic clare سكن *decumbere in ſepulcro* eſt. Inde משכן *locus ubi habitatur* poteſt eſſe *ſepulcrum*, & ſic poſitam invenio vocem hanc مسكن in *Hiſtor. MS. Taudadæ* Virginis Eruditæ; ubi quod prius قبر קבר dixerat, mox nomine مسكن inſignit: alibi etiam in libro quodam impreſſo hoc uſu ſumtum legiſſe me memini; locum ipſum nunc ad manus non habeo. Non deſunt tamen alia exempla quæ rem amplius evincant. בית *domus* بيت in *Camuſo* inter alia per قبر קבר *ſepulcrum* exponitur. Sic Eccleſ. 12: 5. הלך אדם אל בית עולמו *Abit homo ad domum æternam*, id eſt, *ad ſepulcrum*, uti recte *Chaldæus* לבי קבורתא juxta cum plurimis Interpretibus; nimis enim arguta hic *Jarchii* commentatio, qui prophetice ad captivitatem Babylonicam reſpici putat. Sic porro ام *domus & ſepulcrum* apud *Zjauh.* منزل

منزل *manſio* etiam pro *ſepulcro* ſumitur uti in illo. المحسن حي ولو كان انتقل الي منازل الموتا *Vivit pius, licet tranſlatus fuerit ad domos mortuorum.* Ipſum etiam verbum hoc ſenſu venit. Ita انزل 4 conj. a نزل *habitare fecit* invenio pro *ſepeliit* in Hiſt. *Tam.* ubi de ſepultura *Tamerlanis* hæc habet auctor. ومشي في تشييع جنازته الملوك والجنود حاسري الروس لابسي السود وانزلوه علي حفيده محمد سلطان. *Funus ejus ſequebantur reges & milites demiſſo vultu, nigriſque veſtiti — & habitare fecerunt eum*, id eſt, *ſepelierunt eum, eodem, quo Mahomedem Sultanum nepotem ſuum intulerant loco.* Conſimiliter apud Latinos *domus* venit. *Marmorea domus* Tibull. 3: 2. Et DOMUS ÆTERNA. in inſcriptionibus. Sic & *Sedes.* Virg. *Quum ſedibus oſſa quierunt.* Hoc ſenſu in Lapidibus ſæpiſſime legere eſt. Aliud eſt *habitandi* verbum ثوي. hoc pro *ſepultum eſſe* poni ex *Camuſo* nos docet *Golius.* Ita invenio in Hiſt. *Tamerl.* p. 322.

امسوا رميما في الثري وثووا الي يوم النشور

Putreſcunt in terra, & habitant, id eſt, ſepulti ſunt, in ſepulcro jacent, *ad diem uſque reſurrectionis.* Ex hiſce exemplis ſatis luculenter apparet *habitare* quandoque ſumi pro *jacere in ſepulcro* & משכן *habitaculum* eſſe *ſepulcrum.* Hinc lux clariſſima affulget *Pſalmo* 16: vſ. 9. ubi Chriſtus de ſepultura ſua ſic loquitur נשרי ישכן לבטח *Caro mea habitabit ſecure. Habitabit*, id eſt, *jacebit ſepulta.* Neſcio an vim hanc verbi שכן ſatis hic intellexerint Eruditi. Sic Pſalm. 94: 17. כמעט שכנה דומה נפשי *Tantum non habitavit corpus meum in ſepulcro.* דומה proprie *ſilentium* de *ſepulcro* dici ſatis notum eſt. Vid. not. Belg. ad Pſ. 115: 17. Sic Eſai. 26: 19. שכני עפר *habitantes terram* vel *ſepulcrum*; nam עפר *ſepulcrum* notare dixi ad *Job.* 17: 16. plane uti *Arabsjades* ſupra citatus سكنوا الثري *Kimchius* & *Vulgatus Interpres* ſimiliter capiebant שכן Nah. 3: 18. ubi tamen alia mihi videtur eſſe verbi vis. Conſule, ſis, quæ infra ad iſtum locum annotavi.

Verſ. 18.

Verſ. 18. צנוף יצנפך צנפה כדור

Obſcurior aliquanto eſt vox hoc loco occurrens כדור quæ bis tantum in tota Scriptura ac in ſolo etiam *Eſaia* occurrit ſcil. hic & infr. 29 : 3. Rabbini veteres, qui *ſphæram* כדור *Caddur* vocant, pariter ac recentiores, R. *Nathan*, *Kimchius*, *Abrabanel* aliique, quos ſequuntur *Pagninus*, *Mercerus*, *Schindlerus*, *Buxtorfius* ceterique Lexicographi ac Interpretes fere omnes כ in כדור ad radicem pertinere putant, collata in hanc rem voce כידור Job. 15 : 24. Hinc in duobus *Eſaiæ* locis ubi כדור *Caddur* invenitur, aliud præterea כ ſupplere neceſſe habuerunt, ut ſenſum planum redderent. נחסר ממנו כ"ף הדמיון *Deeſt Caph ſimilitudinis*, ut monet *Kimch.* in *Libr. Rad.* Itaque כדור *Caddur* utrobique pro ככדור *Caccaddur* poſitum eſſe contendunt. Verum cum in nulla vicinarum linguarum veſtigium ſignif. iſtius, quam כדור כְּדוּר tribuere ſolent, *pilæ* ſcil. ſatis recte, ſub radice כדר appareat, & ellipſis כ כַּדּוּר dura ſit admodum, præſertim bis in eadem voce; ego malo כדור *Caddur* ſecundum analogiam Grammatices reſolvere in כהדור *Cehaddur*,

ut ſcil. כ *Caph* hic non ſit radicale ſed ſeruile, & ipſum illud *ſimilitudinis*, quod utrobique ſupplere coguntur Interpretes; ita *Ab. Eſra* monuerat *Caph* in כדור *Caddur* ſervile eſſe & pertinere לרמות *ad ſimilitudinem; volutando volutabit te tanquam pilam* כדור *Caddur*. Ipſa vox *pilam* notans eſt דור *dur* de quo ne quid amplius dubites, rem altius ex Arabiſmo repetam.

Hebræis veteribus radix *Dur* דור quæ hodie in *Lexicis* ſignif. *habitandi* nota tantum eſt, primario ſignificavit *circumegit*, *in gyrum egit*, *in orbem egit*; quam ſignificat. ſub radice دور דור nobis conſervarunt Arabes. Arabice دور eſt *circumire:* in 2. conj. دوّر *vertere* & *in gyrum*, *orbem agere:* in 4. conj. etiam *in orbem egit:* unde in paſſ. ادير به *Udira bihi*, *vertigine capitis laboravit*, proprie *in orbem actus fuit*; in decima *circumivit*, *gyrum duxit* circa aliquid, & intranſitive *rotundus fuit*. Hinc jam דור eſt *pila* a *rotunditate*, vel quod *circumagatur* ut גלגל a גלל. Hinc etiam *habitare* דור *Dur* vocatur, reſpectu habito ad mores hominum ſedes novas & habitacula figentium, qui ſe domuſque ſuas in figuram rotundam recol-

recolligunt, quomodo *Americani* hodiedum; ita دارة in plurali دور דור Arabibus eſt *tribus*, *vicus*, in rotundum collectus, & دوارة דוארה *tentoriorum orbicularis vicus paguſve*, quales *Scenitæ* habitare ſolent; effecit quidem vetuſtas, ut a proprietate verbi receſſum fuerit, eaque oblivioni quaſi data: verum ita ſolent in omnibus linguis verba ab antiqua ſignificatione recedere, inque aliqua, quæ a prima deducta eſſe fere non animadvertitur, remanere. Porro ab hac prima ſignif: derivatum etiam eſt דור Dôr, quod modo *tempus* modo *homines ipſos* notat. *Tempus* quidem *Dor* audit a periodica revolutione, uti تدوير apud Arabes, de anni ac temporum revolutione uſurpatur: *hominibus* vero qua ratione nomen a *circumvolutione* fuit tributum? hoc ut inveniam obſervari velim *Dor* דור proprie dicere *homines* ſeu *generationem*, non viventem jam aut præſentem, ſed venturam & ſucceſſive generandam. Id patet planiſſime ex Joſ. 22: 27. *Quia illud* (altare) *teſtis eſt inter nos & vos* ובין דורותינו אחרינו *& inter generationes noſtras poſt nos.* Vides ut cum hominibus viventibus conjungantur *generationes eorum*, tanquam alii homines de-

demum venturi: ex quibus colligo nomine דור *Dor* appellari *homines*, quatenus inter eos decedentes & ſuccedentes fit quædam *revolutio* quaſi ac *circulatio*. Tandem דור & מדורה *rogus*, *pyra* hanc ſignificat. arguunt, ligna enim ejus in *orbem* aggregari ſolent, denique flamma in *orbem* fere aſcendit.

Antequam finem obſervationis ad locum hunc faciam, moneo Interpretes in eo vertendo proprietatem verborum Hebraicorum non retinere, nam ita ea exprimunt: *Volutando volutabit te volutatione, tanquam pilam*; ut Belgæ: Hy ſal u voortrollen / &c. cum tamen צנף nil dicat præter *obvolvere*, uti patet ex Levit. 16: 4. & derivatis צניף & מצנפת; Itaque potius exponendum puto. *Obvolvendo obvolvet te tanquam pilam*, hoc eſt, *in figuram quaſi globoſam te colliget, tanquam pilam*, opkloutwen als een klouwen / quo facilius de loco te deturbare ac per regiones diſpergere poſſit; ita enim Deus ſæpe dicitur impios habere tanquam *pilas*. Pſ. 83: 14. *Deus mi pone eos* כגלגל *tanquam pilam, tanquam ſtipulam coram vento.* Et ſic Eſai. 17: 13. Quod autem ſequitur אל ארץ per ellipſin ſatis familiarem explicari debet; *ad regionem;* ac ſi eſſet *ut protrudaris ad regionem* &c. Ita proprietatem rad. צנף retineo.

CAP.

CAP. XXVI.

Verſ. 3. כי בך בטוח

PLurimi Interpretes hæc ita vertunt: *Quia in te ſperatur*, ut Belgæ: **want men ſpeeſt op u betrouwt.** Non rejicio, quin magis etiam eo propendeo: tamen quia verba alium etiam patiuntur ſenſum, nihilo priori illa deteriorem, eum non prætermittendum puto. Ita verti poteſt: *In te eſt, in quo ſperetur*, ſeu *tu es cui confidi poſſit*: בך *in te* pro *tu*, ut בצל *in umbra* pro *umbra* Eccleſ. 7: 12. & ביה שמו *in Jah eſt nomen ejus*, id eſt, *Jah* Pſ 68: 5. quem uſum alibi ex Arabiſmo uberius demonſtravimus. Sic ל etiam eſt pleonaſticum: unde למלך 2 Reg. 7: 2. eſt ſimplic. *Rex*, quæ etiam alias ulterius explicavimus; inde eſt לך *tu* ſimplic. Jer. 20: 4. uti hic בך. *L. de Dieu* ad *Jerem.* 17: 4. בך mihi hic eſt nominativi caſus. Porro בטוח eſt *cui confiditur*; hunc enim uſum partic. paſſ. induunt. Arab *Dominus* eſt مخدوم proprie *cui ſervitur* a خدم *ſervire*, مكتوم eſt *cui ſecretum confidi poſſit*. In Hiſt. Tamerl. a كتم *tegere*. ذهوب *Cui oculi præſtringintur*. Et

ut

ut idem plane exemplum habeas مسامول eſt *in quo ſperari poteſt* ab امل *ſperare:* ita de Deo dicere ſolent. الله خير مسئول ومسامول. *Optimus eſt Deus qui invocetur & in quo ſperetur:* שאול & אמול ſeu בטוח. Sic & Alcor. Sur. 22: 72. ضعف الطالب والمطلوب *Qui quærit nihil eſt & qui quæritur* ex Diis fictitiis. Eodem modo de homine diceretur בוטח *qui confidit*, Deus vero ipſe eſſet בטוח *cui confiditur.* Certe vſ. ſequens ita poſtulare videtur;, *confidite* itaque *in Jehova*, quia ipſe eſt בטוח & *in eo* צור *rupes eſt æterna*, quæ tutiſſimum præbet & inexpugnabilem refugium.

CAP. XXVIII.

Verſ. 20. קצר המצע מהשתרע

NOn uno hæc modo ab Interpretibus capiuntur. Nihil ſani Veteres. Lxx. ὃ δυνάμεθα μάχεσθαι. *Vulg. Coangustatum eſt ſtratum, ita ut alter decidat.* Cur מהשתרע vertat *ita ut alter decidat* non video, nulla enim talis ſignif. veſtigia apparent; ſenſum exprimere voluit, ſed hoc non eſt conſiderare, ſed quaſi ſortiri, quid vertas.

At

At Lxx. unde illis השתרע eſt μάχεσθαι? ex Arabiſmo, ubi שרע ſeu شرع & أشرع eſt *intendere*, *dirigere haſtas*, uti in bello. Sed hæc hactenus. Ad veram quidem verbi obſcuri notionem nihil illi. Neque felicius hic egerunt recentiores, propius tamen accedere videntur: volunt nempe שרע eſſe *redundare:* Ita omnes *Lexicographi* &, quod miror, etiam *Guſſetius.* Auctor eſt *Kimchius*, qui in *Lexico* ſuo שרע per ערף declarat, quod eſt *redundare.* Fundamentum hujus interpretationis eſt in Levit. cap. 21: 18. & 22: 23. ſolis præter noſtrum, hunc, quem expendimus, locis, ubi radix שרע uſurpetur. Quod ſi æquo rem animo ponderare velimus, mirum videri poterit, quomodo ſignif. hæc Eruditis placere potuerit; adeo locis, ubi legitur, parum quadrat. Quis enim ſenſum hunc ferat? *Brevior eſt lectus, quam ut redundet;* plane etiam *Levitici* locis ea non convenit, nam שרוע quod exponunt *redundantem* membris ſcil. qui membra habet ſuperflua, τῷ קלוט opponitur Levit. 22: 23. quod non *membro aliquo carentem*, ut prave etiam docent nonnulli, conſtanter licet, denotat, ſed cum ex partibus, quæ geminæ ſunt, una juſto brevior eſt & contractior. Ita Hebræi

bræi omnes, *Chaldæi* item, *Jonathan & Onkelos*, *Arabes* excuſi duo, *Samaritanus*, ac in univerſum fere omnes; ne autem dubites hiſce aſſentiri, rem ex Arabiſmo, quod hactenus non factum video, confirmatam dabo. Magnus quidem *Bochartus* Vir ſummæ eruditionis, quique in omni doctrinæ genere primas tenet in *Hieroz.* Hebræum קלוש contulit cum Arabico قلطي quod *nanum* notat aut *pumilionem*, ac de *catellis* puſillo corpore, quos *Melitæos* veteres dicebant, vulgatiſſime uſurpatur: כלב קלחי *canis Melitæus* الكلب القلطي ſæpe apud *Damirium.* Ipſe tamen ὁ πάνυ alibi docet Arabicum قلطي *Kalati* a Græco καλαθίνη, quod eſt *Melitæa* catellæ in *Adæi* Epigr. nomen, quod *calatho* circumferatur, deduci potuiſſe. Quid ſi *Kalati* ſit ipſum *Melitæus*: qui enim Φοίνικα in قوقيس *Kaukis*, *Phocam* in قوقي *Kauki* corrumpere potuerunt, cur non ex *Melitæo Kalati* effingerent. Quid quid ſit, illud certum videtur *Kalati* قلطي eſſe vocem recentiorem & extraneam, unde Hebræum קלוש ſolide illuſtrari nequit. Ego ita inſtituo. Arabes Hebræum קלש non

ſub

ſub قلط, quam radicem ne agnoſcunt quidem, receperunt, ſed ſub قلص ſeu קלץ: ut enim Chaldæi & Arabes Hebræum ץ fere ſemper in ט, ſic contra ט in ץ ſolent mutare. קלט ergo ſeu قلص Arabibus eſt, *contraxit ſe in unum*, *contracta fuit res.* Belg. krimpen; ita de panno, quod lotura contrahitur, dicunt قلص. De membris etiam corporis humani. *Hiſt. Sarac.* p 111. أفوه بشفته العليا يقلص *Magno erat ore, labrum autem ſuperius corrugatum habebat & contractum.* Illuſtrius adhuc & quod rem conficit eſt exemplum in *Hiſtor. Tam.* pag. 301. ubi قالص ſeu קלוט talem, qualem ſupra diſcripſi denotat, ſcil. qui ex partibus corporis geminis unam habet juſto contractiorem. Tamerlanem enim, quem leviter claudicaſſe accipimus, unde & *Claudum* eum *Scytam* vocitat auctor; quique adeo alterum pedem altero breviorem habebat & contractiorem, loco citato قالص, id eſt, קלוט appellat. Si ergo קלוט non *deficientem membro*, ſed *contractum* juſtaque ejus proportione deſtitutum, prout evicimus, ſignificat, ei oppoſitum יתר non membris *redundantem*, ſed eis juſto longioribus nec proportionem ſer-

ſervantibus præditum notare neceſſe eſt: unde efficitur שרע non eſſe *redundare*, ſed ut קלט *contrahi*, ita contra שרע *extendi*, & *in longum protendi* ſignificare. Hæc vera & unica hujus verbi notio, qua nulla convenientior excogitari poſſet loco Jeſaiæ. *Brevior eſt lectus, quam ut* in eo *quis ſe extendat.* Atque hic quidem plurimos ex Eruditis aſſentientes habeo, qui ita verba exprimenda eſſe facile viderunt, quo nomine etiam laudandi ſunt *Belgæ*, qui habent, **dan dat men ſich daar op uitſtrekken konne.** Fundamentum quod ita verterent, præter ſenſum ac orationis ſeriem habuerunt nullum. Recte tamen ita verſum eſſe ex Arabiſmo certo conſtat. Arabibus ſcil. radix شرع ſeu שרע *extendere* notat aut *in longum protendere.* شرعت الناقة عنقها *Collum protendit camela:* شرع الذابل *directam extendit haſtam.* Hiſt. Tam. p. 340. وقد شهرا للعدوان الحسام وشرعا للغدك النيزك. in edit. impreſſa male شهر legitur, & نيزك vox nihili: *Et inimicitiæ gladium vibrarunt, haſtamque nefandorum facinorum protenderunt.* Et p. 335. شرع بالمخالفة الرديني *Haſtam rebellionis projecit.* Hinc شراعي

شراعي *longa haſta*. Iterum Tim. pag. 286. وشرعت الذوابل *tremulæque directæ* aut *protenſæ ſunt haſtæ*. Tandem, ne plura cumulemus, illuſtris eſt locus pag. 115. ubi شرع cum مد, quod *extendere* eſt, ut Synonymum jungitur: وامتدت الاعناق للضراب وشرعت النحور للطعان *Collaque gladiorum ictibus extenſa ſunt, & jugula haſtarum confoſſionibus protenſa*. Vides شرع cum مد conjungi, illud autem eodem etiam ſenſu, quo השתרע apud Eſaiam, uſurpatur, præſertim in 5. conjug. تمدد quod eſt *pandiculari*, ſomnolenti more ſeſe extendere. Ita in *Alcamus* in radice فهد *phahida*, ubi illam hoc pacto exponit: اشبه الفهد في تمدده ونومه *Phahida eſt Phehed*, id eſt, *lynceni ſomno ac pandiculatione referre*. Hinc dubium non eſſe puto, quin השתרע ſit *pandiculari*, *extendere ſe*; שרוע etiam, non qui membra habet ſuperflua & redundantia, ſed qui ex duabus corporis partibus unam juſto longiorem habet & extenſiorem.

CAP. XXIX.

Verſ. 3. חניתי עליך כדור

LXX. ὡς Δαβὶδ, qui כדור legerunt. Lexica docent כדור eſſe *pilam & pilatam aciem*; utrumque prave. *Pila* non eſt כדור ſed דור, uti ſupra ad Cap. 22: 18. oſtendi. Multo minus כדור eſt *pilata acies*. Ex ſignif. *rotunditatis*, quam radici דור loc: cit: vindicavi, expone; *Caſtra metabor contra te tanquam in orbem*; corona te & indagine cingam, uti in obſidionibus fieri ſolet: præclare Belgæ: **Ik ſal een leger in 't ronde om u ſlaan.**

CAP. XXX.

Verſ. 18. ולכן יחכה יהוה לחננכם ולכן ירום לרחמכם.

PRopterea exſpectat Dominus, ut miſereatur veſtri; & ideo exaltabitur parcens vobis. Ita Vulgat. eodem modo Lxx. Alii aliter. Senſum turbat aliquantum illud ירום. R. Salomon hoc per יתרחק *exſpectabit*, *morabitur* exponebat, hoc ſenſu: *Exſpectabit Deus & tardabit veſtrum miſe-*

misereri. Hanc expositionem Vir Doctus ex Arabica Lingua firmari dicebat, ubi רום esset *morari.* Quid viderit nescio; illud scio روم Arabice id non notare, sed *quærere, expetere, velle;* perpetuo ita utuntur. Histor. Tamerl. 302. لما بلغ من دنياه المرام *Quum fortunam, quam expetebat, attigisset:* & mox: فيما يروم *Quod expetebat.* Et p. 406. اذا كان له في مكان روم *Quum locum aliquem petebat;* & sic semper apud omnes auctores, quos vidi, nunquam *morari.* Ex hac signif. locum hunc percommode explicari posse monui ad Job. cap. 17: 4. & חכה & רום, si Arabicam signif. admittamus, esse synonyma. Fateor tamen, illud mihi ob frequentissimum verbi רום in alia signif. usum nunc non admodum placere, ignorationemque locutionis profiteri malo, quam vulgatissimam & infinitis exemplis stabilitam significat. deserere. Peculiare autem aliquid in hac phrasi esse mihi persuadeo; vide itaque, an hæc placeant. רום *altum esse,* dein *efferre se, gloriari* notat; inde ita capi potest; *Avide exspectabit ut misereatur vestrum, & gloriabitur in vobis parcendo;* יום *gloriabitur,*

bitur, eſt *tanquam glorioſum ſibi expetet*. Similis eſt locutio apud Sadium in Guliſtan, p. 112. اعیان این مملکت بدیدر ای مفتخردن *Regni hujus optimates illius videndi ſtudio flagrant:* Ita Gent. vertit. In Perſ. eſt; *gloriantur in conſpectu ejus*, id eſt, *ejus præſentiam & conſpectum ſibi glorioſum expetunt.* Hæ duæ Interpretationes ſenſum continent menti plurimorum Interpretum contrarium; qui non breve fore malum vſ. præc. denunciatum, ſed longinquum & aliquamdiu duraturum his verbis indicari volunt. Ideo Jarchi ירום per יתרחק declarabat, *longe aberit a vobis parcendo.* Putem eum a ſignif. verbi רום non declinaſſe, ſed ejus rariorem uſum aliquem ſpectaſſe, ac ſi ירום, quod proprie *altus erit* notat, pro *longe aberit* quaſi *in altum remotus* uſurpatum fuerit, quod adeo alienum non eſt; *alta* enim *remota* ſunt & *longinqua*, ut contra רחוק *longinquum* alicubi pro *alto* ponitur; hoc libentius admitterem, ſi ſcriptum eſſet מרחמכם ירום. Ad ulteriorem locutionis rationem quædam ſuccurrunt, quæ ab Rashii mente non aliena ſunt, paulo tamen diverſa. Nempe *altum eſſe*, *efferre ſe* aliquando poni video pro *recuſare*, *abſtinere.* Abulphar. p. 354. *Dicitur primum ſapientum*,

tum, qui notatus eſt, quod ſe Regum famulitio addixerit, fuiſſe Ariſtotelem, *cum Philoſophi priores*, Pythagoras, Plato, Socrates يترفعون عن ذلك *ab eo abſtinerent.* Ita Cel. Pocok. in Arabico eſt: *Alti erant ab eo*, ſeu *eo altiores erant.* Sic in Hiſtor. Tamerl. pag. 48. تشامخ *altum eſſe* cum تابي quod *recuſare* notat, conjungitur.

Verſ. 20. לא יכנף עוד מוריך

Lxx. plane aliene, οὐκ ἔτι μὴ ἐγλίσωσί σοι οἱ πλανῶντές σε. Propius Vulg. *& non faciet avolare a te ultra Doctorem tuum.* Sunt qui מורין hic *pluviam* reddunt, inter quos *Calvinus.* Sed longe maxima Interpretum pars *Doctores*, vel etiam ſing. *Doctorem* intelligunt, puta Chriſtum: hic לא יכנף עוד. Lxx. & *Vulg.* quomodo יכנף reddant vidimus. *Chald.* יסלק *tollet* reddit: *Kimch.* לא יאסף ולא יעצר *non colligetur* ſeu *inhibebitur* מורין *pluvia tua*; ita enim *Kimch.* mavult. Addit ורומה לו בלשון רבותינו ז"ל שקורין לאסיפת העם ועצירתם כנופיא *Et ſimile eſt ei in lingua Rabbinorum, ubi collectioni & coactioni populi nomen* Chinnuphja *dant.* Revera כנף *Chald.* eſt colligere: at primo מורין non eſt pluvia; deinde pluvia *colligi* non dicitur quum inhibetur.

betur. Pergit *Kimchius.* ויש מפרשים · לא יחיך · כלומר · לא יהיה בכנף הארץ *Sunt etiam qui exponunt, non longinquus erit, ac ſi diceret; non erit in* כנף *ultima terræ ora*; atque tunc מורין *Doctorem* exponere oportet. *Ab. Eſram* reſpicit *Kimch.* qui ita locum explicuit. Alio adhuc modo *Jarchius:* לא יתכסה ממך בכנף בגדיו *Non abſcondetur a te ora veſtium ſuarum.* In rationem nunc tanti diſſidii inquiramus. Scil. כנף tria notat, *alam, oram* veſtis & *oram* regionis. A priori ſignif. Vulgat. *avolabit*, quomodo & Belgæ. A ſecunda Jarchius, *tegetur ora veſtis.*

Ab ultima Ab: Eſra, *in oram remotam recedit.* Trium harum interpretationum ſola *Jarchii* vim conjug. *Niphal* retinet atque hoc nomine laudanda. Cel. *Hotting.* in *Smegm. Orient.* יכנף, exponit *cuſtodietur*; nam, inquit, كنف Arab. eſt *cingere, cuſtodire.* Vellem mentem ſuam amplius aperuiſſet Vir Doctiſſ. mihi enim quoquo modo verba vertam ſenſui hoc non ſatisfacere videtur. Quid enim illud *cuſtodietur?* an in *carcere?* atqui hanc vim Arabes in verbo كنف non agnoſcunt; an *cuſtodietur*, id eſt, *protegetur?* Arabicum quidem hoc, at loco huic minime aptum, quod verba ſequentia inſpicienti liquidum erit. Tentabo & ego, num

num forte vera dicere poſſim. Arabice كنف præcipua & propria ſignificat. eſt *tegere*; & كنيف *tegumentum*, *velum*; *clypeum* notat eadem vox a ſign. *tegendi*, ut מגן Hebr. a גנן, & סתר Pſalm. 119: 114. etiam *clypeus* a סתר *tegere*, *abſcondere*; in eo autem loco סתר eſſe *clypeum* oſtendit Arabicum مستره quod eam ſignif. habet. Porro كنيف eſt *tugurium*, quod eſt a *tegendo*, ut Hebr. סכה a סכך. Tandem *cingere* & *cuſtodire* primariam agnoſcunt *tegendi* notionem, ut in גנן *protegere* Arab. ſimpliciter جن *tegere*; & in סכך. Vel *cuſtodire* & *juvare* اكنف ab *alæ* & *tutelæ* ſignif. in Hebr. כנף *ſub alas* & *in tutelam recipere*. Hæc argumento ſunt, Arabicum كنف primario *tegere* notare, quod idem in Veteri Hebraiſmo obtinuiſſe hicce locus oſtendit; & clarius derivata. Ut כנף *ala*, avis *operimentum*, & ab aeris injuria *tutamen*. Metaph. כנף eſt *protectio* a *tegendo*; vel potius ab *ala*, quaſi *ſub alas recipere*, inſtar avis quæ pullos fovet & ſub alis tutatur; interim ſatis manifeſto ad *tegendi* notionem, a qua *ala* nomen traxit, reſpicitur. כנף etiam eſt *ora* veſtis, quod *alam* referat; tandem eſt *ora* regionis, quæ ul-

tima eſt ordine ſignificatio, in qua *alæ* ratio non habetur, ſed *oræ* tantum veſtis. Sic حاشية *ora* veſtis, & regionis in Hiſt. Tamerl. 307, اطراف ibid. *regiones*, proprie *oræ*. Et ſic plurima *oræ* nomina. Hæc adjicere lubuit, ut ſignificationum originem & progreſſum videres. Nunc in viam redeundum eſt. Eſt ergo verbum כנף propria ſua ſignif. *tegere;* inde locum noſtrum verto: *Non tegetur amplius Doctor tuus, ſed oculi tui videbunt Doctorem tuum.* Chriſtus, cujus hic adventus in carne prædicitur, fidelibus V. T. *tectus* erat per cerimonias legales, quarum ablationem avide exſpectabant; unde hoc pacto orantes inducuntur: *Exſpecto Dominum qui faciem ſuam tegit* &c. Dominus autem ille Meſſias eſt. Non poſſum hic non addere, quod aliquibus forte alienum videbitur, in verbo יכנף *alæ* etiam ſignif. retineri, & eleganter exponi poſſe: *Alis non amplius obtegetur Doctor tuus;* Filius ſcil. Dei, quem hic per Doctorem intelligi diximus, in Sanctuario alis Cherubinorum tegebatur quaſi; is enim eſt de quo David Pſalm. 80: canit יושב הכרובים הופיעה *O qui ſedes inter Cherubinos effulge, & appare;* ne amplius gloriam tuam intra Sanctuarii terminos & Cherubinorum alas

alas contine, ſed effulge per illuſtrem tuam apparitionem. Ita in כנף primam *tegendi* notionem retineo, & ſecundam *alæ* non prætermitto. Sed præſtiterit forte ſimpliciſſime expoſuiſſe.

CAP. XXXVI.

Verſ. 1. שורד תושד כנלתך

OCcurrit hic loci verbum obſcurius, כנלתך, quod alibi non exſtat, niſi in derivato apud Jobum מגלה. Radix vulgo ſtatuitur גלה & exponitur, *perficere, abſolvere.* Hanc notionem ſuggerit præced. התים cum quo jungitur. Puto radicem potius conſtituendam eſſe גול, ut Arabice قول quia ל nunquam immediate ſequitur ו præſertim in principio, tam apud Hebræos quam Arabes, Syros, Chaldæos &c. mihi ſaltem nullum unquam exemplum obſervatum fuit, & Arabum Grammatici linguam ſuam id non admittere expreſſe monent. Ut ut ſit, ſive radix ſit גול ſive גלה illud certum manet, non parum ejus ſignificationem ex Arabico خال illuſtrari. Id verbi late patentis admodum eſt ſignificationis; ea tantum, quæ ad uſum

hujus loci accedunt, exempla proferam: Tim. pag. 53. ان ظفرت نلت قصدي *Si victor evado, inceptum meum perfecero.* Et pag. 402. نيل الامـاني *Damnari voto.* Abulphar. pag. 247. *ſtudium ſuum adhibent* الي نيل فضـايل النفس النـــاطقة *ad virtutes animæ rationalis acquirendas.* Toph. pag. 197. او لذة ينـالهـا او شهوة يقتضيهـا *aut voluptas, qua fruatur; aut libido, quam expleat.* In his نـال reſpondet Latin. *conſequi, acquirere, perficere*, ut & in Toph. انتهـا الي النيل *ad ſummum pertigit.* Notat etiam *acquirere divitias.* Ut in Alcor. Sur. 9: 75. Et in illo Poëtæ:

ينـال الفتي من عيشة وهو جـاهل
ويكدي الفتي في دهره وهو عالم

Eſt qui bonis affluit vitæ quamvis inſipiens.
Et eſt, quem dure habet fortuna, quamvis
ſapientem.

Hinc نيل & منـال omne quod quis acquirit; *divitiæ, opes*, unde מנלה Job. 15: 29. non *perfectio* eſt, ſed *fortunæ, opes, poſſeſſiones*, idem fere quod præced. חיל.

Verſ.

Verſ. 12. קוצים כסוחים

Vulg. *ſpinæ congregatæ.* Lxx. ἄκανθα ἐρριμμένη. Noſtri fere כסח *ſuccidere* exponunt auctoritate Rabbinorum. *Kimch.* hic *ſpinæ* כרותים *ſuccisæ. Jarchi* קצוצים *amputatæ.* Uterque ad *Targum* provocat, ubi זמר *putare* per כסח declaratur. Signif. quidem illa non inconveniens eſt; attamen convenientiorem puto eam, quam Arabes ſub كسح habent. *Verrere* ſcil. & *everrere*, unde كساحة *purgamentum.* Expono itaque: *Spinæ everſæ*, vel *converſæ*, *quæ igne crematur.* Sic ſupra cap. 5: 25. ותהי נבלתם כסוחה בקרב חצות. Lxx. & Vulg. *Ut ſtercus*, tanquam ſi כ eſſet ſimilitudinis; alii: *Cadaver eorum exciſum erit.* Malo: *Cadaver eorum everſum erit, converrendo ejectum in medium platearum.* Ultimus eſt locus Pſ. 80: 17. שרפה באש כסוחה Lxx. & Vulg. *ſuffoſſa:* male. Vulgo; *igne combuſta & exciſa.* Atqui ordo ſic non conſtat. Verte: *Igne crematæ & everſæ.* Cineres combuſti everruntur. Aliis in locis hoc verbum non legitur.

Verſ. 20.

Verſ. 20. אהל בל יצען בל יסע יתדתי:

Tentorium, cujus paxilli non . . . . nec transferentur. Lxx. qui יסע ἀναστῶσιν reddebant, יצען verbo æquipollente σεισθῶσιν expoſuerunt. Eadem ratione Vulg. צען *transferri* reddidit. *Chaldæus* משכנא דלא מתפרק *Tabernaculum, quod non revelletur.* Proprie התפרק *rumpi* notat; inde eſt, quod in Lexicis noſtris צען *diſrumpi* exponatur. Inepte *Kimchii* Pater יצען a rad. יצע deducit, formæ בנין & אלמן &c. Non dubito quin veram verbi ſignif. nobis ſuppeditet Arabia. Arabice ظعن טען eſt *transferri, moveri de loco in locum, proficiſci*, idem quod נסע Abulphar. pag. 415. امنهم على نفوسهم واموالهم وخيراتهم بين الاقامة والظعن *Securitatem ipſis conceſſit, bonis fortuniſque eorum, ſive manerent, ſive inde migrarent.* Ita & in Alcorano اقامة *in loco ſubſiſtere*, & ظعن טען *proficiſci, migrare* opponuntur Sur. 16: 82. Arabes pro Hebr. ץ fere ſemper ظ *Dſal* habent. Sic pro צל eſt ظل, pro צמא eſt ظمي, pro עצם

עצם, pro צלע ظلع, & ſic infinita alia. Patet hinc non ſatis attendiſſe Cel. *de Dieu*, quum ſcribebat Arabiam nihil hic ſubſidii ferre; ipſe autem Æthiopum uſum advocabat, quibus ſenſu *vehendi* uſitatum eſt verbum; quod cum uſu Arabum convenit, unde transſumtum eſt. طعينة eſt *pilentum camelinum*, quo quis vehitur. Conveniunt hoc modo צעה & צען, ut apud Arabes قسا & قشن *durum eſſe*, شجا & شجن *triſtari*.

CAP. XXXV.

Verſ. 7. והיה השרב לאגם וצמאון למבועי מים.

VOx שרב obſcurior eſt. Lxx. ex ſenſu ἄνυδρον vertunt, ut & Vulgat. *aridam*. שרב, uſu *Chaldæorum* in *Targumim* id comprobante, *æſtum* proprie notat, & ſic ſumitur infra cap. 49: 10. inde intelligunt vulgo in hoc loco, *terram aridam*, *æſtu torridam*. Satis hoc convenit quidem, attamen peculiarem quandam notionem hic loci illud שרב induere videtur, & idem eſſe quod apud Arabes voce hinc de-

deſumta سراب. Arabibus pecul. ea vox deſignat, *vaporem quendam meridiano fere tempore eminus in deſertorum planitie ſpeciem aquæ, aut vaſti lacus referentem, quam ab arenis repercuſſi ſolis radii efficiunt.* Alcoran. Sur. 24:39. الذين كفروا اعمالهم كسراب بقيعة يحسبه الظمان ماء *Eorum, qui impii ſunt opera inſtar vaporis ſunt* כשרב *in planitie, quem ſitibundus aquam exiſtimat.* Senſus eſt: opera impiorum, eos non aliter ac שרב ſitientem צמא ſpe ſua deſtituere & fruſtrare. Sic & in Hiſtor. Tamerl. pag. 370. ملأ الفضاء كسراب بقيعة يحسبه الظمان ماء *Campum implebat inſtar vaporis in planitie, quem ſitiens aquam reputat.* De iis qui vana & inania hujus mundi ſectantur, iiſque decipi ſe patiuntur, vulgari proverbio dicunt يختاض على عرض السراب *Speciem petit* τῦ שרב *aquæ apparentis.* Cel. *Golius* ad hoc proverbium & in notis ad *Affragan.* annotat *Curtium* Lib. 7. de hac aquarum apparente in deſertis ſpecie quædam tradidiſſe: nempe refert, *quod æſtivi ſolis vapor arenas accendit, quodque immodico terræ fervore, excitata caligine, camporum non alia, quam vaſti ac profundi æquoris*

ris ſpecies eſt. Hanc ergo, ut dixi, ſpeciem aquæ lacum referentem שרב vocant Arabes; atque hinc apparet, quam pulcre *Eſaias* אגם *lacum* שָׂרֵד שרב opponat, atque hoc in illud converſum iri promittat. Sequitur גנה תנים רבצה חציר לקנה וגמא. Junius: *In habitaculo draconum*, in *cubili cujuſque eorum.* Scilicet volunt fœmin. affix. in רבצה diſtributionis vim habere, quia alias cum præc. תנים conjungi nequiret. Nugæ. Verto: *In habitaculo*, ubi *dracones recumbebant:* Suppleo אשר. Ad verbum; *in habitaculo*, אשר in quo, *dracones accubitus ejus* pro *dracones accubitus eorum* Hebraiſmo ſolenni pro *draconum accubitus.* Nihil moror, quod Cel. *de Dieu* a Grammatica alienum dicat, ut ſingul. fœmin. cum plur. maſcul. jungatur; miror potius Virum in Orientalibus non hoſpitem id exiſtimaſſe, cum hac conſtructione nihil apud Arabes ſit frequentius. In Hiſtor. Tamerl. بحار انا هي تموز *Maria ecce illa fluctuat*, pronomen eſt & verbum fœmin. cum plur. maſc. p. 2. ejus Hiſt. اقاليم عمروها *Climata coluerunt eas*; pro *ea.* Sic بحار مملكته جارية *Maria Imperii ejus fluebat*, pag. 94. ديار بكر استخلصها ibi ديار eſt plur. maſc. ها

ها affix. ſing. fœm. plane ut hic. Alcor. Sur. 7: 178. لهم اعين لا يبصرون بها *Oculi eis ſunt, quibus non cernunt:* in Arab. eſt, *cum qua.* Ibidem اذان لا يسمعون بها *aures, quibus non audiunt.* In omnibus his id obtinet, quod *de Dieu* fieri poſſe negabat. Quo plura? ſemper ita Arabes. Nec aliter Hebræi. Job. 39: 14. רננים תעזב ביציה & 14: 19. מים תשטף ספיחיה *aquæ, inundant effuſiones earum terram,* ad quem locum etiam oſtendi ſingul. fœmin. cum plur. maſc. copulari.

CAP. XLI.

Verſ. 2. מי העיר ממזרח צדק יקראהו לרגלו

LXX. Τὶς ἐξήγειρεν ἀπὸ ἀνατολῶν δικαιοσύνην, ἐκάλεσεν αὐτὴν κατὰ πόδας αὐτοῦ· Laudo quod צדק *juſtitiam* vertunt, non *juſtum*, ut ſolet: eorum tamen verſio incommoda eſt, nec convenientem fundit ſenſum cum ſequentibus. Inde eſt, quod *Vulg.* צדק *juſtum* dederit, quomodo ex noſtris non pauci. Alii tamen vim ſubſtantivi retinentes ita vertunt: *Quis ſuſcitavit*

vit ex oriente eum, quem *juſtitia advocabit ad pedem ejus.* Hæc L. *de Dieu* verſio eſt. Celeb. Interpres ita: *Quis ex Oriente ſuſcitavit* eum, cui *juſtitia occurrebat ad pedem;* non a קרא ſed a קרה. Mihi קרא retineri placet. Videant Eruditi, an commodior hic ſit ſenſus? *Quis ſuſcitavit ex Oriente, quem juſtitiam edocuit ad pedes ſuos:* קרא *vocare* eſt, & *legere;* unde ad verbum verteres, *cui legit juſtitiam ad pedes ſuos. Legere* & *legendo docere,* unde *Lectorum* nomen. Ita Arabice קרא uſitatiſſimum eſt, unde قرأ in *Lex. Golii* expoſitum invenies: *Legit, Prælegit alteri: legendo docuit:* notat etiam *didicit* cum علي unde nihil in Abulphar. frequentius quam قرأ عليه *legit ſub eo,* id eſt, *didicit ab eo;* ſed قرأ العلم eſt *ſcientiam docere* apud eundem non uno in loco. Sic درس *legere* & *docere,* unde مدرس *Lector* & *Doctor* in *Abulphar.* مدرسة *Academia,* locus ubi legitur.

Ad pedes magiſtrorum diſcipulos edoceri ſolitos notius eſt, quam ut de eo quicquam dicere neceſſe ſit: quis enim illud *Pauli* ignorat, qui ſe ad pedes *Gamalielis* inſtitutum dicit. Hoc ſenſu לרגלך, ſumebat *L. de Dieu* Deut. 33: 3. Ceterum nunc non

inquiro, quiſnam ille ſit, de quo propheta hic loquitur; *Abrahamus*ne an *Cyrus* aut *Paulus*, vel denique, ut alii volunt, *Chriſtus*, inter quos *Hieronymus:* parum id ad rem meam facit, quiſquis enim ille fuerit, juſtitiam Dei edoctus recte dicetur.

Verſ. 26. *Qui annunciavit à principio*, &c. ונאמר צדיק.

Vulgat. *Et dicemus, juſtus eſt.* Rectius Lxx. καὶ ἐρῶμεν ὅτι ἀληθῆ ἐστιν· ubi tamen rectius ἀληθὴς *verus eſt;* non *vera.* Arabice صدق notat *verum eſſe*, & صديق & صادق *verus*, *verax.* In eodem negotio prædictionis Alcor. Sur. 21: 39. ويقولون متي هذا الوعد ان كنتم صادقين *Quandonam erit, quod promittitis? Si veri eſtis* צדיקים. Sic Sur. 27: 73. & quamplurimis aliis. Surat. 19: 55. اذكر في الكتاب اسمعيل انه كان صادق الوعد *Mentionem fac in Libro Iſmaelis, erat enim verus in promiſſis, & Propheta miſſus.* Sic eodem plane modo צדיק eſt *verax* in promiſſis Neh. 9: 8. & puto locutionem illam frequentiſſimam למען צדקתך non infrequenter

ter de *veracitate* Dei debere intelligi. Sic infra c. 43 : 9. צדק & אמר אמת ſunt Synonyma. Inde explicandus Pſalm. 51 : 6. למען תצדק בדברך *Veracitatem* enim intelligi τὸ δικαιωθῆς ſatis oſtendit, & omni exceptione major Paulus Rom. 3 : 4. ubi ex h. l. *veritatem Dei* probat ; neque aliter poſtulat verbum δικαιοσύνη ſæpe eſt *veritas* τῷ אמת reſpondens in Lxx ; & δίκαιον a Syro Interp. Luc. 17 : 17. קושטא *veritas* redditur. Contra עולה ἀδικία Mal. 2 : 6. eſt ψεῦδος : & inde μαμμωνᾶ τῆς ἀδικίας eſt *Mammon fallax, inſtabilis.* Hebræis enim *ſtabilia* נאמנים, id eſt, *vera* dicuntur, ut שכר אמת Prov. 11 : 18. eſt *merces ſtabilis* : contra פעלת שקר ibidem eſt *merces inſtabilis* ; ita enim iſte locus intelligi debet : ἀδικίαν autem in N. T. *fallaciam* notare probo ex Joh. 7 : 18. & Rom. 3. vſ. 5. coll. vſ. 7. Patet hinc *veri* & *juſti* notiones apud Orientales confundi. Ex vi autem ſenſus vera ſignif. attendi & hauriri debet. Idem apud Latinos Atticoſque Scriptores uſu venire docet Priſcian. Lib. 18.

CAP. XLII.

Verſ. 14. כיולדה אפעה

VErbum פעה, quod fruſtra alibi in Sacro Codice quæras, incertæ eſt notionis: Lxx. καρτερεῖν explicant, procul dubio quia התאפק quod eam habet ſignificationem, antecedebat. Vulgat. *loqui*: *Sicut parturiens loquar*, frigide nimis & dilute. Kimch. צעק *exclamare* exponit uſum citans Thalmudicorum, de quo *Buxt. Lexic. Thalmud.* videatur. *Belgæ* noſtri **uitſchreeuwen.** Hanc verſionem, quia nonnulli אפעה *viperam* vertendum eſſe volunt, confirmabo, & ſimul veram verbi ſignif. ex Arabiſmo eruam. Anſam præbet *Targum Eſtheræ* a *Buxt. Lex. Thalm.* citatum Cap. 1 : 2. Locum inſpicienti hæc occurrerunt. תורין נעיין אריותא נהמין דובין חטפין אמרין פעיין *Boves mugiunt, leones rugiunt, urſi uncant, agni balant.* פעה ergo eſt ovium & agnorum vox, & *balare* notat. Sic Arabicum ثغا, quod eſt pro פעה, ut mox docebo, a *Golio* exponitur: *Balavit aut ſimilem edidit vocem; de ove, capra, dorcade.* Hinc Prov. ما له ثاغية *Non eſt ipſi balans,*

lans, id eſt, nihil poſſidet fortunarum: primario autem & maxime propria ſignificatione ثغا *balatum ovium contentiorem, quem in partu edunt* indicare monent Arabes. Ita ثغا a *Golio* ex *Camus* exponitur *Balatus* ſeu *vox ovis, capræ, dorcadis, & quidem parturientis.* Hanc ſignificat. verbum פעה apud Hebræos obtinuiſſe admodum vero eſt ſimile: quod ut conſtet, exempla adferam, quibus pateat ע ab Arabibus in ء mutari ſolere; & viciſſim. Ita dicunt ثدم pro فدم *gravis lingua:* ثدام pro فدام *pannus colatorius:* ثرا pro فرا *induit pelles:* ثروة pro فروة *divitiæ:* ثدغ pro فدغ *fregit:* ثرغ pro فرغ *interſtitium inter urnæ anſas:* اثلاج pro افلاج *fortuna proſpera:* ثار pro فار *æſtuavit:* طثرة pro طفرة *cremor:* ثوهن pro فوهن *formoſus:* جثل pro جفل *propulit:* اثنجر *effuſa fuit aqua* pro انفجر: tandem ثفى *dactylorum genus* pro ففى: Sic لثام & لغام; ſic ثم & فم; ſic اثغم & افغم, aliaque bene multa. Ita de Græcis teſtatur Euſtathius, Æoles φλίβω dixiſſe pro θλίβω & φλᾶν

φλᾷν pro θλᾷν. Sic φῆϱ pro θῆϱ & inde Latinum *fera*. Ex hac uſitatiſſima *Phe* in *Tſe* permutatione dubium fere non eſt, quin quod Arabibus ثغا id Hebræis fuerit יעט *balare in partu*; proprie de ovibus; unde poſtea ad alia transfertur, ut hic de homine: licet יולדה forte non male *parturiens* ovis exponi poſſit. At eo non opus eſt; pervulgatum enim eſt, ut brutorum propriæ voces ad homines transferantur. Arietes proprie *Blaterare* dicuntur, uti Auctor *Philom.* docet

Blaterat hinc aries, hinc pia balat ovis:

Et homo dicitur *blaterare*, ut & *balare* apud *Varr.* de *Re Ruſt.* Adde *rugire*, *mugire*, *garrire* & ſimilia. Sic Græci; ex multis pauca. *Heſych.* Ὠρυομένων· κεκραζόντων, κυρίως δὲ ἐπὶ λιμῷ κλαιόντων λύκων ἢ λεόντων ἢ κυνῶν. *Euſtathio* μηκᾶσθαι eſt μίμημα φωνῆς αἰγῶν καὶ λαγωῶν καὶ ἐλάφων. *Nicander* in *Alexiph.* id homini tribuit

Αὐτὰϱ ὁ μηκάζει μανίης ἄπο μυρία φλύζων,

Ex Arabibus hæc habe. *Alcamus.* مربرة صوت المعز وكثرة الكلام *Barbara vox capræ, & multiloquium.* At quid multa? nihil Hebræis eſt familiarius; quod

quod verba שאג & נהם & נהק & צהל omniaque fere, quæ brutis proprie conveniunt, & ad homines transferuntur, abunde docent. Atque hoc pacto non loco ſolum huic multam affudimus lucem, ſed & veriſſimam vocis אפעה etymologiam inveniſſe videor: ſcil. *viperam* notat vox, cui a פעה *exclamare in partu* commode nomen tributum eſt, qui una omnium maxime partum habet difficilem & doloris plenum, unde *vipera* quibuſdam eſt, quod *vi pariat*. Verum cogitanti hic mihi dubio procul Magn. *Boch.* de origine vocis אפעה in *Hieroz.* ſuo ſcripſiſſe, illud evolvi, eaque quæ dubitanter de notatione hac conjiciebam, confirmata repperi. Verba *Bochart. Hieroz. part. 2. lib. 3. cap. 1.* Sunt hæc: „ Porro in partu potiſſimum ſibilos vipe„ ræ intendi, veriſimile eſt, quia tum acer„ biſſimo cum dolore conflictatur. Atque „ id proprie eſt פעה. Neque enim de cla„ more quovis verbum פעה uſurpatur, ſed „ de clamore in partu. Sic Eſai. 42: 14.“ Ac deinde nomen אפעה hinc explicatum dat. Addit ὁ μέγας obſtetricis Ægyptiæ nomen פועה *Phuah* ab eadem eſſe ſignificatione. Vides ἢ πάνυ eandem jam verbi propriam ſignif. poſuiſſe; addubitanti autem

mihi, quo fundamento id aſſereret, (Locus enim Eſaiæ, quem ſolum ad id citat, non ſatisfaciebat; nam dicitur & alibi אצעק כיולדה unde tamen concludere non licet יעץ proprie dici de *clamore in partu*) tandem in Operis ipſius part. 1. inveni, quæ eum ſpectaſſe non dubito. Hæc quia huic obſervationi ingens addunt pondus, eamque tanti Viri judicio ſuffultam Eruditis probatiorem fore ſcio, non poſſum non verba ipſius huc transferre: exſtant ea Hierozoïc. par. 1. Lib. 2. cap. 45. pag. 471. Lond. „ Quid? ſi Hebræis vetuſtioribus פעה idem „ fuerit quod ثغا quod non ſimpliciter „ *balare* ſonat, ſed *balare inter parturien-* „ *dum.* Alcamus. الثغا ضعف صوت „ الغنم والطبا وغيرها عند الولادة „ *Tſaga eſt intentio vocis ovis aut capræ alia-* „ *rumque in partu.* Hanc Viri Summi conjecturam aliquanto forte probabiliorem reddidi exemplis iſtis luculentiſſimus ſupra adductis, quæ quam facile Arabes *Phe* in *Tſe* commutare ſoleant, demonſtrant.

CAP.

CAP. XLVII.

Verſ. 3. *Sume molas, mole farinam* גלי *detege* חשפי שבל & צמתך *crura, tranſi flumina.*

BAbyloniorum ſervitus hic graphice depingitur; duæ hic leguntur voces, de quibus variant Interpretes, צמה & שבל. De prima quidem צמה, eam Lxx. reddunt κατακάλυμμα, prout hodie legitur; tempore autem Hieron. ſimpliciter κάλυμμα lectum fuit, uti ipſe teſtatur. Speciatim hic κάλυμμα intelligendum eſt de velo, quo mulieres verecundæ caput tegebant, quod recte vidit Arabs, qui ∓ Lxx. κάλυμμα قناع reddidit, quod eſt *operimentum capitis muliebre.* At *Syrus* gener. תחפירת. Sic *R. Jona*, teſte *Kimchio Lib. Rad.* דט צמה intelligebat ורבי יונה פרש בו המסוה *R. Jona tſamma per velum expoſuit.* R. etiam *Salomo* intelligit *velum* המצמצם השיער *quod crines tegit:* ubi eadem opera originem vocis oſtendere voluit, nam צמצם in *Thalm.* eſt *operire.* Facile eſt videre, quid eos ad hanc ſententiam adduxerit, nempe verbum גלי *retege.* Aliter plane *Hieron.* qui

צמה *turpitudinem* vertit, ſeu *verenda muliebria*, monetque *Symmach.* צמתך hic reddidiſſe τλὼ σιώπησιν σε, *quod nos*, inquit, *exprimere poſſumus taciturnitatem tuam, quod taceri debeat præ verecundia. Quod & in Cant. Cant. legimus, ubi ſponſæ pulcritudo deſcribitur, ad extremum infert: Abſque taciturnitate tua; nolentibus, qui Sanctam Scripturam interpretati ſunt, transferre nomen, quod ſonaret turpitudinem.* Quibuſdam deinde interjectis rationem verſionis ſuæ reddit: *Ergo* צמתך *verenda mulieris appellantur. Cujus etymologia apud eos ſonat ſitiens tuus, ut inexpletam Babylonis indicet voluptatem.* Putat ergo *Hieron.* צמה quæ vox quater in Sacr. Cod. invenitur, hic & *Cant.* 4: 1, 3. & 6: 7. dicere *pudendum mulieris* à radice צמא *ſitire;* quæ notatio ferri nequit; nec enim צמה *tſamma* poteſt eſſe a צמא, nec ſignificatio illa locis *Cantici* commode aptari poteſt. Videamus loca: *Quam pulchra es amica mea, quam pulchra es? Oculi tui ut columbarum* מבעד לצמתך *Latinus Interp.* ex mente *Hieron. abſque eo quod intrinſecus latet;* & Lxx. çonſimiliter ἐντὸς τ σιωπήσεως σε. quod quomodo intelligi debeat *Hier.* verba ſupra citata docebunt.

Verſ. autem 3. *Sicut fragmen mali punici ita*

ci, ita genæ tuæ מבעד לצמתך. Eadem ſunt verba cap. 6: 7. Non putem hic *occulta* mulieris intelligi; in quam rem multa dici poſſent; ſed ſufficiat monuiſſe מבעד non poſſe verti *præter*, unde iſta Interpr. ſponte corruet. Cur vero Lxx. צמתך ουσωπησουσι σε dederint, aperit Arabiſmus ubi صمت צמת eſt *ſilere*, ſed de his alias. Interim no a *Thau* in צמתך ipſis radicale eſſe. Accedat tandem vulgatiſſima & hodie fere recepta vocis צמה interpretatio, quæ *Ab. Eſrâm* & *Kimchium* auctores habet; quorum ille *tſamma* השער הרב *crines denſos* declarat ad *Cant.* 5: 1. hic clarius ציצית השער שמכינא האשה על פניה לי"טרי"צי *Cincinnos capillorum, quos in facie diſponit mulier. Li trezzi Italice.* Hæc ſignif. pulcherrime quadrat omnibus locis: *Cant.* 4: 1. *Oculi tui ut columbarum, è medio cincinnorum tuorum.* Sic Belgæ: tuſſchen uwe vlegten: Et ſic in ceteris locis, ubi vox reperitur. Huic verſioni ne ſubſcribere dubites ob Veterum auctoritatem, efficiam ex Arabiſmo, unde origo vocis aperte oſtendi poteſt. Scil. Arab. طم טמם eſt *plectere*, idem quod ضفر per quod a Lexicogr. ſolet exponi. ضفر autem pecul. de *comis plectendis* ſolet uſurpa-

ri,

ri, unde ضفير & ضفيرة eſt *cincinnus plexus*. طم ergo *plectere* notat, præſertim *comas*; unde مطموم מטמום *plexus nexuſque capillus* apud *Zjauhar*. Porro Arab. طم eſſe ab Hebræo צמם mutatione צ in ט non opus eſt, ut moneam; Chaldæi enim & Arabes fere ſemper *Tſade* in *Thet* mutare ſolent. Hæc de צמה. De altera voce שבל non minor eſt fluctuatio; hinc *plantam* alii, alii *talum*, quidam *tibiam*, Hieron. *humerum* intelligunt: Procul dubio reſpexit Hier. ad rad. סבל *bajulare*. Gen. 49: 15. ויט שכמו לסבל & Eſai. 9: 4. מטה על סבלו שכמו. Kimchius *pedem ſobel* dictum vult a שביל *ſemita*. Ita ille in *Comm.* ad h. l. in *Lexico* vero dubitat, utrum *pes* ſit an *crus*. Belgæ *talum* intelligunt; horum expoſitio eo nititur, quod cum ſeq. שוק *crus* jungi videatur; at eadem ego ratione *capillos plexos* eſſe evincam, ſi cum præc. צמה copulavero. Neſcio an attentionem mereatur Rabbinorum Interpretatio, cujus meminit *Kimch. in Lex.* qui חשפי שבל explicabant קלופי שבלתא דנהרא *decortica arundines fluviatiles*. Tandem in partes vocandi ſunt Lxx. Interpretes, qui mihi vocem vere Interpretati eſſe videntur; πολιὰς ſcil. vertunt, quos

quos sequitur Syrus, qui חורתא *canos* habet, & *Arabs*, qui شعر *crines*. *R. Mose Cohen* ab *Esra* laudatus ita sentiebat; *sobel* esse השיער היורד על הלחיים *Cincinnos in genas pendulos*. Addit *Ab. Esra* והנכון שאין ריע לו ופירושו לפי מקומו בלא ראיה *Certum est non esse voci huic parem, interpretatio autem ejus ex loco hauriri potest; sed absque certa probatione.* Præsidium tamen huic sententiæ afferet Arabica lingua, in qua سبولة est *coma, cæsaries*; sic in *pent. Erpen.* pro *Hebr.* גדל פרע est يكبر سبولة *nutriet cæsariem.* Radix سبل est *demittere*; اسبل الذيل *demisit laciniam* in *Histor. Tamerl.* sæpissime. De *crinibus* apud *Geograph. Nubiens: Clim.* 2. part. 8. de fœminis magnum regem Indorum in solenni equitatu comitantibus. *Armillis ex auro & argento manus pedesque ornantur;*

واسبلن شعورهن علي اردافهن

& capillos suos ad nates dimittunt.

Itaque, ut finem faciam, mihi maxime verisimile est שבל & צמה conjungenda esse, & utrumque de crinibus & capillis intelligendum; nudatio autem comæ mulieri indecora erat. Confer Num. 6: 15. & 1 Cor. 11.

CAP.

CAP. LIV.

Verſ. 8. בשצף קצף

VOx ignota eſt & incertæ ſignificat. τὸ שצף. Lxx. ἐν θύμῳ μικρῷ. Vulg. *in momento indignationis.* Scil. ex præced. vſ. id repetiiſſe videntur. ברגע קטן. Ita *Kimchius* ex ſenſu. ענינו לפי מקומו במעט קצף כמו שאמר ברגע קטן *Significatio vocis ex ſenſu intelligenda; parva ira, prout dixerat* (vſ præc.) *parvo momento.* Sic *Ab. Eſra* אין ריע לו והטעם כמו מעט *Non ſimilis eſt voci, ex ſenſu* parum *denotat.* Merito tamen dubitare quis poſſet de hac recepta ſignif.; cum in nulla vicinarum linguarum talis notionis ſub שצף veſtigia appareant; neque etiam ex contextu ſatis id liquido conſtet. Errant enim Viri Docti qui putant שצף & עולם in ſeq. hemiſt. opponi, nam non שצף ſed שֹׁד רגע עולם opponitur. Mihi longe probabilius arridet שצף ex Arabiſmo diverſo plane ſenſu explicare. Radix شظف ſeu שצף (צ Hebr. verti in ظ Arab. non eſt quod ulterius moneam) Arab. notat *durum, vehementem eſſe:* شظف *Sjadſiphon durus:* شظاف ſeu שצף *durities, vehementia:* Inde malo: *In vehe-*

vehementia iræ, abſcondi momento faciem &c. Plane etiam auctoritate hic deſtitutus non ſum; nam pari ſenſu *Syrus* dedit ברוגז רבא *in ira vehementi.* R. etiam *Menachem* ab *Jarchio* & *Kimchio* laudatus explicabat בחרי אף *in ardore iræ.* Nulla ergo ratione מעט *parum* eſſe docetur.

CAP. LVI.

Verſ. 11. מקצהו

HÆrent hic Interpretes, & valde diſſentiunt. *L. de Dieu* nova ratione: *Ex præcipuis eorum.* At קצה *præcipuum* notare, non ſatis probat Vir Doctus. Ex Arabica locutione عن اقصى exponendum monui *ad unum omnes;* quam phraſin pluribus illuſtratam videbis ad Gen. 19: 4.

CAP.

CAP. LXI.

Verſ. 6. חיל גוים תאכלו ובכבודם תתימרו.

COpias *gentium comedetis, & in gloria*, id eſt, *divitiis* (πλούτῳ Lxx.) *eorum ſuperbietis.* Ita *Hieron.* Lxx. reddunt Θαυμασθήσεσθε. Solet plerumque ad radicem אמר verbum hoc referri, & תתימרו poſitum contendunt pro תתאמרו ab תאמר in *Pſalmo* 94. ubi vertunt *efferre ſe.* Non valde repugno, literæ enim א & י ſunt permutabiles; exemplum tamen huic mutationi plane ſimile nondum allatum vidi. In Arabiſmo frequentia exſtant exempla, ut radices, quæ *Aleph* primam habeant, etiam per *Jod*, ſeu potius ejus loco *Vau* primæ efferantur; ut اخذ & وخذ, & اجد pro quo etiam وجد aliaque plura. Apud Hebræos etiam radix יחר ab אחר eadem eſt permutatione facta. Egregie huc facit quod apud *Abulphar.* يسر ſæpe ponatur pro اسر. Ita pag. 546. *Hiſt. Dyn.* يسير poſitum eſt pro اسير *captivus*, & يسر *captivitas* pro اسر pag. 548. Sic pag. 383. اخذ يسيرا *captus*

captus est, & sic aliquoties. Ita in *Camus* etiam legitur يمامي poni pro امامي *coram me*. An hinc est quod *Chaldæus* יוצר *Zach.* 11 : 13. sumserit de אמרכלא quasi לאוצר comprobat hoc etiam porro contrarium in תאמינו Esai. 30 : 21. quod pro תימינו positum esse claret ex textu. Hoc modo תתימרו vertemus vel *efferre se*, vel *dominari*, prout apud Arabes كامر sumi monui ad Psal. 94. Interim incertum satis videtur, an תתימרו recte ad אמר referri possit, si התאמר eum obtineat usum, quem ad Psalm 94. nove ex Arabismo protuli, præsertim, præter insolentiam hujus permutationis, quod radix ימר alia significatione in Sacro Codice occurrat *Jerem.* cap. 2 : 11. ההימיר גוי אלהיו *An mutavit gens Deos suos*, ut recte *Vulg.* & Lxx. nec potest aliter, quod luce clarius est ex contextu: ימר ergo ex loco hoc patet idem notare quod מור, atque hæ radices sæpissime confundi solent. Sic טוב & יטב · צור & יצר · קוץ & יקץ · רוע & ירע · פוח & יפח · גור & יגר. Sic pro מור etiam ימר dictum hic *Jeremiæ* locus ostendit, frustraque anomalia a *Grammaticis* hic ponitur. Hinc ita conjicio: Arabice صرف idem est quod Hebræis ימר vel מור *mutare*;

inde eſt *verſari*; hunc uſum מור etiam induit, uti ad *Jobum* monui; *verſari in re* dicitur apud Arabes, præſertim in 5. conj. تَصَرَّف *qui libere & ex arbitrio & poteſtate re utitur.* Hoc loco noſtro ſatis convenit; poteſt etiam aliter. Verbum מור مار a prima *mutandi, commutandi* ſignif. peculiariter notat, *proſpexit de commeatu, ſibi comparavit commeatum.* Idem etiam حرف dicit ab *mutandi* primaria notione. Inde in *Hithpahel* התימר erit *ſibi ipſi commeatum acquirere*, quod ſeriei orationis mire convenit. Fateor tamen inclinare me magis ad Vulgatam ſententiam, verbum ad radicem אמר eſſe referendum. Oblitus fere eram תמורה Job. 20: 18. nihil quicquam æque commode notare, atque *commeatus comparationem: Et ſecundum copiam commeatus ſui non exultat.*

CAP. LXIII.

Verſ. 3. ויז נצחם על בגדי

HIeron. *Et aſperſus eſt ſanguis eorum ſuper veſtimenta.* Ita & Lxx. נצח αἷμα hic dederunt, quamquam verſio eorum hic tota corrupta ſit, & confuſa cum

cum *vſ. 6. Arabs* etiam & *Syrus* רם ט *ſanguinem* efferunt. Sic Rabbini etiam. *Raſchi* נצחם : דמם שהוא תוקפא של אדם Nitſcham *eſt ſanguis eorum, quod in eo robur ſit hominis. Kimchius* נקרא הדם נצח לפי שהוא חיי האדם וחוקו *Sanguis* Netſach *vocatur, quod vita ſit hominis & robur ejus.* Nec aliter *Ab. Eſra* & *R. Levi.* Putant ſcil. נצח aliquando in Sac. Cod. *robur* notare, ut 1 *Sam.* 15 : 29. & alibi. At *veritatem* illic potius denotare aliiſque in locis monui ad *Hab.* 1. Cum autem nec *veritas* hic conveniant, nec *æternitas*, aliud quærendum. Arabice radix נצח ſeu نضح *ſpargere, aſpergere* notat: نضح الدم eſt *ſanguinis aſperſio.* Æthiopibus etiam uſitatum verbum, unde 1 Pet. 1 : 2. ῥαντισμὸν αἵματος Æthiops dedit נצחת רם inde ſi *ſanguinem* dicere נצח putemus, commoda conſtabit denominationis ratio, vel ſi ſimplicem vocis vim retineamus, planus etiam emerget ſenſus : *Et quod ex iis ſpargebatur*, ſanguis ſcil. *in me aſperſus eſt.* Eodem modo *vſ. 6.* ſe habet; ubi tamen *ſanguis* magis proprie locum habebit.

CAP. LXIV.

Vers. 5. כבגד עדים כל צדקתנו

VAriæ sunt Interpretum expositiones. *Jarchi* כלבוש מרחק כבגד מאוס שהכל אומרים הסר· עדים· תרגום של הסרה *instar vestimenti removendi & fœtentis, de quo omnes* abjiciatur *exclamant;* עדים *in Targum* הסרה *remotioni respondet.* Verum est *Hebr.* סר per אעדי in *Targum* reddi, inde tamen עדים derivari nequit, quia Dagessatum est. *Kimchius* עדים· מתרגום ספחת עריא: ויש מפרשים מתרגום הרה מעריא: ויש לפרש בגד סמרטוט ובלוי *Exponi potest* עדים *ex Chaldaico* עדיא *abscessus. Alii ex Chald.* מעריא, *quod* הרה *prægnanti respondet in Targum. Tandem lacera & detrita vestis potest intelligi.* Ultima illa Interpretatio fundamento caret, nec satis convenit, quia pollutam vestem hic dicere voluit Propheta. Quod ad secundam מעריא non *parturientem* notat, quod ad rem faceret, sed *gravidam* simpliciter. Repugnat etiam Dagesh in עדים; quod & primæ expositioni adsensum præbere impedit. *Ab. Esra* a עור *prædari* & עד *præda* vestem ab hoste spoliatam, adeoque sanguine tinctam intel-

intelligit. At primo עור esse *prædari* aut ער *prædam* non satis apparet; tum si esset, hic certe locum non haberet, ob Dagesh forte. Miror Cel. *Hotting.* qui ערים nostrum ex Arab. عن explicari posse putabat, quod *aquam perennem* notat, unde exponere deberemus: *Vestem aquarum perennium*, quæ iis elui necesse habeat, ait Vir Doctus, quod nimis violentum est & inconcinnum. Veteres Interpretes miro consensu בגד ערים de *panno menstruatæ* intellexerunt. Lxx. ῥάκος ἀποκαθημένης· Vulg. *Pannus menstruatæ*: *Arabs* خرقة الطامث quod idem est: Sic *Syrus*, *Chaldæus* etiam לבוש מרחק, quod eodem recidit, nam ריחוק Chald. *menstruum* est. Hæc versio dubio procul efficaciter loci sensui satisfacit, ideoque in Ecclesiam fere est recepta. Eam ex Arabismo confirmasse juvabit. Arab. عن ערر notat *numerare*: inde عدّة a *numerando* vocatur *Status mulieris, quo cum ea rem habere nefas est*, ob menstrua; aliamve impuritatem. Ita in Alcor. Sur. 65: 4. & alibi. Forte etiam ערה hic positum est pro נדה quo peccati impuritas exprimitur Zach. 13: 1. *Ain* & *Nun* quandoque permutantur. Sic اذبس & اعبس *austerum esse*: اعطا & اذطا

ادطا *dedit* : عفريت & دفريت *Vafer*: دكس *invertere* & عكس : دعف *vellere* & pro eo عكف in Appendice Golii. Et ſic alia bene multa.

Prius tamen magis arridet, & eo quidem magis quod Hebræis radicem עדר unde עודר uſurpatum in *Pſalmis* primario *numerare* notaſſe putem, de quo alias ſcribemus.

CAP. LXVI.

Verſ. 20. בסוסים ובפרכד ובצבים ובפרדים ובכרכרות.

PRædicitur fore, ut gentes undequaque Hieroſolymas confluant *in equis*, *& in curribus*, *& in rhedis*, *& in mulis*, *& in* כרכרות *Circaroth.* Extrema illa vox ambigua valde & incertæ eſt ſignificationis: *Jonathan* vertit תושבחן *laudes*, quod quo modo cum præcedentibus cohæreat ipſe viderit. Ita tamen, ut ſibi conſtaret, verſum voluit; idem enim מכרכר 2 Sam. 6 : 14. משבח *laudantem*, prave licet, reddiderat. Neque alibi radix כרכר reperitur. *Chaldæum* ſecutus eſt *Raſchi* qui *Circaroth*, *cantica ludentium* exponit *& ſaltantium*, preſſius verbi

bi *Circer*, quod *ſaltare* eſt, notionem referens. LXX. Interpretibus ſunt σκιάδια *umbellæ*, ut & *Arabi*, qui ظلالات, quod idem eſt, habet. Aliis Græcorum φορεῖα, id eſt, *vehicula* exponere placuit, quibus fere conſentit Hieron. *carrucas* vertens. *Rabbi Menahem* ridicule כבשים, id eſt, *agnos* intelligebat, quia ſcil. כר id ſæpiſſime notat; unde & hoc nomine *Ab. Eſræ* vapulat. Tandem plurimi ex recentioribus; Judæi omnes, ſi *Jarchium* & *Menah.* exceperis, Chriſtiani etiam quam plurimi *Circaroth* ſumunt de *dromadibus*. Duæ hic ſeſe offerunt ſententiæ, quæ aliquam ſpeciem habeant; reliquarum autem inutilem omnino duco refutationem, adeo fundamento omni aut ratione deſtituuntur. Prima earum eſt, quæ *Circaroth* eſſe vult *vehicula* aut *carrucas*: quod non aliunde ortum videtur, quam quod *curribus* illud & *rhedis* צבים ſubjungi viderent; adde *vehicula* כרכרות *Circaroth* potuiſſe dici, quaſi *ſaltatoria* a verbo כרר *Circer*, *ſaltare*, prout dicitur *Nah.* 3: 2. מרכבה מרקדה *vehiculum ſaltat.* Speciem, ut dixi, habet hæc ſententia, præter vero ſpeciem nihil. Probabilior mihi longe & convenientior videtur eorum ſententia qui *dromadas* interpretantur; quum

enim partim *equis*, alios *curribus* & *lecticis*, partim *mulis* Hieroſolymas confluxuros dixerat, reliquum erat ut *camelorum* mentionem faceret; neque enim veriſimile eſt Prophetam tam nobile & Orientalibus uſitatiſſimum jumenti genus prætermiſiſſe, quod ſolum fere itineribus faciundis & oneribus geſtandis ſufficiens natum eſt. Unde Arabibus cameli سفاين البر *naves terreſtres* vocitati, quia ut mare invium eſſet ſine navibus, ſic vaſtæ Aſiæ ſolitudines prorſus eſſent inacceſſæ, niſi camelos creaſſet Deus. Hinc in Alcorano ſæpe tanquam ingens Dei O. M. beneficium creatio Camelorum celebratur. Uſus eorum & utilitas ex Sacris Literis abunde etiam cognita. In Originem vocis inquirens, in hac ſententia confirmor. Eam ſic aperit *Kimchius* in *Libr. Rad.* נקראו הגמלים או הבהמות הקלות בהליכתם כרכרות לפי שנרוב קלותם ומהירתם דומין שמרקדין *Vocantur Cameli aut alia quævis jumenta levia*, Circaroth, *quod levitate ſua & velocitate ſaltum mentiantur*. Neſcio an *Kimchio* quaſi per nubeculam aliquid affulſerit; interim certum eſt veriſſimam eſſe hanc notationem, quod ex Arabiſmo manifeſto conſtat. Scilicet Arab. رقص eſt *ſaltare*; de *camelo* autem *properare*,

rare. Camus: رقص البعير اذا سرع *Camelus dicitur* Rakatſa *ſaltare, quum properat.* Hiſtor. Tamerl. pag. 137. *Quum autem Cameli ignem ſentire cœperunt* رغث ورقصت ونحو الفيول شخصت *tum ejulare illi, & ſubſultare & verſus elephantos ferri.* Sic apud *Sadium* in *Roſar.* اشتر عابدرا ديدم كه برقص در امد وعابدرا بيندانخت وراه بيابان گرفت *Mox religioſi iſtius camelum ſaltare vidi, qui inſeſſore dejecto viam deſerti cepit.* Eadem ratione verbum رقل *tripudiare* per اسرع *velocem eſſe* exponitur in *Camus*, atque ibidem ناقة مرقلة *camela tripudians* eſt سريعة *velox.* Hebraice רקד eſt *ſalire, ſaltare:* hæc ſignif. etiam in Arabia recepta eſt, unde رقدان *exultatio præ alacritate;* hoc etiam in *celeritatem* transfertur, unde ارقن *properanter inceſſit:* مرقدي *accelerator, feſtinus:* قرقبن *Certus incedendi modus*, nempe idem qui خبب alias, ut videtur, ſeu *inceſſus tolutarius;* jure autem hic quæri poſſet an מרקדה apud Nah. cap. 3: non *celeritatem* aliquam, una

cum *ſaltandi* notione comprehendat. Non difficulter certe ab *ſaliendi* notione ſignificatio *celeris* deflectitur; *agilitas* enim & *celeritas* ſaltui ineſt, unde omnes fere linguæ hanc metaphoram admittunt. At ſpeciale aliquid hic adeſt, unde *camelis* præcipue & proprie *ſaltum* tribuant Arabes, quum properant; atque inde penitius rationem nominis *Circaroth* inſpiciemus, ſimulque apparebit non eſſe quævis jumenta velocia, uti addubitabat Kimchius, ſed nominatim *Camelos*. Nimirum ad naturam pertinet camelorum, ut fidium aut vocis dulci ſono capti, ſaltare incipiant & in pedes ſe & vehementiorem curſum conjicere. Camelos cantu delectari docet *Sadius* in *Guliſtan*, pag. 190.

اشتر بشعر عرب در حالتست وطرب
كرذوق نيست ترا كنج طبع جانوري

Camelus carmine Arabis in gaudio & exultatione eſt;
Te ſi ejus (muſicæ) *delectatio non ceperit, perverſum es animal.*

Leguntur & hæc:

شترا

شتررا چو شور وطرب در سرشت
اگر ادمي را نباشد خرشت.

Camelum quum capiat muſices *amor & delectatio,*
Hominem ſi non itidem mulceat, aſinus fuerit.

Ulterius hæc; ſimulque cantum ad curſum eas & velocitatem incitare ſequens docebit hiſtoria ex Roſario. *Cum ad Mechil Bene Helal pervenimus* كودكي سياه از حي عرب بدر امد واوازي دراورد كه مرغ از هوا در اوردي اشتر عابدرا ديدم كه برقص در امد وعابدرا بينداخت وراه بيابان گرفت گفتم اي شيخ در حيواني اثر كند وترا اثر نمي كند.

Ecce puer quidam niger ex tribu Arabum proſiliebat, qui cantare occœpit voce, quæ aves cælo deduceret: Camelum religioſi inſaltum conjici vidi, & eo dejecto viam deſerti petere. Hic ego: O bone, animal afficit vox; tene vero non mulcebit!

Narrat

Narrat ad h. l. *Gentius* de ſervo quodam, qui omnes Domini ſui camelos uno die cantu ſuo interemerat. Nimirum quum mira vocis ſuavitate polleret, eos cantus dulcedine eum in modum ad curſum excitaverat, ut tridui iter velut rabidi, uno die conficerent; unde oneribus depoſitis deficientes expiraverint omnes. Hinc in Oriente Præcentores vulgo camelorum, quos قراقري *Kurakiri* propria voce dicunt, ä verbo قرقر *Canora voce modulatus eſt, & camelos ad curſum incitavit* ductor. Idem حدا dicitur quod a Golio exponitur *propulit camelos canendo*, & qui cantu impellit حـاد *Hadin* audit; & شـيـان *Sjadin* a verbo شدا *canora voce cantando camelos propellere.* Hæc aliquanto latius proſecutus ſum, quia nihil quod ſciam de hoc camelorum ingenio & proprietate in libris Græcorum aut Latinorum; tum quod non exigua luce locum noſtrum perfundant; plane enim hanc camelorum naturam exprimit vox *Circaroth*, quæ vi ſua notat, *lætas ſaltatrices & veloces.* Hæc etiam eſt ratio cur *ſaltandi* verba ad *velocitatem* camelorum exprimendam adhibeantur; nempe cum præ lætitia *ſaltare* incipiunt ea-

eadem opera leviſſime feruntur & viam celerrime ſecant. Sic اشتطرب *ad lætitiam excitare*, quum de camelis dicitur notat eos *in curſum propellere*, teſte *Camus*. Ab *ſaltando* ergo, id eſt, ſumma *celeritate*, & *exultando*, ſeu gaudio quo ſe in curſum conjicere ſolent cameli, Hebræi eos *Circaroth* appellaverunt. Quod autem *Circaroth* potius nominet Propheta term. fœm. non *Circarim camelos* mares, ea poteſt dari ratio ἔρσενας τ᾽ καμήλων ἥσονας εἶναι θεῖν τῶν θηλέων, *camelos mares impares eſſe fœminis in currendo*; quod legi in *Herodot.* Lib. 3. cap. 127. Arabibus certe fœmellas etiam ad vecturam alioſque uſus præferri ſolere, docet nos Celeberr. *Golius* Adag. Arab. XIII. Eodem modo *dromadem* in fœm. gen. efferre amant Arabes راحلة quæ juxta *Zjauhar.* pecul. eſt الناقة التي تصلح ان ترحل *Camellus clitellis ferendis apta.* Quamquam alii *He* non fœmininum hic habeant ſed emphaticum, & utrumque comprehendi velint ſexum. Hoc interim teneamus כרכרות hic eſſe, quæ Arabibus رواحل, Thalmudicis גמלי פרחי *Cameli volantes*, Græcis δρόμαδες dicuntur, de quarum incredibili celeritate nihil nunc atti-

attinet dicere. *Dromadæ* vocantur ab *Isidor.* & *dromedarii* ab *Hieron.* unde nobis **Dromedarissen.** Conferri nunc velim, quæ summus virorum *Sam. Bochart.* de hac voce Erudito Orbi communicavit *Hieroz.* part. 1. Lib. 2. cap. 4. ubi *Circaroth*, *camelos dromades* esse ostendit; & nonnulla ibidem hæcce nostra non parum firmantia deprehendes.

ANIMADVERSIONES PHILOLOGICÆ IN JEREMIAM.

Cap. I.

Vers. 5. בטרם אצורך בבטן

Masora parva hic annotat: יתיר ו in אצורך redundare. Putant scilicet futurum esse ab radice יצר *formare*. Hinc *Nathan* in *Concord.*, *Kimchius*, ceteriique *Lexicographi* ad יצר futurum hoc referunt. Nulla est necessitas anomaliam hanc admittendi; nam צור & יצר significationes suas confundunt. Arabibus verbum صور צור hac *formandi* per creationem significatione familiarissimum est, & sæpissime in Alcorano usu venit: الله صوركم واحسن

واحسن صوركم Surat. 64. *Deus formavit vos.* Utrobique eſt צורכם. In Sur. 3: 4. ne plura nunc loca adferam, locus eſt noſtro plane ſimilis:

هو الذي يصوركم في الارحام

Ipſe eſt qui יצור *formavit vos in utero.*

An hæc eſt ratio cur Arabs Erpenianus in Deut. cap. 32. צור aliquoties الخالق *creatorem* reddiderit? Superſtitioſus alias eſt Hebraiſmi obſervator.

CAP. II.

Verſ. 15. עֵרִין נִצָּתָה

ITa τὸ *Chetibh* præfert: *Keri* legere jubet נצתו: Scilicet עירם plur. eſt maſculin. נצתה autem ſing. fœmin. quæ conſtrui non poſſe videbantur. Aſt, ô boni, nunquam aliter Arabes, qui plurali maſcul. *inhumano*, ut vocat *Erpenius*, ſemper fœmin. ſingulare ſubjungunt. Sexcenties legitur in *Corano* جنات تجري من تحتها الانهار *Horti ſub quibus flumina decurrit.* انهار plur. maſc. cum تجري ſing. fœm.

Sic

Sic الكواكب انتثرت Cor. Sur. 82: 2. & vſ. 3. بحار فجرت vſ. 4. قبور بعثرت Et Sur. 81: 2. نجوم انكدرت vſ. 3. جبال vſ. 5. عشيرت vſ. 6. وحوش حشرت بحار vſ. 10. صحف نشرت سجرت. Quid plura? numquam aliter in auctoribus, qui elegantiæ & puritati ſtudent, deprehenditur. Inſpiciat Arabice Doctus *Hiſt. Tamerl.* & ſingulis paginis multa ſeſe offerent exempla. In Sacro Codice eadem conſtructio alibi etiam ſervatur. Job. 14: 19. ספיחים תשטף Et 39: 14. רננים תעוב Pſalm. 37: 31. אשרים תמעד unde extra dubium ponitur, *Chetibh* hoc loco retinendum eſſe, & erroneam eſſe correctionem.

Verſ. 23. בכרה קלה משרכת דרכיה פרה למד מדבר.

Totam hanc pericopam verborum aliter legerunt & diſtinxerunt Lxx. ὀψὲ φωνὴ αὐτῆς ὠλόλυξε vſ. 24. τὰς ὁδὰς αὐτῆς ἐπλάτυνε ἐφ' ὕδατα ἐρήμου. Hoc pacto legiſſe videntur. בכרה קולה משרכת vſ. 24. דרכיה פתה למי כדבר. Quod בכרה ὀψὲ dederint, ratio latet in Arabiſmo, ubi بكرة eſt *matutinum tem-*

pus. At cur contrario ſenſu verterunt? an quia שרך utrumque notat, & tam ὀψὲ quam πρωὶ ab iis exprimitur? in משרכת veſtigia ὁλολυγμῶ nullibi invenio, & cur ita dederint nullus video: verbum certe eſt obſcuriſſimum, & ab Eruditis varie intellectum. Vulgat. *Curſor levis, explicans vias ſuas:* Rabbini: *Corrigiarum* שרך *in modum implicans vias ſuas.* Vir Doctus ex Æthiopico שרך *veſperam* notante, *ſerotinans vias ſuas.* Arabice radix شرك notat *aſſociare;* inde tam Hebr. שרך quam Arabum شراك *corrigiam* dictam puto, quod ſoleam plantæ pedis *connectat* & *aſſociet.* Inde etiam explico locum noſtrum: *Aſſocians vias ſuas.* Idololatriam dubio procul hic redarguit Propheta; hanc Arabes שרך شرك vocant, quaſi *aſſociationem* dicas idolorum ad verum Deum. Verbum in 4. اشرك *aſſociare* eſt *cultui idololatrico deditum eſſe.* Unde משרכן ſeu مشركون *idololatræ* ſunt ſexcentis in locis Alcorani. اشراك etiam & عباد الاوثان *cultores idolorum* conjunguntur in Hiſt. Tamerl. شريك *aſſociatus* eſt *idolum*, & شركا ejus plurale, in Corano non raro *Idola* vocitat Mahomed.

med. An hinc נסרך *Niſroch* Aſſyriorum idolum? an itidem Propheta Idololatriam eorum redarguens, ſimul ſpeciem ejus & Aſſyriorum ad imitationem in cultu *Nisrochi* factam eam indicare voluit? Longe petita videntur, & tamen vera eſſe poſſunt. Confer ex vſ. 24. בחרשה ימצאונה unde ſimul patet, non hic ſemper in eadem perſiſti metaphora, quod hic objici forte potuiſſet.

CAP. V.

Verſ. 8. סוסים מזנים משכים היו

DIfficultas eſt in voce משכים. Quidam id pro משכימים *mane ſurgentes* ſumunt: *Tanquam equi bene paſti mane ſurgunt*. Quæ interpretatio in multis laborare videtur: Primo cur qui a libidine notati in uxores proximi hinnire dicuntur, mane potius quam veſperi aut nocte in Venerem exardent. Deinde משכים pro משכימים dici poſſe, caret exemplo & auctoritate. Tandem, ſi vel id detur, Hebraicum non eſt משכים היו *mane ſurgunt* cum dicendum foret משכים הם. Vulgatus, Lxx. Aquila, Symmachus, Theodotion τὸ משכים videntur ad משן retuliſſe, priores obſcurius, ac

clariſſime tres ultimi, qui ἕλκοντες reddunt, id eſt, *trahentes*. Ab. Eſræ ſunt *equi Tuſci*, nam Hebræi משך *Tuſciam* explicant, quod improbat Bochartus. משכים eſſe a radice משך vero maxime eſt ſimile. Arabice مسك ſeu משך eſt *capere*, *tenere*, *continere*; hæ ſignificationes ab Hebraiſmo non alienæ videntur. Exod. 12: 21. משכו וקחו *tenete apprehenſum & capite*: Et *continere* Job. 38: 31. משכות, quod Lxx. φραγμὸν dederunt. Inde dicunt Arabes امسك الغذا البدن *Continet corpus cibus*; & مسكة ſeu משכה eſt *alimentum*, *quo continetur corpus*; & مسك apud Poëtam Kotrob بالضم cum Dſamma, *Muſchon* a Scholiaſte exponitur مـــــا امسك البدن من الغذا *illa ex cibis quæ corpus tenent*, id eſt, *compactum reddunt & robuſtum*. Et مسكة משכה eſt *vir robuſtus*, *validus*: Vides quo tendam: משכים ſic erit idem fere quod præcedens מונים *bene paſti*. Hinc explicari poteſt: *Equi bene paſti & alti*, vel etiam, *equi bene paſti & robuſti*. Quod ſi tamen uſitatiorem verbi משך notionem, quæ *trahere* eſt, retinendam putes, cum Græcis ſupra citatis verti poterit *equi trahentes*. *Maſchim*

ſchim pro *moſchechim* ex Chaldaiſmo, ut *pharſin* פרסין Dan. ה: 25. & ſic Chaldæi ſemper. *Equi trahentes*, ſunt *incitati*, *rapidi*. Phraſis eſt Arabum, quibus جذب eſt *trahere*, unde فرس جذب *equus trahens* eſt سريع *rapidus*. Et verbum جذب *trahere* in ſept. conj. in Zjauhar. exponitur *cito*, *velociter inceſſit*. Sic a خلج itidem *trahere* eſt اخليج in Camuſo *præſtans ac velox equus*. Verbum سلب etiam eſt *trahere*, unde noſtrum ſlepen; inde eſt سلب *Salebon*, *rapidus inceſſus*. Et فرس سلب القوايم *Equus pedes trahens* eſt, qui *celeriter fertur* in Zjauhari. Et ipſum verbum in 4. conj. اسلبت الناقة *traxit camela*, id eſt, *celeriter proripuit ſe*, in Camuſo.

CAP. XI.

Verſ. 19. אני ככבש אלוף יובל לטבוח

LXX. ὡς ἄρνιον ἄκακον. *Chald.* כחיר *electam oviculam*, ſegregatam ad mactandum. Non recte. *Hieron. ut agnus manſuetus.* Ad hoc *L. de Dieu: Manſuetum*,

tum, quod ſcimus, אלוף *nuſquam denotat.* Fallitur Vir Doctiſſimus, nam expreſſe docet *Golius* ex Lexico *Maruphidis* الف etiam notare *manſuefactus fuit.* Interim nihil cogit nos, ut ita vocem capiamus, & quia exemplo id caret, malo exponere: *Sicut ovis aſſuefacta.* אלוף aliquoties *aſſuetum*, & inde *amicum* notare pluribus ad Prov. 2: 17. docui. Intelligo autem oviculam, quam quis ſibi aſſuefecit. Confirmat hoc, quod Arabibus شاة الوف *Ovis Aluph* hoc ſenſu veniat. Locus eſt apud *Bochart.* in Hieroz. qui *ovem manſuetam* hic verti debere jam docuerat. *Al Camus* in voce رووم ita habet. شاة رووم الوف تلحس ثيابها من مرتها *Ovis Rawum & Aluph dicitur, quæ lingit veſtes educatoris ſui.* Viden non eſſe *manſuefactam* proprie aut *cicuratam*, illud enim natura ſua erat, ſed *aſſuefactam*, a teneris eam educando. Fatendum tamen eſt, aliter paulo hæc in Lexico *Zjauharii* legi, hoc modo. تلحس ثيابها من مرتها non مرتها quæ notant: *Ovis Aluph eſt, quæ lingit veſtes prætereuntium ſe.* Sic *Aluph* potius *manſuetum* dicere videtur. *Fui ut ovis Aluph,* tam

tam manſueta, ut illorum etiam veſtes lambam, a quibus ad lanienam rapior. Quod vere de Chriſto dici poteſt. Non opus eſt tempus terere in refutatione eorum, qui *Aluph* hic *bovem* vertunt. *L. de Dieu* præ *aſſuefacta ove* malebat *ovem amicam, amicabilem.* At radix אלף proprie *amicitiam* non dicit, ſed *conſuetudinem*, quod alias latius oſtendimus.

Ibid. נשתיתה עץ בלחמו.

Chald. נרמא כמא דמותא במיכליה. Illud עץ *lignum* de venenato ſumſit ligno. נשחיתה per נרמא vertit, ut Lxx. & *Vulg.* qui ἐμβάλλειν & *mittere.* נשליכה legiſſe videntur, ח pro ל & ת pro כ ſumto. Varie locus ab Eruditis exponitur. Videatur *L. de Dieu.* Conjiciebam olim Arabicum لحم hic convenire, quod per لب etiam declarant Arabes, id eſt, *cor & medullam arboris.* Belgarum tamen verſio nunc magis arridet, quæ certe ſimpliciſſima videtur. *Perdamus arborem cum fructu ejus:* לחם ſimiliter fere ſumtum invenio apud Arabes. Ita in *Tophail.* Diſſert. لحوم الفواكه *Pulpa* in fructibus. Et ثمرات ذات لحم *fructus*

quæ pulpam habent, לחם. Ratio, cur in hanc ſententiam propendeam, eſt, quod addatur : *Exſcindamus eam, & in memoriam non amplius veniat nomen ejus.* Hoc eſt, *delere arborem cum fructu.*

CAP. XIII.

Verſ. 21. *Quid dices cum viſitaverit te?*
ואת למדתי אתם עליך אלפים לראש.

LXX. καὶ σὺ ἐδίδαξας αὐτὸς ἐπὶ σὲ μαθήματα εἰς ἀρχὴν· אלפים iis μαθήματα ſunt : ſimiliter *Hieron. erudiſti in caput tuum.* Hodierni Interpretes ita fere : *Et tu docuiſti eos contra te duces* eſſe *& in caput* tibi. Non ſperno hoc; elegantius tamen adhuc verti poſſe video hoc pacto : *Et tu docuiſti eos amicos eſſe contra te, in caput.* Amarulentiſſimus eſt Sarcaſmus. Tu Babylonios tibi amicos eſſe docuiſti ; ſcilicet : לראש ut in caput tibi ſint, tibique imperent. Hoc cum præced. interrogatione, *Quid dices?* mire convenit, quo oſtenditur, aliud a Babyloniis exſpectaſſe Judæos, quam ut ſe opprimerent : אלוף *amicum* Hebraice ſonare, ſatis multis evincitur exem-

exemplis,& ex Arabiſmo confirmatur. Vid. not. meas ſupra ad *Prov.* 2: 17. Vel hoc etiam nomine verſio hæc præferenda videtur, quod אלוף *ducem*, *principem* nunquam notet, niſi ubi de Idumæis ſermo ſit, ut Gen. 36. & 1 Chron. 1. unde Idumæorum propriam eſſe vocem conjicere licet.

CAP. XIV.

Verſ. 9. למה תהיה כאיש נדהם

INcerti ſunt hoc loco Interpretes, & in diverſa abeunt de vera ſignificatione vocis, ſemel tantum in Scriptura occurrentis נדהם. Hinc *vagum* quidam, ut *Hieron.* alii *defeſſum*, *defatigatum*, ut *Salom. Jarchi*, *ignavum* aut *timidum* alii, ut Belgæ; *attonitum* denique aut *obſtupefactum* plurimi reddiderunt *Kimchium* ſecuti, qui ita in *Libr. Rad.* עגינו כאדם מבוהל שלא יוכל להעזר בעת צרה אשפרדוט בל"ז *ſignificatio ejus eſt*, *inſtar viri attoniti*, *cui ſubveniri cladis tempore nequit.* ESPERDUTO, *vernacule.* Ibidem etiam patris ſui expoſitionem ſubjungit, qui vocem ex Arabiſmo illuſtrare conatus eſt, ubi eum qui מכוסה חלב מחלי *deliquium cordis* (lego enim הלב) *patitur ex*

morbo, vocant מרהם. Quid tandem ex his fluctibus certi emerget? Patrem *Kimchii* Arabiſmo ſuffultum ſequare? At parum convenit ea ſignificatio, & quod magis eſt, non ea eſt vis verbi Arabici مرهم, ut *morbi doloribus deficientem* dicat, ſed *obrutum* in genere, & *oppreſſum* notat. Celeb. *Lud. Cappell.* alio modo in Arabiſmo præſidium quærit. Verba ipſius hæc ſunt: „ Arab. رهم ſignificat, *acci-*
„ *dere*, *ſupervenire*, quæ ſignif. optime hic
„ quadrat, cur eſſes *ſicut vir ſuperveniens*,
„ ut idem ſit cum eo, quod vſ. præced.
„ dixit viator peregrinus, qui deflectit ad
„ diverſorium. " Judicium Viri Magni & κεφαλωτάτε deſidero. An رهم eſt *ſupervenire* tanquam viator? minime vero, nam aliter Arabes docent, aliter etiam ipſe *Cappell.* quum *accidere* ponit, & id quidem recte & Arabice, niſi *accedere*, ut ſibi conſtet, ſcriptum oportuit; in quo quidem erraſſet. Deinde an a רהם *ſupervenire* נרהם eſt *ſuperveniens*? parum id accurate, nec quid ſcriberet, ſatis attendiſſe videtur Vir Doctus, cum eum, cui ſupervenitur, paſſivum enim eſt, notet. Denique quam optime hic quadret *Vir ſuperveniens*, alii viderint. Viri

Doctiſ-

Doctiſſimi veſtigia premens certiora ve-roque magis propiora ex Arabum libris de-promam. Arabice דהם دهم & diminut. דהים دهيم ſignificat الامر العظيم *caſum aliquem gravem, calamitatem ingen-tem :* verbum autem دهم *Dahama, acci-dit, de improviſo ſupervenit, & obruit ali-quem malum* : Hiſtor. Tamerl. pag. 18. وعم الخطب المدلهم ولم يعلم احد البلا كيف دهم *Communiſque fuit teterrima clades, nec quiſ-quam calamitatem animadvertit, quo pacto de inproviſo acciderat.* דהם *:* inde مدهوم ſeu מדהם erit, *calamitatibus* ac *infortunio obrutus & preſſus ;* qua ſignificatione con-tenti eſſe poſſemus. Plus tamen mihi ſub verbo hoc latere videtur, habetque apud Arabes ſingularem uſum, qui mire loco noſtro quadrat. Scil. proprie ac præcipue uſurpatur de incurſu ſubitaneo & oppreſ-ſione bellica, unde دهم eſt جيش عظيم *numeroſus exercitus* ; verbum *Daham* دهم *exercitu undequaque cingere & obruere.* Abulphar. Hiſt. Dyn. 373. ولم يحترس من الفرنج بل اهملهم ولم يشعر الا وجوسلين

وجوهسلبين صاحب تل باشر قن
دهمهم وكبسهم *a Francis autem ſibi non cavit, imo neglectui habuit, nec prius animadvertit, quam Joſlinus Tel Baſsjeri Dominus illos de improviſo* דהם *exercitu obruit, & oppreſſit.* Ita & *Hiſtor. Tamerl.* pag. 91.
ولم يشعر الا والتتار قـــد دهمته
وعساكر الجغتاي خيلا ورجلا حطمته
nec ante animadvertit, quam Tatari ipſum obruerunt, exercituſque Sjagatæi tam equites quam pedites ipſum fregerunt. Sic pag. 340. *Regiones autem Samarcandæ immunes ante ac ſecuræ fuerant malorum, & invaſionis bellicæ, quod Timur in vivis eſſet.* قحبين
دهمهم اوليك المفترون اتـــاهم
العذاب مـــن حيث لا يشعرون
Quum vero דהמהם *incurſionibus hoſtilibus obruerunt eos impii illi, pœna ipſos oppreſſit, unde ne ſuſpicabantur quidem.* Quæ ex *Alcorano*, pro more iſtius auctoris perpetuo, petita ſunt. Hinc גרהם expono, *hoſtibus undique cinctum, & oppreſſum*, quod orationis ſeriei mirum quantum convenit. *Ad quid eſſes tanquam* איש *Vir* (ἀνὴρ, fortis vir & ſtrenuus) גרהם *multitudine hoſtium oppreſſus iiſque ſuccumbens,* בגבור *tanquam ſtre-*

ſtrenuus bellator qui nec ſalutem ſibi afferre nec evadere poteſt.

CAP. XV.

Verſ. 7. *Et ventilabo eos* בשערי הארץ *in portis terræ.*

SUnt ex Interpretibus qui per *portas* hic intelligunt, *Caſtra & oppida præſidiaria:* Sic Belgæ noſtri: **Poorten** / dat is, **uiterſte frontierſteden / landpalen / ſterkten.** Non temere ita nec ſine cauſa Eruditiſſ. Interpr. ſenſiſſe Arabiſmus oſtendit. Vox ثغر aperte ex Hebræo שער eſt deflexa: ש enim Hebr. fere ſemper in س ab Arabibus mutatur. שנים *duo.* Arab. اثنان, *tres* שלש Arab. ثلث *octo*, שמנה Arab. ثمان Et infinita ejus generis alia. Illud ثغر a Golio exponitur *locus regionis hoſtico confinis*, præſertim, monente Meidanio, *inter montes anguſtior.* Notum eſt anguſtos per montes tranſitus, quibus fines ab hoſtium irruptionibus levi præſidio tuti præſtantur πύλας *portas* Græcis dici. Eoſdem ابواب etiam Arabes vocant, quod idem notat. Famoſiſſimæ illæ *Caſpiæ portæ* Arabibus audiunt

diunt باب الابواب *porta portarum*, ut Turcis دمير قپي *Demir kapi*, *porta ferrea*, & Perſ. دربند *Derbend*, id eſt, *porta arcta*. *Pylæ Amanicæ* hodie *Karakapou* audiunt, vocabulis Turcicis قره قپي id eſt, *nigra porta*. Hinc patet Arabibus, Perſis & Turcis *portas* eſſe regionum fines montibus præcluſos. ثغر quidem ſeu שער etiam hoc ſenſu venit, latius tamen id verbum extendi ſolet, & ſimplic. *præſidia in finibus* denotat. Abulphar. 194. *miſit ad præſidiarios* الثغور *limitum ut Sergio inſidias ſtruerent*. Sic Hiſtor. Tamerlan. 287. ومن الولايات والثغور ملوكها وسلاطينها *Et ex provinciis & hoſtibus oppoſitis præſidiis; Reges & Sultani.* Et mox ibidem: من كان مرابطا في ثغر *qui in limitibus ſtationes habebant* בשערי. Oppida etiam שער dicuntur, quæ in finibus contra hoſtem poſita ſunt. *Camus* in امد *Amida*, medii ævi Scriptoribus celebratiſſima Meſopotamiæ urbe بلدة من الثغور *oppidum eſt ex collimitaneis contra hoſtem præſidiis*. Hodie a Turcis *Kara*, id eſt, *nigra Amid* appellatur. Sic in *Hiſt. Tam.* p. 289. كاشغر

كاشغر بين حدي الخطا والهند احد الثغر *Kasjgar eſt inter fines Chataeorum & Indorum unum ex* שערי *portis*, id eſt, *præſidiis finium.* Sic & Abulpheda *Antiochiam*, *Adanam*, *Maſiſam*, & *Tharſum* vocat مواصم وثغور الشام *munimenta & extrema Syriæ præſidia* שערי *portas.* Alium uſum peculiarem in voce שער obſervo ad Dan. 2 : 29.

Verſ. 8. הפלתי עליך פתאם עיר ובהלות.

Miſere torquet locus hic Interpretes. Mentem meam ad Jobum aperui, ubi עיר ex Arab. غيرة *turbatio mentis* exponi poſſe monui. Tali ſenſu تغير infin. 5. conj. apud Sadium legitur in Guliſtan pag. 358. *Iſte Derviſi* i. e. *religioſus*, بر قرار خود ماندة بود وتغير در نيامدة *animi tenuit conſtantiam neque mente fuit turbatus.* Inſpice locum & vim verbi plenius perſpicies. Proprie verbum غير eſt *alterare*, quod ad mentis turbationem etiam ſequior deflexit Latiniſmus. Confer nunc cum hiſce notas meas ad Job. 17 : 2.

Lud.

Lud. de Dieu noſtrum עיר *dolores* expoſuit, qui Hebraice צִיר alias. Hoc ex Chaldaiſmo ſe habere dicit. At עִיר ea notione Chaldæis ignoratur, quare ejus Interpretationem admittere non poſſum. Lxx. τρόμον dant, ut ego feci.

CAP. XXVI.

Verſ. 18. הָיָה נִבָּא

Fuit prophetavit: Ita ad verbum. Vulgat: נבא pro נביא poſitum putavit: *Fuit Propheta.* Lxx. נבא omiſerunt; forte quod conſtructionem non intelligerent. *Fuit prophetavit* locutio eſt Orientalibus pervulgatiſſima pro ſimplici *prophetavit.* Abulphar. p. 322. كان سيره الي بلاد فارس *Fuit miſit eum in Perſidem.* p. 361. ان كنت ما علمت *Si fuiſti non noviſti*, pro *ſi non noſti.* Semper ita Arabes. Sufficiat unam ex *Alcorano* Suratam citaſſe. Sur. 74: vſ. 47, 48, 49. لم نك نطعم المسكين : وكنا نخوض مع الخايضين : وكنا نكذب بيوم الدين : *Non fuimus cibavimus pauperes. Fuimus immiſimus nos juxta cum aliis in vanitatem. Et fui-*

fuimus abnegavimus diem judicii. Non repugnabo tamen, si נגא participium potius esse quis contendat, nam id Hebræis familiarius est. Vid. mox *vſ.* 20.

CAP. L.

Verſ. 5. ציון ישאלו דרך הנה פניהם

Vulgat. in Zionem interrogabunt viam: Sic Lxx. ἐως Σιὼν ἐρωτήσωσι τὴν ὁδὸν. Ac ſi לציון esset, & דרך cum ישאלו copulandum. Aliter hodie: *De Zione interrogabunt.* Et hi præpositionis ellipsin statuere coguntur. Ego malo: *Zionem petent.* Ut Latinum *petere*, sic Hebræum שאל & *rogare* & *tendere* notasse putem. Arabice طلب & اران *quærendi, orandi* verba etiam ita usu veniunt, licet nihil Lexicographi. *Abulphar.* pag. 183. اخـــذ علي طريق سجستـــان يريد الصين *Segestaniæ viam cœpit, petens Sinam.* Sic pag. 234. يريد خراسان *Choroſanam petebat.* Eodem modo verbum طلب cujus eadem plane vis est ac verbi שאל Hist. Tamerl p. 182. عان نحو حلب راجعا طالبا بلاده *Halebum reflexit, rediturus & regiones ſuas*

petiturus. Vid. *Hiſt. Sar.* p. 57. Et ſic aliquoties, quæ hic cumulare nihil refert. Ita quidem conſtructio proba erit, nec ſupplemento opus. Ipſum Arabicum hoc سال שאל alicubi hoc ſenſu legitur, at locum dare nunc non poſſum.

Verſ. 6. *Oves errantes ſunt populus meus* רעיהם התעום הרים שובבים.

Vulg. *Paſtores eorum ſeduxerunt eos, feceruntque vagari in montibus.* Videtur legiſſe שובבום, quam etiam lectionem *Maſſorethæ* annotarunt per קרי *Keri*. Paulo aliter *Belgæ* noſtri; qui tamen *Keri* etiam, non כתיב *Chetibh* ſequuntur: **Sy haddenſe geboert na de bergen.** Alii etiam τὸ *keri* præhabentes *montes rebellare fecerunt eos*, nimirum quia in montibus idola colebant. At quum graviſſimorum auctorum judicio τῷ *Chetibh* potius ſtandum ſit quam τῷ *Keri*, ſi commodus emergere poſſit ſenſus, videamus, an non eundem eruere valeamus. Verba prout in textu Hebræo ſcripta extant, ita ſonant: *Paſtores eorum palare eos faciunt per montes rebelles*; quod epitheton quum montibus non recte convenire putarent, illud שובבים in שובבום mutandum cen-

cenſuerunt, infeliciter ſatis. Elegantiſſimam ego locutionem & vere floſculum Hebraiſmi ex Arabia explicatum dabo. *Montes rebelles* Stylo Orientis, ſunt *difficiles, alti, prærupti montes*. Arabice عصا eſt *refractarius fuit*; inde eſt عصي *rebellis*: hoc arduis montium apponitur in *Hiſt. Tam.* p. ٢١. في جبال عاصية واماكن وعرة *In montibus rebellibus & locis difficilibus.* Et pag. 184. ejuſdem Hiſtor. وبعض كشبش بان يال الجروف العاصية *Alii arreptis quaſi laciniis petrarum rebellium deliteſcebant: petræ rebelles*, id eſt, arduæ, & acceſſu difficiles. Iterum pag. 152. وتمنع بمن معه في الاماكن العاصية *Acceſſumque prohibuerunt ipſe & qui cum eo erant, in locis rebellibus*, id eſt, *inacceſſis, & ſalebroſis.* Eodem modo ab ابي *refractarius, averſus* dicitur الاماكن الابية *loca refractaria*, id eſt, *aſpera, ac ſalebris acceſſum prohibentia.* Hinc facilis etiam explicatio loci difficilis *Thren.* 3: 11. דרכי סורר ויפשחני *Viæ meæ rebelles ſunt:* ita nempe jubet Ab. Eſra סורר hic ſumere pro *rebelli*, ex ſignif. qua occurrit apud *Hoſ.* 4: 16. פרה סוררה *vacca rebellis, refractaria.*

Hoc ita explicare ſolent; *cum viæ meæ rebelles ſunt, tum diſcerpit me.* Ego malim: *Viæ meæ rebelles ſunt*, id eſt, imperviæ, aſperæ ſalebroſæ difficileſque, quod cum verſ. 9. præc. omnino convenit. At plura de hoc loco ſerie ſua & ordine dabimus, nunc monuiſſe ſufficit eum non incommode huc referri, atque hoc pacto conjecturam meam de *montibus rebellibus* non parum poſſe ſtabiliri. Neque diſſors loquendi ratio eſt *Prov.* 18: 19. ubi de munimento dicitur, quod ſit נפשע *rebelle*, hoc eſt, *inacceſſum*, & *inexpugnabile*; quem locum ſuo etiam ordine diligenter ſatis explanatum invenies.

Verſ. 11. *Quoniam exultaſti & extuliſti te inſolentius, ô direptrix hæreditatis meæ*
כי תפושי כעגלה דשא ותצהלי
כאברים.

In his & præcedentibus *Chetibh* ſequi malui, quam τῷ̃ *keri*, ut ſemper fere præhabendum eſt, nam abſque neceſſitate hic appoſitum fuit; alloquitur enim propheta *Babelem* כנגד בבל ut ait D. *Kimchi*, & deinde an non æque efferre licet, תשמחי שסי *Exultas direptores*, quam vſ. 10. præced. היתה כשרים *fuit Chaldæi.* Omnino recte ſe habere

bere *Chetibh*, probant quæ de conſtructione Arabica plur. maſc. cum ſing. fœm. ſcripſimus ſup. ad Jer. 2: 15. Sed hæc hactenus; nunc in verborum, quem non eundem exprimunt Interpretes, ſenſum inquiramus; ubi ſtatim occurrit radix ignotior פוש, cujus veram ac indubitatam ſignif. ego nondum ſtabilitam video. Fluctuant eruditi & in diverſa rapiuntur. Ex Veteribus quidem, qui quatuor in locis, ubi ſolum hæc radix legitur, quatuor ei diverſas tribuunt notiones, certi quicquam haberi nequit; his ergo omiſſis recentiorum veſtigia legamus: *R. Kimch.* in *libr. rad.* verbo פוש tribuit רבוי ענין *notionem multiplicandi*, quem ceteri fere Judæi ac Chriſtiani ſequuntur, inde in *Lexicis* פוש expoſitum invenitur *multiplicare*, *creſcere*; hanc ſignificationem fulcire etiam conantur Viri Docti ex Chaldaiſmo; Chaldaice פוש id fere dicit, utpote Hebræo פרה *fructificare* in *Targumim* reſpondens. Videamus an recte. Quatuor ut dixi locis radix hæc occurrit. (nam quod ad *Nah.* 3:18. illud huc non pertinere ibidem demonſtratum reperies) Ea ſunt Jeremiæ hic locus, *Hab.* 1:8. & *Mal.* 4: 2. cum nomine derivato quod eſt *Job.* 35:15. Sume primo locum hunc noſtrum: *Extuliſti*

te inſolentius תפוש *multiplicata es ut vitula triturans, & hinniſti ut equi.* Quo pacto fluunt hæc aut inter ſe cohærent? aut quid vitulæ trituranti *multiplicatio* adſcribitur, præſertim quæ ſit *fœtus* & *propaginis*, nam verbo פרה *fœtificare* reſpondet illud פוש in *Targum.* aut qua tandem ratione, ferocientis animus ac lætitia geſtiente ſeſe efferentis, vitulæ multiplicanti comparabitur. Efficacius adhuc recepta ſignif. refellitur ex *Hab.* 1 : 8. *Leviores ſunt pardis equi ejus* &c. פשו פרשיו verte hæc ex vi verbi *Chald.* פוש *fœtificarunt equites ejus*, & cachinnos merebere. Sunt ergo Interpretes, qui פוש *pinguem eſſe* reddunt, non alio nixi fundamento, quam quod non male id convenire videatur; quum tamen ad *Hab.* 1 : 8. deventum eſt impediti hærent, neque explicare ſe poſſunt, niſi alia iterum ſignif. hinc quidam *diffundunt ſe equites*, alii *abundant*, alii aliter. L. de *Dieu* verbum obſcurius illuſtrare aggreſſus eſt ex *Æthiopica* lingua, ubi פוש notat *ſanum eſſe*; at vide quam parum hoc emphaſin locorum expleat; *ferociiſti* Babel, *ſana fuiſti ut vitula triturans, & hinniſti ut equi:* Hab. 1. *Leviores ſunt pardis equi ejus, equites ejus ſani ſunt;* quæ longe infra orationis majeſtatem ſubſidunt.

ſed

Sed defendat quidem quod quiſque ſentit, *ſunt* enim judicia libera, nos inſtitutum perſequemur, nec certis quibuſdam deſtinatiſque ſententiis addicti quaſi & conſecrati, quid ſit in quaque re maxime probabile cum ſæpe alias, tum ipſo in hoc negotio ſtudioſe inquiremus. Quam ergo libertatem ſibi ſumſerunt Interpretes, verbum פוש ex Chaldaiſmo illuſtrandi, quam & *L. de Dieu* ex *Æthiopica* lingua, eandem & mihi ex *Arabiſmo* non gravate conceſſum iri confido; eo magis quod ſignificationem nobis ſiſtat tam aptam ac tam egregie vim omnium locorum explentem, ut veriſimilitudinis gradum ſuperiorem (ulterius enim progredi non poſſum) attigiſſe videar. Scilicet Arabice فيش ſeu ut ſcribitur فاش quod Hebræo פוש (ſeu etiam ut puto פיש ob Malach. 4: 2. ubi eſt *Chirek* & derivatum פישון *Phiſon* fluvius) reſpondet, notat *ſuperbire*, ac per فخر quod idem eſt, a *Lexicographis* Arabum declaratur: فايش & فياش *glorioſus*, *ſuperbus*, & فياش in *Camus* eſt مفاخرة *gloriatio*, *ſuperbia*, *faſtus*. Nulla certe ſignificat. magis conveniens poſſet excogitari loco *Hab.* 1: 8. פרשיו קלו מנמרים סוסיו־פשו פרשיו ſive enim

cum pleriſque Interpretibus *equites* vertas, ſenſus emerget aptiſſimus, *ſuperbiunt, gloria efferuntur equites ejus*, ſive quod ego quidem verius puto, *equos* potius intelligas, planior longe & elegantior efficietur oratio, hoc pacto: *Leviores ſunt pardis equi ejus, ſuperbiunt, geſtiunt faſtu*, γαυριῶσι *quadrupedes ejus.* Nemo equidem paulo humanior ignorare poteſt quam egregie & naturæ convenienter *ſuperbia* equis tribuatur, quos Poëtarum Summus *Lib.* 3. *Georg.* dixit

—— *Greſſus glomerare ſuperbos:*

quoſque omnes auctores a faſtu & a ſuperbia præcipue deſcribunt. *Homer. Iliad.* 6.

Κυδιόων ὑψοῦ δὲ κάρη ἔχει ——

Superbiens, caput effert.

Ex Arabibus audias *Damirium*, qui ita de *equo*: في طبع الفرس الزهو والخيلا *Ex natura ipſius* (ſcil. τοῦ פרש *equi*) *faſtus eſt & ſuperba exultatio.* Atque hic non poſſum non repetere, atque lectori in mentem revocare, quod jam ante in *Jobo* attigi ad cap. 6: 10. Hebræis & Arabibus *equum* a *faſtu* & *ſuperba exultatione* nomen traxiſſe. Sacra etiam Scriptura *equis* alibi *ſuperbiam* ad-

adſcripſit, ut in Job. cap. 39: 21. Quod autem פרשיו non *equites ejus*, ſed *equi ejus* hoc loco reddendum eſſe contendam, cum exemplis, tum fundamento non caret. Illa ſatis multa annotata jam ſunt ab L. de *Dieu*, ad Eſai. 22. uſu verbi Arabici فرس quo frequentius nullo ad *equum* indicandum utuntur, id comprobante; quin & *Belgæ* noſtri פרשים *equos* **peerden** reddere non dubitarunt *Eſai.* 28: 28.

Hoc in verborum ſerie ac complexu fundatur; ταυτόλογον enim illud פשו פרשיו ופרשיו מרחוק יבאו ſi ita vertas: *ſuperbiunt equites ejus & equites ejus e longinquo veniunt*, at verte, *ſuperbiunt equi ejus*, *equites autem e longinquo veniunt*, & apte fluet oratio; neque jure quis opponat idem incommodum oriri ex mea verſione, nam bis etiam *equos* hoc pacto dicturum Prophetam in priori hemiſtichio, quis enim adeo in Scripturis hoſpes eſt, qui neſciat ſæpe eos eandem rem repetitis at diverſis exprimere vocabulis ענין אחד במלות שנות *idem mutatis vocibus*, ut ajunt Rabbini, ut quos primum סוסים *equos* vocaverat, eos poſtea alio nomine פרשים *ſonipedes* appellaret *Propheta*. Sed pergamus in adſtruenda nova a me poſita ſignificatione; ubi ſtatim prima fronte

apparebit mirifice eam loco noſtro *Jerem.* etiam convenire, *Babelem* enim lætitiæ geſtientis & ſuperbiæ ferocientis ream hic arguit *Propheta*, כי תשמחי *quia geſtiiſti* כי תעלזי *quia elata fuiſti*; modum duplici comparatione indicat, quarum altera ab *equo hinniente* & exultante cum ſuperbia petita eſt תצהלי כאבירים *Hinnitum inſtar equorum ediditi*, altera a *vitulâ triturante*, quæ in area, media inter frumenta, ore ex lege non ligato, præ pabuli abundantia *geſtit* & *exultat* תפוש. Huc facit Lxx. ſeniores verſio: ἐσκιρτήσατε ὡς βοΐδια ἐν βοτάνῃ· *Exſiliiſtis ut juvenci in herba*; licet ea quoad omnia proba non ſit. Ita vitulas pabuli copia *ferocientes* accepimus a Poëtarum patre *Odyſſ. ι.* ubi de iis ita canit

—— ἐπὴν βοτάνης κορέσωνται
Πᾶσαι ἅμα σκαίρουσιν ἐναντίαι ——

poſtquam herba ſaturæ ſunt
Omnes ſimul oppoſitæ exultant.

Porro huc facit etiam, quod Arabes animalia pabulo affluentia *gloriari* & *ſuperbire* dicant; unde hæc eorum locutio جذلت الناقة *ſuperbivit, gloriata eſt camela*, id eſt, *pabulo virenti abundavit & ſa-*

ſatura fuit. Hinc fluit etiam, & eodem modo procedit explicatio tertii loci ubi verbum noſtrum פוש legitur, qui eſt *Malach.* 4: 2. ופשתם כעגלי מרבק ubi iterum οἱ Lxx. σκιρτήσεῖε ὡς μοσχάρια ἐκ δεσμῶν ἀνειμένα *Exſilietis ut vituli ex vinculis ſoluti*, quibus ſcilicet in area devinciebantur: Ego verto *& ſuperbietis ut vituli in area trituranteſ.* Quorum verborum ſenſus ex modo dictis planus eſt & perſpicuus. Obiter moneo Magn. *Boch.* עגלי מרבק *vitulos in area trituranteſ* notare, luculenter demonſtraſſe in *Hieroz.* ſuo. Quod ſi tamen corporis potius habitum pinguiorem, quam exultantis ſuperbum motum deſignari putes (quamquam meo quidem judicio extremum illud præhabendum videtur, ſcil. ut ad animum referatur, quod apertum eſt ex loco noſtro *Jerem.* ubi שמח eſt & עלז & צהל quæ utique ad corporis ſpeciem externam non pertinent.) Si igitur ad corpus potius quam ad animum ſpectare judicaveris cum eruditis quibuſdam Interpret. qui *pingueſcere* vertebant, non inde ſignificatio a me poſita debilitabitur aut evertetur. Nam & *ſuperbire* ad corpus tranſlatum eſt, & eum, quem volunt Interpr. corporis habitum exprimit; obeſi ſcil. & pinguis. Fidem

dem faciet *Phiruzabadius* in *Camus*. قيص اشر وبطر والمال امتلا سمنا *Daïtsa est protervus fuit & superbia insolens, at de pecore, plenum, distentum fuit adipe.* Eodem modo فخر *superbire* usurpatur; unde in MSS. quodam legi ضيع فاخرة *agri superbi*, id est, *pingues*, & بخلة فخور *palma superba* in *Camus* exponitur, *magno trunco crassisque & lætis ramis prædita*; neque dubito ferè quin de pecore obeso & pingui Arabice recte dici possit فخر *superbivit*, quamquam nullum mihi ejuscemodi exemplum lectum fuerit.

Ultimus, cui nova nostra signif. aptari debet, locus est *Job.* 35: 15. quem mihi juxta cum ceteris obscurissimum esse fateor. L. *de Dieu* locum ita vertebat: *Nunc quia non multum est quod ira Dei*, Jobum *visitavit* ולא ידע בפש מאד *neque curavit prosperitatem admodum*, Deus scil. sensus ex mente Viri Docti hic est; omnem prosperitatem Jobi non prohibuisse Deum, quo minus eum afflixerit; *non novit prosperitatem*, ut *non novi vos*. Multa hic dici possent; pauca in medium conjiciam. Primo *Nosse* ידע pro *curare* non construitur cum ב. Secundo verba

ba non apte cohærent & ſe ſequuntur. Alii aliter. Commodiſſime ita verti poſſe puto: *Nunc quia non multum eſt, quod ira Dei* Jobum *viſitavit; neque* Jobus *pœnas dedit ſecundum ſuperbiam ſuam magnam:* Vel *propter ſuperbiam ſuam*, & מאד ad ירע, *non multas dedit pœnas.* ירע *cognoſcere* per *puniri* explico, quem uſum verbo huic vindicavi ex Arabiſmo ad *Jobum* cap. 21: 19. ubi clare ירע eſt *pœnas dare;* quidni ergo & hic, præſertim quum præced. פקד אפו poſtulet. גס hic verto *ſuperbiam;* & intelligo *impietatem; ſuperbum* enim eſſe ſtylo Sacræ Script. eſt *impium eſſe*, de quo multa invenies ad Job. cap. 36: 9. Sic גאים *ſuperbi* ſunt *impii* Pſalm. 140: 6. & 94: 3, 4. רשעים & גאים conjunguntur. Vid. etiam Jerem. 13: 15, 17. in quo ult. vſ. גוה *ſuperbia* pro *contumacia & impietate in Deum* manifeſto ſumitur. Similis plane eſt locutio Eſai. 9: 8. *populus* ידעו בגאוה *cognoſcet propter ſuperbiam*, id eſt, *ob eam pœnas luet.* Hoc pacto veriſimile ſatis reddidiſſe me puto radicem גוש nihil aliud eſſe quam *ſuperbire*, ut Arabum فاش; atque inde ratio etiam nominis פישון conſtabit, qui fluvius ab *ſuperbia* dictus videtur, ob frequentes inundationes & extra alveum

veum divagationes, quod *ſuperbire* vocant Orientales; uti luculentiſſime oſtendi in Animadverſ. meis ad *Jobum*, quæ hic non repeto.

ANIMADVERSIONES PHILOLOGICÆ IN THRENOS JEREMIÆ.

CAP. I.

Vers. 16. *Propterea ego ploro, oculi mei manant aquas —— filii mei desolati sunt*
כי גבר אויב.

LXX. & Vulg. *Quia invaluit hostis*; alii, *quia vicit hostis*; non improbo; attamen fortius & nervosius verti potest; *quia superbus est & insolens hostis*; certe victoriam hostium non semper sequitur miseria illa, quam

quam hic deflet Eccleſia, ſed hæc ab *hoſte ſuperbo* & victoria abutente proficiſcuntur. *Superbire* dicitur hoſtis quum victoria inſolentius utitur, omniaque rapit & vaſtat. Hiſt. Tamerl. p. 64. ubi de capta *Iſpahan*: استكطالوا عليهم *ſuperbi in eos fuerunt* quomodo? جعلوهم كالخدم *mancipiorum eos loco habuerunt, imo eo inſolentiæ pervenerunt, ut fœminas, quas tangere nefas eſt, violarent*; aliaque quæ illic videri poſſunt. Verbum גבר eſt *ſuperbire* bis in Jobo cap. 15:25. *erga Deum* יתגבר *ſuperbus eſt*, & cap. 36:9. & extra *Hithpah.* in *Kal*, ut hic, Geneſ. 7:24. uti explicui ad Jobum cap. 36:9. quæ conſule, ſi res tanti eſt. Ibidem etiam invenies vocem גבור ſæpe pro *ſuperbo* & *inſolenti* poni uſu Arabum id confirmante, quæ hic repetere non vacat.

Verſ. 19. *Sacerdotes & ſenes mei in urbe* גוֹעוּ.

Non magni eſt ponderis, quod jam monebo, Eruditis tamen & linguarum ſtudioſis non ingratum fore confido. Arabice جوع unice eſt, *fame* aut *inedia laborare*, quam quidem ſignif. Hebræo גוע obtrudere nolim; attamen rationem quandoque aliquam in-

duiſſe

duiſſe id verbum puto, unde Arabes ſuam notionem receperint. Expirare vel ſpiritum ducere in genere eſt illud גוע, unde aliquando ſpeciatim *anhelare præ fame*, vel *fame confici* & *enecari* quaſi notaſſe, valde veriſimile eſt ex hoc loco noſtro; nam poſt *expirarunt* ſtatim ſubjungitur; *Cibum ſibi quæſiverant ad animam reficiendam.* Atque hinc ad Arabas tranſiit, qui illud proceſſu temporis, uti fieri aſſolet, emollierunt, *inediam* ſeu *famem* omnem verbo גוע indicantes. Exemplo res illuſtrari poteſt. Verbum עיף notat *laſſum*, *languidum eſſe*, ſpeciatim autem ad *languorem ex ſiti* ortum alligari ſolet; ut Eſai. 29:8. & Prov. 25:25. *Frigida* לעיפה *languidæ*, id eſt, *ſitienti.* Pari modo ſe habet שוק ut شوق *appetere*, quod in *Pihel* uſitatum eſt, & de *appetitu & ſiti* iterum ſpec. venit; ut Eſai. 29:8. & Pſalm. 107:9. השביע נפש שוקקה *ſaturavit animam appetentem*, non *famelicam*, ut male nonnulli, ſed *ſitientem*; ut præclare Belgæ; nec aliter poſtulat השביע *ſaturavit*, nam id ſiti ſedandæ adhibetur. Amoſ. 4:8. Eſai. 58:11. Prov. 30:15. Sic Latini. *Saturavit ſe ſanguine civium*, apud *Cicer. in Philipp.* Et in illo; *ſatia tē ſanguine, quem ſitiſti.*

CAP. III.

Vers. 11. דרכי סורר

LXX. κατεδίωξεν ἀφεσηκότα. Legerunt רון & ex Arabico signif. accersierunt. تركى *persequi* usitate. Sed his missis vera inquiramus. Vulg. *semitas meas subvertit;* ex sensu non recte. סורר in Hebr. semper *contumacem* aut *rebellem* notat, & eam vocis sign. hoc loco retinere jubet *Ab. Esra*, verba tamen non explanat. Sic fecerat *Chaldæus*, qui habet אורחי מרד *via mea refractaria est.* Hanc versionem confirmabo. *Via contumax* est via, qua exitum non invenias, impenetrabilis, difficilis, iniqua. *Arcem rebellem* explicuimus ad Prov. 18: 19. *Montes rebelles* ad Jer. 50: 6. esse scil. eos *aditu difficiles, iniquos.* Ita hic *viæ rebelles* sunt *impervie.* Hist. Tamerl. pag. 51. جبال عاصية *montes rebelles*, id est, *difficiles. petræ rebelles* pag. 184 & pag. 152. تمنع في الاماكن العاصية *Munivit se in locis contumacibus*, quæ aditum præcludebant. Et pag. 17. *Novi hic alicubi viam occultam* سالكها ابية لا تطاها الخطا ولا يهتدي اليها القطا

semita

ſemitæ ejus rebelles ſunt, quas nunquam greſſus calcarunt, nec Kathæ aves per eas duces ſe præberent. Ita hic: *Viæ meæ rebelles ſunt,* (ſing. cum plur. pro more) id eſt, difficiles ſunt nec exitum præbent: quod cum præc. probe convenit, ubi dixerat גדר דרכי *obſtruxit, obſepſit vias meas.* Neque alia erat mens Raſchii, qui סורר a סיר *vepre* exponebat, *ſentibus obſeptam viam;* quam notationem tamen cum *Eſra* improbb. Qui סורר noſtrum ad rad. סור referunt, id abſque exemplo faciunt, &, ut oſtendi, abſque neceſſitate. Hiſce nunc eleganter ſubjungitur: *Et diſcerpit me*, ex aſperitate ſcil. difficilis viæ. Lxx. hic mire vertunt: κατέπαυσε με. Dicerem eos ad Arabum فسح *ſpatium, otium fecit* reſpexiſſe, niſi ſeries verborum potius κατέστρωσε poſtularet.

Verſ. 60. ראיתה כל נקמתם

Vidiſti omnem ἔκδικησιν eorum: ita reddunt oi Lxx. omnem vim vocis נקמה exprimentes. At Vulg. *furorem* habet, quod revera melius convenit; nam *vindicta* hic non niſi improprie quadrat. In eundem plane uſum atque hic adhibitum video Arab. ثأر *vindicta*, pro *immani crudelitate*, in

Hist. Tamerl. pag. 437. *Erat princeps magnus & nobilis*, قد البسه الله ثوب النقمة ولم يشمه شيا من روايح الرحمة *quem Deus veste immanitatis texerat, nec minimo odore misericordiæ imbuerat.* Ibi רחם *misericordia* & נקמה *vindicta* opponuntur, unde *crudelitatem* indicare in propatulo est. Atque hoc locus noster postulare videtur: *Vidisti omnem feritatem eorum.* Ceterum non obscura ratio est, qua ratione *vindictæ* appellatio ad *feritatem* possit transire.

Vers. 62. *Labia adversariorum* והגיונם *in me toto die.*

Labia hic aperte *maledica* sunt, ut לשון *lingua* absol. pro *maligna*, & *maledica*, quomodo & Latini. Additur והגיונם quod Lxx. & Vulg. *meditationes eorum* vertunt. Ego mallem ex Arabico هجا, quod est *irridere, subsannare*, unde هجيان seu הגיון est *contumeliosa insectatio.* Nunc ostendam qua via verbum הגה apud Hebræos in *detrectandi* usum declinaverit, atque inde ad Arabes transierit. הגה quod notum est primo est *meditari*, dein *eloqui* sed cum aliquo originis respectu, ut sub-

missio-

miſſiorem & meditationi aliquatenus affinem dicat locutionem. Hic jam medium per ſe verbum in utramque partem uſurpatur, tum in bonum ſæpe, tum in malum, qua notione fere ſola Arabes receperunt. Ita *ſuſurri* Latinorum *ſubmiſſæ* proprie *voces* pro *detrectationibus* noti ſunt. Exemplo hæc ulterius confirmari poſſunt: Verbum שוח ſynonymum eſt הגה & æque atque hoc *meditari* primario notat; mox hujus naturam imitatum *eloqui* at ſubmiſſius, ut monui, etiam notat; tertio denique *ſuſurrare*, id eſt, *obtrectare*, vel *irridere*. Perſpicuus in hanc rem eſt Pſal. 69: 13. ישיחו בי *garriunt de me*, ut Belgæ: Op hlappen van mp. Videatur locus. Atque in hunc uſum שוח a Magiſtris adhibetur. Berach. fol. 31: 1. לא יעמד אדם להתפלל מתוך שיחה *Non aſſurget homo ad orandum ex Sicha.* Gloſſator explicat שיחה ליצנות *Sicha eſt jocus.* Optime nunc ſuccurrit locus Prov. 23: 29. ubi שיח non male ita ſumeretur, quod & Belgæ annotarunt. Ceterum ipſum noſtrum הגין etiam a Rabbinis pro *ſuſurratione* ſumtum inveni *Berach.* cap. 4. fol. 28: 2. in hac regula. מנעו בניכם מן ההגין *Liberos veſtros ab joco aut dicacitate retrahite.* Nugantur Gloſſatores qui mul-

ta quærunt, nec exitum hic inveniunt. Rem acu tetigit, qui intelligit משיחה חילרים, nam *Sicha* ut vidimus eſt *jocus*.

Verſ. 65. *Da ipſis* מגנת לב

Locus difficilior eſt : *Kimchi* ex patre ſuo exponit כסוי הלב *operimentum cordis* de morbo lethali, quem Arabes מאשיה אלקלב vocant. Ad rem facit exemplum, nam غاشية eſt Arabibus, quod Hebræis כסוי vel מגנה. Eſt autem غاشية القلب Arabibus *Animi deliquium*, a verbo غشي *tegere*, unde غشي عليه *obtectus fuit*, id eſt, *animi deliquium paſſus eſt*, proprie, ut recte Rabbinus monet, ex morte appropinquante. Coran. 33: 19. *Quum eos timor invaſit, eos ad te reſpicere vides.*

تدور اعينهم كالذي يغشي عليه من الموت

Ut ex morte deliquium paſſi, ſic oculos torquentes.

Neque hæc expoſitio ab Hebraiſmi natura eſt aliena: nam idem in verbo עטף apud Hebræos fit ; tamen neſcio quomodo minus hoc in loco mihi arridet. Arabice מגנה

מגה seu مجنة eſt *furor lymphaticus*, qualis a *Dæmone*, qui גן dicitur, oritur. Sæpius in *Alcor.* ita uſurpatur; neque hoc a prima verbi גנן ſignificatione multum recedit; nam *dæmones* جن dictos tradunt Arabes, quod oculis noſtris non attingantur, & in occulto maneant.

Sed propius ad Hebraiſmum accedere puto hanc explicationem, ut *tegumentum cordis* intelligamus de *obduratione* & *traditione in obſtinatam mentem.* Ita aliquoties in *Alcorano* Mahomedes, علي قلبهم غشاوة & علي سمعهم aliaque. *Oculi, aures, corda eorum tegumentum habent impoſitum;* ut indicet profligatiſſimam impiorum pervicaciam. In hanc mentem concedunt *Kimchius*, *Vatabl. Caſtal.* aliique. Quin ipſum noſtrum מגה לב vel certe inde declinatum aliquanto & deflexum hoc ſenſu venit in *Corano.* Scil. pro גנן non tantum dicunt جن, ſed & كن *Gim* in *Kef* mutato, cujus frequentiſſima ad Jobum dedidimus exempla. Inde plur. اكنة quod ad מגה quam proxime accedit, ſimili, atque hic ſumtum puto, ſenſu in *Alcorano* celebratur. Cor. 17:48. وجعلنا علي قلوبهم اكنة

اكنـــة *Et impoſuimus cordibus eorum* מגנות *tegamenta*, quo ſenſu? ان يفقهون *Ne intelligant.* Eadem leguntur Sur. 18: 55. & compluribus locis aliis. Sic in Homilia *Eliæ* Patriarchæ. قهقرت الاكنة عن القلوب والاذهان *receſſere tegumenta a cordibus mentibuſque.* מגנות.

ANIMADVERSIONES PHILOLOGICÆ IN EZECHIELEM.

CAP. XIII.

Vers. 13. ובקעתי רוח סערות בחמתי.

REcentiores fere Interpretes ita vertunt: *Et frangam illum* parietem, *vento procelloso in ira mea.* Duplex hoc pacto ſuppiementum obtruditur, primo הו *illum* poſt בקעתי, & deinde ב ante רוח; accedit & hoc incommodi, quod de muri iſtius deſtructione vſ. demum ſeq. agatur. *Vulg.* rectius: *Erumpere faciam ſpiritum tempeſta-*

peſtatum: Sic LXX. ῥήξω πνοὴν, quæ verſio proba videtur. Ventus *frangere* vel *findere* dicitur, quum vehementer *flat.* خرق *fregit*, *laceravit* notat; inde dicunt خرق الريح *fregit ventus*, id eſt, *flavit:* Gol. ex *Maruph.* & *Zjauh.* اخرق & ريح خريق *Ventus frangens, vehementer & rapide ſpirans, convellens tentoria*, addit *Meidanius*, qui eſt abſolute خريق. Sic منخرق eſt *flatus venti.* Eodem modo ſimiles cum verbo قصف locutiones formant; *frangere* notat illud verbum, ut in illo *Abulphar.* 240.

ما بينكم وبين ان ينقصف ظاهر
انقصاف الشجر من الريح

Nihil impedit quominus Dhaherum frangatis, ſicuti arbor a vento diffringitur. Inde eſt ريح قاصف *Ventus frangens.* Alcor. Sur. 17: 71. يرسل عليكم قاصفا من الريح *Immittet in vos ventum frangentem*, pro quo ſæpius eſt ريح عاصف, quod idem notat; عصف eſt pro قصف nam ع & ق apud Arabes literæ ſunt permutabiles. عصف الريح ergo eſt قصف eſt *fregit ventus*, valide & vehementer ſpiravit, uti *Golius* ha-

habet. Ad hunc modum Hebræis רוח בָּקַע eſſet *fregit, fidit ventus*, cum vehementer & cum impetu ſpirat, unde in Pihel בִּקֵּעַ *frangere fecit* Deus, eſt *ſpirare ventum, flare facit vehementius & cum fragore. Et frangere faciam ventum procelloſum in ira mea.* Eodem modo שיר קטב Eſai. 28: 2. optime ab *Hieron.* redditum eſt, *turbo confringens*; nam قطب exponitur per قطع *ſcidit, fidit, fregit.* Et ſic in *Chaldaiſmo.* Inde קטב *exitium*, ut חברא, quod in *Targumim* Hebr. איד reſpondet *exitium* notanti, a תבר pro שבר.

CAP. XVI.

Verſ. 47. כמעט קט

TUrbat ſenſum illud קט, ſi a קוט *tædere* exponendum ſit; unde Veteres fere omiſerunt: Hieron. *minus*, *pauxillum minus*. Sic R. *Salomon* per *pichot* declarat Veteri voce Gallica, Italis *picciolo*, *parum quid.* Ita & *R. Nathan*, *Ab. Eſra* alii, omnes propter adjunctum כמעט. Aliquid ipſis lucis affulſit, nec tamen exitum invenerunt. קט כמעט ex Arabiſmo eſt, *parum id duntaxat*, quo pacto commodiſſimus emergit

git ſenſus. Arabice قط *duntaxat*, eum ف *pleonaſtico* plerumque فقط. *Camus* in بحر في المـــا المالح فقط monet illud dici *de aqua ſalſa duntaxat.* Infinita ubique occurrunt exempla, quæ hic cumulare neceſſe non eſt: illud tantum docebo, non ſolum فقط, ſed & abjecto ف nude قط uſurpari, quia id a *Lexicographis* non annotatur. *Abulphar. Hiſtor. Dyn.* pag. 447. لم يـاسروا منهـــا احدا قط *Ex eis ne unum quidem duntaxat captivum ducebant?* Sic p. 502. لم يعرفني احد من اهلها قط *Ne ulli quidem incolarum ejus agnitus.* Et pag. 267. ما طمعت في ذلك ساعة قط *ne momento quidem duntaxat id ſperavi;* quamquam ibidem قط notione communiori *unquam* etiam ſumi poſſit. Hac notione קט pro *duntaxat*, *ſolum*, eſſet ab ſignif. verbi קוט *præcidere*, quam ſub radice ea ſignificationem omnes ſtatuunt Rabbini: nec male ea Job. 8: 14. convenit, uti ibid. monuimus. Hæc in eorum gratiam, quibus קט hic loci adverbium viſum eſt; interim diffiteri nolo *tædendi* notionem admitti poſſe, eo quo *Belgæ* fecerunt modo: *Parum id erat, pertæſum eſt*; vel hoc pacto;

pacto: *Brevi pertæsum est*; nam כמעט sæpe ad tempus refertur, quod probatione haud indiget.

CAP. XXIII.

Vers. 5. ותזן אהלה תחתי

OPtime Lxx. ἐξεπόρνευσεν ἡ Ολα ὰπ' ἐμοῦ. Aliter Recentiores Interpretes, qui תחתי non cum תזן copulant, sed cum אהלה conjungunt: אהלה תחתי *Ohola* quæ *sub me* est, quæ mihi tanquam uxor viro subjecta est. Ego puto תחתי cum תזן connectendum esse, cum Lxx. *Et scortata est Ohola sub me*, id est, *me rejecto;* uti תחת etiam sumitur 2 Sam. 3: 2. quem locum vide supra expositum. Legisse me memini من دون & زلي دون quem locum si nunc proferre possem, confectam rem putarem: atque opportune nunc incido in Hos. 4: 12. יזנו מתחת אלהיהם. Nihil etiam differunt locutiones, quas ad 2 Sam. 3. adduxi, دعا من دون الله *invocare sub Deo*, cujus innumera in Corano dantur exempla. Attamen ne quid dissimulem, altera versio etiam defendi potest; non

non quidem exemplo ex Sacr. Script. quod ſciam, ſed ex Arabum ſimili loquendi modo. En plane geminum. Alcor. Sur. 66 : 10. امراة نوح وامراة لوط كانتا تحت عبدين من عبادنا

Uxor Noæ & uxor Lothi, erant ſub ſervis duobus, ex ſervis noſtris, id eſt, *utraque earum, uni ex fidelibus ſervis noſtris matrimonio juncta erat.*

Ibid. ותעגב על מאהביה

Sic *vſ.* 9. אשר עגבה עליהם. Et *vſ.* 16. תעגב עליהם. Et *vſ.* 20. ותעגבה על פלגשיהם. In his omnibus locis *Hieron.* עגב *inſanire* vertit, *amore* ſcil. At Lxx. conſtanter ἐπιτίθεσθαι. Non video unde. Recentiores tam Judæi quam Chriſtiani *amare, amore ferri* explicant. Recte id fieri locorum ſenſus palam comprobat: genuinam tamen verbi ſignificationem ignorant; *amare* ſimpliciter non denotat, quod conſtructio על oſtendit, non enim dicitur, *Amare ſuper aliquem.* Hinc quidam vim partic. על hic enervare ſtudent. Fruſtra עגב proprie eſt *admirari, admiratione duci*, Arabiſmo id probante عجب *Miratus & admiratione ductus fuit.* In 2. conj.

&

& 4. *in admirationem induxit.* Res eſt manifeſta, nec exemplis comprobanda. Illud tantum, quia nihil in *Lexicis*, oſtendendum erit, peculiariter, *de admiratione amoris*, ut apud Hebræos, verbum uſu venire. Alcoran. Sur. 2: 219. لا تنكحوا المشركات حتي يومن ولامة مومنة خير من مشركة ولو اعجبتكم ولا تنكحوا المشركين حتي يومنوا ولعبد مومن خير من مشرك ولو اعجبكم *Ne uxores ducatis fœminas idololatriæ deditas, donec fidem amplexæ ſint, ſerva enim vere credens muliere Idololatriæ dedita dignior eſt* ולו אינבתכם *etſi admiratione*, & amore *vos affecerit. Neve Idololatris nubatis, donec credant, ſervus enim fidelis viro Idololatra præſtat* ולו אעגבכם *amore ejus licet & admiratione captæ ſitis.* Plus ergo dicit quam *amare*, & eſt, *admiratione deperire & inſanire*, uti non male *Hieronimus.*

CAP.

CAP. XXIV.

Vers. 21. הנני מחלל את מקדשי גאון עזכם מחמד עיניכם ומחמל נפשכם.

VErtit Hieron. *Ecce ego polluam sanctuarium meum, superbiam imperii vestri, & desiderabile oculorum vestrorum, & super quo pavet anima vestra.* גאון עזכם non male per *superbiam imperii* redditum puto, nam ita عز Arabice etiam usurpatur. Eodem modo עז sumsit Hieron. Gen. 49: 3. יתר עז quod transfert, *major in imperio:* sed hæc hactenus. Obscurius paulo est illud מחמל נפשכם Hier. *super quo pavet anima vestra.* At non ea est vis verbi חמל quam pressius exprimunt Lxx. ὑπὲρ ὧν φείδονται αἱ ψυχαὶ ὑμῶν. Differunt etiam hic Lxx. & *Hieron.* in eo, quod illi מחמל tanquam de *filiis & filiabus* dictum acceperint, atque cum sequent. copulaverint, hic vero cum præcedent. & tanquam de templo. Veram & propriam vim locutionis hujus מחמל נפש non satis recte intelligunt Eruditi, ideoque in diversa abeunt. Ego in hanc rem confero *vs.* 25. *hujus cap.* ubi hæc repetuntur: מחמד עיניהם ומשא נפשם τὰ ἐπι-

θυ-

θυμήματα ὀφθαλμῶν αὐτῶν καὶ τῳ ἐπαρσιν ψυχῆς αὐτῶν. Quod hic משא eſt, id עש hoc 21. eſt מחמל. At quid dicit משא נפש? *Hier.* reddit: *Super quo requieſcit anima*, quaſi dicas, *quod tollit, ſuſtinet animam.* Idem dicit מחמל in Arabiſmo; حمل enim in *Camus* per معقد exponitur; *id quo quis ſuſtinetur & fretus eſt.* Lxx. ad *ſuperbiam* retuliſſe videntur, *quo quis effertur.* At rectius mecum intelligas: *Id ad quod quis* deſiderio *fertur.* Ita notat נשא נפש Deut. 24: 15. Prov. 19: 18. unde etiam explicandus eſt Pſ. 24: 4. לא נשא לשוא נפשו *non deſiderio in res vanas fertur*, ac proinde nihili eſt *keri* loci iſtius. Idem ſi dicit מחמל נפש, uti ſatis eſt veriſimile, ex recepta *parcendi* ſignif. in חמל, hoc erui non poterit. Conjicio חמל primario notaſſe, uti Arab. حمل, *ferre*, *portare* Synonymice cum verbo נשא, atque inde alteram illam *parcendi* & *tolerandi* ſignificationem derivatam eſſe, cujus rei in omnibus fere linguis exempla ſunt ſatis obvia. Ipſum hoc נשא *parcere* notat Gen. 18: 24, 26. & Job. 34: 31. Et ſic *tolerantiam* indicari puto Pſ. 99: 8. אל נשא היית להם Arab. حمل etiam *tulit*, *pertulit*, *patienter toleravit*, *pepercit.* Senſu ſim-

plici hic ſumo מחמל *ad quod* deſiderio, ut oſtendi, *fertur anima.* Sic Arab. حمل الي شيء *ad rem latus eſt deſiderio.* Senſus hoc pacto non multum a præcedenti מחמד עינם recedit.

CAP. XXVIII.

Verſ. 3. *Sapientior es Daniele.* כל סתום לא עממוך.

TRia ſunt in univerſum loca, ubi radix עמם occurrit. Multi Interpretes putant verbi veram notionem eſſe, *tegere* vel *obſcurare;* ex uſu, inquit *Cl. Buxt.* linguæ *Chald.* qui tamen non plane ſatisfacit; nam עמעם Chald. *obſcurari* de oculis tantum dicitur, quomodo eſt a עמי ſeu عمي; nam hujus formæ geminantia ultimam rejiciunt. عمي quidem præter *cæcum eſſe*, *obſcurum eſſe* etiam notat: unde *Abulphar.* ليعموا علي الناس *quo homines laterent;* ſed hæc ſignif. non convenit inf. cap. 31: 8. quemadmodum nec غم *intricata, difficilis fuit* res, unde غمة *arduum aliquid intellectu*, quod certe pulchre hic qua-

quadraret; at quum non eodem modo ceteris id locis conveniat, eam notionem non admitto. Nihil tutius video quam Arabum عم seu עמם huc advocare, quod notat, *vilis, communis fuit.* Ea signif. omni procul dubio in Hebraismo olim obtinuit; nam inde עם est *populus, plebs,* ut Arab. عامة inde alibi jam explicatum dedimus locum Thren. 4: 1. tentemus & in reliquis. Primo in hoc loco: *Omne reconditum vilem non reddet te aut plebejum:* עממו plur. cum כתום sing. ex Hebraismo jungi posse si probare vellem, operam luderem, præsertim quum כל collectivum adsit. Sensus est, non imperitum te & plebejum ostendet, sed ejus solutio sapientem te & supra vulgus solertem demonstrabit. Eadem est ratio inf. cap. 31: 8. *pulchra arbor* ארזים לא עממוהי *vel cedri ipsam non vilem redderent;* id est, eam sua altitudine non vincunt ac superant. Hæc verisimilia satis Arabum parilis plane loquendi modus non parum confirmat. Hist. Tamerl. pag. 244. كزري فصاحته كلام الاسود بن يعفر *Vilem reddebat ejus eloquentia orationem Alaswadi Ibn Jafari.* Et pag. 32. بحور ظبية يزري *Dor-*

cas quæ ipſas Hour viles redderet. *Hour* ſunt virgines paradiſi Mahometici ab oculorum pulcritudine, qua *dorcadas* referunt, nomen ſortitæ; nam حور eſt quum *album albi* & *nigrum nigri oculorum intenditur*, quod præſertim in *dorcadibus* invenitur. Iterum pag. 363. يزري بحسن هيئة علي متخدرات العرايس *formæ bonitate pulcherrimas ſponſas ſuperabat;* in Arab. eſt *viles reddebat.* Eadem eſt in hac locutione ratio. Abulph. pag. 264. *Si Deus vitam protenderit* ليفضحن سرجيس vel *Sergium ignominia afficiet*, vel ut *Poc.* dedit *ad pudorem rediget*, id eſt, *eum prævertet.* Conſimilis & in hiſce eſt ratio. Hiſt. Tam. 396. وينشي في حبيبته ما ينسي القصايد الزيدونية *Carmina pangebat in amicam ſuam, quæ Zeidounia facile carmina oblivioni darent. Zeidounia* carmina per Orientem celebrata admirabili elegantia, a Veziro *Abilwalid Ibn Zeidoun*, *Andaluſio* in amicam ſuam *Hebaba* filiam *Moſtacfi* Chaliphæ compoſita. Sic p. 382. يدمن قصته قيس وليلي وشيرين وفرهاد *Hiſtoriam amorum ejus oblivioni dabat Kis & Leilam,*

Sir

Sjirinamque cum Pherhado; amantium paria Perſica hæc, illa Arabica in Oriente celebratiſſima. Nec abludunt hæ duæ phraſes, pag. 146. اذا استنطق اليراعة اسكت اهل البراعة واذا وضع الناي بغيه سحق عود اسحق وابيه De *Kotbo Mauzelenſi* Muſico præſtantiſſimo. *Quum arundinem inflabat, ad ſilentium redigebat* (id eſt, *vincebat*) *optimos artifices, eandemque arundinem* (Perſicum eſt ناي) *ori applicans, procul eſſe jubebat teſtudinem Iſaaci & ejus patris.* Ad loci hujus intellectum faciunt quæ leguntur in *Les Contes Arabes: Iſaac étoit un des plus excellens joüeurs du luth a Bagdad, ſous le regne de Haroun Arrasjid.*

Verſ. 23. נפלל חלל בתוכה

Veteres illud נפלל a נפל *corruent* Vulg. & Lxx. πεσοῦνται· non a rad. פלל explicarunt. Optime quidem id convenit, & forte verum eſt; attamen quia non alias a verbo נפל talis occurrit formatio, tutius videtur radicem פלל retinere, licet *Kimchius* & quidam ex noſtris in eadem ſint ſententia. Vellem quidem נפלל *judicabitur* exponere

vel *judicium exercebitur*, ſi modo פלל hunc uſum reciperet, quod non invenio, cum illud נשפט ſit. Clar. *Guſſet.* a פלל *reputare* Geneſ. 48: 11. *Et reputati mortui in medio ejus ſunt*; quod cum ſeq. non apte cohæret, neque commodum fundit ſenſum. ונפלל חלל בחוכה בחרב עליה מסביב Hæc conſtructio illud, quod נפלל שָׁד indicatur, tribuit חרב שָׁד *gladio* נפלל בחרב Ubi ſane nihil æque quadrat, atque נפל, *cadet confoſſus gladio*; ſed, ut dixi, *Lamed* iſtius verbi duplicari non ſolet: quæ autem tertiam duplicatam gerunt, ut אמלל & חכליל extra eam formam non apparent. Arabice פלל notat *rumpere*: id ſæpiſſime ad bellum tranſlatum eſt, *rupta acie fugare* vel *occidere*. Timur. Hiſtor. pag. 30. قتلت وفتكت وفللت *Occidiſti, de improviſo peremiſti* & פללת *neci dediſti.* Illuſtre eſt exemplum in eadem hac Hiſt. pag. 170. quod cum loco noſtro plane convenit. وبرز من ذلك العسكر طايفة نحو من الغي نفر فتقدم لهم من الاشون الشامية نحو مـــن ثلثمـايـة وفلوهم بـالصفـاح *prodiit ex exercitu iſto manus circiter bis millium, quibus ex Leonibus Syriæ occurrerunt circiter ter centum, qui eos gladiis*

diis פלו *ſtraverunt.* فل proprie, ut monui, notat *ruptam hoſtis aciem in fugam dare*; ſed & *occidendi* notio tacite ſub iſto verbo comprehenditur, ut exempla docent; quod & in Latinorum *fundere* & *proſternere* ſimili ſenſu uſu venit. Poteſt etiam verbi فل omnis ſignif. hic retineri, ſi concipiamus *Zidonios* eruptionibus ex urbe obſeſſores laceſſentes, qui eos male habitos & rupta acie fractos in urbem ſe recipere cogant; quod ſatis clare indicatur per voces עלירו מסביב. Non poſſum non hic adjicere, quæ mihi præterea in mentem venerunt: ſcil. *rumpere*, *diſſecare*, *ſcindere*, *incidere* (nam omnes has notiones فل induere poteſt) eſſe primam apud Hebræos verbi פלל & *formalem*, ut vocant, ſignificationem, quod ſi evicero, indubitata erit ſatis loci hujus expoſitio. פלל eſt *judicare* vario reſpectu, vel ut *Judicem* ſummum, vel ut *arbitrum*, vel ſimpliciſſime *æſtimare*. Gen. 48: 11. *videre faciem tuam non* פללתי *arbitrabar*, *exiſtimabam*. Eſai. 16: 3. *Afferte conſilium* עשו פלילה male vulgo, *facite judicium*, *judicium exercete*; פלילה hic nihil aliud eſt, quam *æqua rei æſtimatio*, *diſcretio*. Hoc quomodo a فل ſit deductum, docebit radix פלג quæ

itidem *rumpere* notat aut *diſſecare*; uti in *Corano* Sur. 67: 8. فميز من الغيظ *ruptus fuit, crepuit ira.* Inde eſt تمييز *judicium diſcernendi;* apud *Eutych. Ann. Alex.* eodem ſenſu, quo apud *Eſai.* פלילה, & pro Græco φρονήσει Arabs penes me MSS. dedit تمييز Luc. 1: 17. *Arbitrium* præterea dicit פלל Deut. 32: 31. & ſic Exod. 21: 22. tandem *judicium* proprie dictum Job. 31: 11. & ſæpe alias. Hæc ſunt a فل, ut فصيل *arbiter* a verbo فصل *diſſecare*, & فصل *phatſlon* eſt *inciſura*, ut فل & *diſſecatio;* & inde *judicium*, unde *dies ultimi judicii* يوم الفصل *Jaum' ol'phatſli* vocatur. Ab eadem radice eſt فيصل & فصيل *Judex* حاكم, uti Arabes declarant. Sic *Secare lites* apud *Horatium* non uno in loco eſt *dirimere, componere;* & Græci ita loquuntur; quin in omnibus fere linguis id obtinet, & probatione ulterius non indiget. Illud nunc tantum mihi præveniendum eſt dubium, quod moveri poſſet, ſignif. *orandi* quam *Hithpah.* hujus verbi poſſidet ad primariam *ſecandi* notionem non poſſe reduci. Sed nulla eſt difficultas; non enim a prima *ſecandi* ſed a ſecunda *judicandi* ſignif. *orare* de-

deductum est in התפלל *quia qui precatur*, inquit Cel. Gussetius. „ *Se se arbitrum ac compo-*
„ *sitorem esse vult in negotio de quo orat, ut*
„ *is a quo pendet juxta ejus propositionem de-*
„ *cernat & agat.* Alia adhuc objectio occupanda mihi est, quæ adferri posset ex eo, quod *rumpendi* significatio nusquam, neque vel unico tantum in loco apud Hebræos apparet. Respondeo idem in aliis etiam verbis observari posse. Ita רור indubie satis primariam habet notionem *rotundi*, uti apud Arabes ثور, & tamen non nisi semel ea signif. occurrit. Vid. me ad Esai. 29: & 22: 18. צמת primario *silere* notavit, ut صمت; inde נצמרו *exscindi*, uti נדמה itidem *exscindi* a דמה *silere*; neque tamen *silendi* signif. illam in Sacro Codice invenire est. Similia plura addere possem.

ANIMADVERSIONES PHILOLOGICÆ IN DANIELEM.

Cap. II.

Vers. 18. *Et ingressus est Daniel domum suam, Ananiæque & Misaëli & Azariæ negotium indicavit : Ut quærerent misericordiam a Deo, ne perirent Daniel & socii ejus* עם שאר חכימי בבל *cum ceteris sapientibus Babyloniæ.*

ITa Interpres Latinus ceterique omnes; unde Danielem tresque ejus Socios inter sapientes Babyloniæ annumerare necesse est, cum tamen Hebræi fuerint; difficultatem hanc, modo ea difficultas censeri possit, tollerem ex Arabismo שאר חכימי non *reliquos* sed *omnes sapientes*

pientes reddens. *Daniel & ſocii cum omnibus Babelis ſapientibus.* Certe Daniel a ſapientibus Babelis diſtinguitur infra cap. 4: 6, 7, 8. & clarius vſ. 18. hoc tamen cap. 2. cum iis confundi videtur. Vid. etiam cap. 5: 8. ubi iterum diſtinguitur. שאר ſeu ساير non tantum *reliquum* notat, verum etiam ſignificatione *omnis* non raro occurrit. Sadi Guliſt. g. 40. *Regem Mahmudem quidam ex regibus Choraſanæ hoc pacto in ſomnis vidit; toto corpore in pulverem verſo, oculos tantum in loculis ſuis verſando circumſpiciebat* ساير حكما از تاويل ان عاجز ماندند *Omnes ſapientes,* שאר חכימי eſt in Perſico, *interpretationem ejus dare non potuerunt:* ita etiam pag. 116 & 140. ejuſdem auctoris. *Abulphar. Hiſt. Dyn.* 526. *Ei peritia erat egregia* في ساير الانواع الفلسفية *in omnibus* פי שאר *Philoſophiæ generibus.* Et pag. 537. ساير المذاهب والامم *Omnes ſectæ ac gentes,* & ساير الامصار *Omnes regiones* pag. 555. unde in *Hiſt. Sar.* pag. 36. eadem verba non recte dedit Clar. Interpres, *reliquas provincias,* cum debuiſſet, *omnes.* Hiſtor. Tamerl. pag. 174. ساير ملوك البلاد *regionum omnes reges.*

ges. שאר מלון & in *ead. Hiſt. pag.* 411. هاير ſeu שאר cum כל كل *omnis* conjungitur. Fruſtra ergo uſum hunc vocis هاير improbant *Grammatici* ac vulgi errorem vocant, cum ab graviſſimis iiſque diſertiſſimis auctoribus eam ita uſurpari videamus. *Abulphar.* eodem modo باقي quod *reliquum* eſt, pro *omni* poſuit pag. 549. *Hiſt. Dynaſt.*

Verſ. 35. והוו עור מן אדרי קיט

R. Saadias, *Ab. Eſra*, *Jarchi* & *Kimch.* עור per מוץ *glumam* declarant. Ita poſtulat ſenſus nec poteſt fere aliter. Lxx. tamen & *Vulg.* κονιορτὸν & *favillam* dant; in quo hallucinati ſunt, ut mox videbimus. Originem vocis requirens *Kimch.* hæc conjicit. אולי עור חסר נ"ן מן נעורת של פשת *Forte* עור *eſt a* נעורת *ſtupa lini abjecto Nun.* Aliter docet Arabiſmus & quomodo עור *gluma* ſub radice עור *excæcare* contineatur oſtendit. Scil. عور Arabice ſeu עור & عوار exponitur per قذى *feſtucæ* لتعويرها وضيرها للبصر *quia* עורו *excæcant & oculis nocent.*

Verſ. 40.

Vers. 49. ודניאל בתרע מלכא

Vulg. *Daniel autem erat in foribus regis.* Chald. תרע ex Hebræo שער *porta* formatum convenit cum Arab. قرعة quod Arabes per باب exponunt, id est, portam. Ex hoc loco quidam eliciunt Danielem *Ostiarii* apud regem munus obiisse, quæ mera est hallucinatio : *In porta regis* nihil aliud est quam *in aula regis*, ut præclare Lxx. & docte ἐν τῇ αὐλῇ τοῦ βασιλέως. *Aula* Imperatorum Orientalibus *porta* dicitur. *Hist. Sar.* pag. 120. لم تجتمع بباب احد من الخلفا من الوزرا او القضاة مثلما اجتمع بباب الرشيد *Non in ullius unquam Chaliphæ aula tot convenerunt Veziri aut judices &c. atque in aula Razjidi:* pro *aula* utrobique est *porta* in Arabico. *Abulphar. Histor. Dyn.* pag. 354. *Ajunt primum sapientem, qui eo notatus est quod se regum famulitio addiceret, fuisse Aristotelem, cum Philosophi priores, ut Pythagoras, Plato, Socrates, eo abstinerent* ولا يقربون ابواب السلاطين *neque ad aulas Imperatorum accederent:* in Arabico est *ad portas:* Sic sæpe

pe alibi. Eodem modo سدة *Sudda*, *porta* uſu venit in *Hiſtor. Tamerl.* pag. 129. حصل الوقوف علي كتاب مجهز من الحضرة الايلخانية والسدة العظيمة الكبيرة السلطانية *Vidimus litteras tranſmiſſas a Majeſtate Ilchanica, & a porta ſplendida magna Sultanica.* Quid notius quam *aulam* Imperatoris Turcarum *portam* dici قپی *kapou* vocabulo Turcico.

In Libro Eſteræ שער *porta* non ſemel pro *aula* ſumitur, ut cap. 2: 19, 21. *Et Mordechai* ישב בשער המלך *habitabat in aula regis.* Turpis eſt hallucinatio quorundam qui Mordechæum ſibi fingunt ſedentem in aditu aut porta aulæ regiæ. Melius *Belgæ* ex his verbis conjiciunt eum aulicum fuiſſe, nam *ſedere in porta* eſt *aulam frequentare* vel potius *inhabitare*, nam & hæc eſt verbi ישב notatio: Cap. etiam 3. vſ. 2, 3. *porta*, aula eſt. Sic Lxx. conſtanter in his locis αὐλὴ dant. In eodem hoc vſ. noſtro עבירתא veriſimiliter eandem habet vim, quam Arabum عمل cum quo ejuſdem eſt ſignif. *opus* utraque voce notante. عمل autem Arabibus pecul. de *opere* præfectorum provinciæ uſurpatur apud Hiſtoricos. Et عامل *ope-*

operator est *præfectus provinciæ* apud *Elmac.* est *Abulphar.* sæpissime, & *Quæstor* provinciæ: Verbum عمل in sec. conj. *provinciæ præfecit.* Hoc Cel. *de Dieu* etiam in mentem venerat; quem vide sis.

CAP. III.

Vers. 22. קטיל המון שביבא די נורא

VUlgo: *scintilla ignis eos interfecit.* Additur שביב *scintillam* dici quasi *fragmen ignis*, quia שבבים Hos. 8: 6. sunt *fragmenta.* Notatio est & explicatio parum conveniens: שביב non est *scintilla* sed *flamma*, uti Vulg. reddit Job. 18. & Dan. 7. & φλὸξ Lxx. *Flamma ignis eos interfecit.* Examina Job. 18: 5. & Dan. 7: 9. & videbis *flammam* esse, non *scintillam.* Radix est שבב *ardere* Arabice شبّ *arsit* & transitive *incendit*, *excitavit flammas.* Hinc Hoseæ שבבים c. 8: 6. etiam derivandum est, quod suo loco ostendam. Scilicet ut φρύγανα ἀπὸ τῦ φρύγειν, & *cremia* a *cremando*, sic שבבים *frusta* a شبّ *incendit.*

CAP. IV.

Verſ. 17. *Ad decretum vigilum res fit* ובמאמר קדישין שאלתא *& ad verbum, id eſt, juſſum Sanctorum negotium hoc.*

ITa שאלתא ſimplic. verto: *Res, negotium.* Sic Arabice مسالة *quæſtio* ſimplic. *res* notat, monente *Golio* ex *Pent. Erp. Gen.* 24: 66. ubi مسايل *quæſtiones* ponitur pro Hebr. דברים *res.* Sic Deut. 30: 1. *Et quum evenient tibi* جميع هولا المسايل *omnia hæc, omnes hæ quæſtiones*, id eſt, *res*, דברים ut in Hebræo: Sic ſæpe alias. Et quidni æque שאלתא *quæſtio* ſimpl. pro *re* poteſt ſumi atque דבר quod *rem* notans proprie *locutionem* ſignificat & *verbum.* Vulgo vertitur: *Et hæc petitio eſt in verbo Sanctorum*, non apto ſenſu. Commode ſuccurrit nunc Syrorum צבותא *voluntas* a צבי *velle, petere*: hoc in N. T. infinitis in locis ſimpl. *rem* notat, & ſic צבו infra 6: 18. ſimpliciter eſt vertendum.

Verſ. 19.

Verſ. 19. *Tunc obſtupuit Daniel* בשעא חדא.

Vulg. *quaſi una hora.* Sic & Lxx. qui כשעא legerunt. Noſtri: **bp een ure lang** / & ſic ceteri. Mihi non credibile videtur Danielem in conſpectu Regis avide interpretationem ſomni exſpectantis horæ ſpatium obſtupuiſſe, neque id fieri potuit niſi deliquium eum paſſum eſſe ſtatuatur. שעא Chaldæis & Arab. ساعة non *horam* ſolum notat, ſed *momentum* etiam, ut Belg. **ſtondt** utrumque. Supra 3: 6. בה שעתא **van ſtonden aan.** Hic autem *breve tempus* notat: ſic Arab. ساعة *Saatan* in Acc. id eſt, בשעה *ad breve tempus.* Abulph. 199. وسكت ساعة *Et ſiluit ad tempus aliquod,* وذهض *tunc ſurrexit*: Hiſt. Tam. فتفكر الشيخ ساعة *ſenex ad aliquod tempus meditationi immerſus manſit.* Nec aliud poſtulat חדא nam id nihil dicit aliud, quam Belg. **een: vooꝛ een ſtonde / vooꝛ een hoꝛte tyd.** Sic cap. 6: 18. והיתית אבן חדה *adductus eſt lapis;* Belg. ut Chald. **een ſteen.** Cel. *Guſſetius* etiam שעה hic loci præciſe *horam* notare poſſet negat in *Appendice.*

Verſ. 32. *Juxta voluntatem ſuam facit in cœlo & terra* ולא איתי די יכחא בירה.

Non eſt qui reſiſtat manui ejus; ita vertit *Vulg.* ſenſum dat, non verba: Quidam: *Non eſt qui prohibeat manum ejus*, quia מחא *Thalmud.* dicitur eſſe *prohibere.* Vir Doctus ex Syrorum dialecto, quibus מחא *conſtringere* eſt; *non eſt qui conſtringat manum ejus.* Verbum מחא Chaldæis & Syris eſt *percutere*, quam vim Belgæ retinentes ita vertunt: **En daar is niemant die ſyn hant afſlaan kan.** מחא tamen nuſquam eſt **afſlaan**/ id eſt, *avertere*: verbo מחא ſignif. *conſtringendi* item fruſtra tribuitur. Affert Vir Doctus Joh. 13:4. שקל סרונא מחא בחצוהי ſed ibi מחא etiam *ferire* notat. Belgice exprimens verto: **Op nam een lint**/ **en ſloeg't om zyne lendenen.** Corruit ergo hæc expoſitio; nec huic loco iſte uſus convenit. Ego hunc locum noſtrum ita de verbo ad verbum verto: *Nec eſt qui eum ſuper manum percutiat.* Quomodo nos Belgice dicimus; **over de hand ſlaan**/ quum ab aliqua nos alium re *prohibere* exprimimus: Sic Arabes loquuntur. ضرب uſitate eſt *verberare.* Inde dicunt ضرب علي

علي يدك *manum ipſi percuſſit*, id eſt, *impedivit eum, prohibuit:* En daar is niemant die hem op de hand ſlaan / of tot hem ſeggen kan; wat doet gy? Locutionis ſatis frequentis plura exempla ſuppeditabit *Buxtorf. Lex. Thalm.*

CAP. VI.

Verſ. 19. ובת טוח

LXX. καὶ ἐκοιμήθη ἄδεπνος. Sic *Vulg. R. Saadia* & *Ab. Eſra* hanc ſignif. ex Arabiſmo confirmant. Negat Clar. *Hotting.* in *Lexico Harm.* ſe hanc ſignif. in Arabiſmo reperiſſe. Non recte attendit Vir Doctus: nam Arab. طوي *ſtudio nihil comedere* eſt, præſertim *veſpera*, teſte *Saadia.* Et in eodem hoc negotio voce طاوي utitur *Abulphar. Hiſt. Dyn.* 81. ubi hanc hiſtoriam narrat, eiſdem plane verbis وبات طاويا *Et pernoctavit incœnatus.* Hæc expoſitio hoc pacto indubitata ſatis videtur; in aliud tamen inclinat *R. Saadia*, qui illa בת טוח a quibuſdam ſumi teſtatur de *virginibus puellis.* Scil. בת pro *filia* & טוח *jejuna* ſenſu metaph. *quæ virum non guſtavit*, id eſt, *experta eſt*

phraſi Arabum. Ipſe, ut monui, in hunc ſenſum inclinat; *Et puellas virgines & pſaltrices* (ita רחין vertit) *ad ſe non intromiſit.* Hoc moris fuiſſe regum iſtorum ſimul addit, nec male; nam & Salomon habuit ſuas שרות *cantatrices* Eccleſ. 2. & hujus apud Reges Orientalium moris plena ſunt hiſtoricorum monumenta.

Ibid. רחין

Vocem hanc alibi fruſtra quæras, ideoque obſcurior eſt. Lxx. ἐδέσματα, & Vulg. *cibi.* Hallucinati ſunt, quia modo dixerat *Darium incœnatum* manſiſſe. *Kimch.* eodem ſenſu *menſam* vertit ex Rabbinica dialecto. Quæ *R. Saadiæ* ſit mens, modo eſt expoſitum; ſimiliter *Ab. Eſra* נגינות ושירות *pulſatio fidium & modulatio.* Hoc *Belgæ* noſtri amplexi ſunt; idque a רחה deducunt, quod triſtitiam *expellat.* Sed vim verbi ſi examines, coactam eſſe & nullius momenti notationem iſtam facile animadvertes; ſemper enim רחה Hebræis & Chaldæis *impellere ad lapſum* notat. Vid. Pſalm. 36: 3. & 56: 14. Et nunquam aliter. Neque etiam רחין *inſtrumenta muſica* eſſe poſſunt a *pulſando*, nunquam enim רחה *pulſare* notat; ſed conſtan-

ter

ter *impulſionem ad lapſum* continet, addita aliquando *humi afflictione*. Pſalm. 36: 13. *Ceciderunt impii*, רחו *adflicti ſunt ad terram, nequeunt ſurgere*. R. proinde *Saadias* aliter inſtituit rem, & a חרה *lætari* per metatheſin vocem deflectit. Ego ad Arabicum دخن recurro רחן, quidni enim ן radicale ſtatuamus? רחן Arabibus *fumare* notat; in 2. conj. دخّن *fumigare, ſuffire*; دخون & רחן دخنة *ſuffimentum*. مدخنة *thuribulum. Et ſuffitum ad ſe non admiſit. Suffimenta* coram regibus in conviviis eorum aut comiſſationibus ſolere incendi res nota eſt. L. de *Dieu* eadem hic mecum ſentit, de qua re gaudeo.

CAP. VII.

Verſ. 5. ולשטר חד הקימת

Buxtorfius aliique magnæ auctoritatis Viri hæc ita vertunt: *& Dominatum unum erexit*. Omnino male; nam שטר nunquam *dominatum* dicit. שטרים etiam non ſunt *dominatores*, uti ad Exod. 5: 6. oſtendo, ubi in veram muneris iſtius denominationem inquiro. Monet Cel. *Buxtorf.*

torf. Hebræos לשטר legere per *Sin* vel *Samech* & exponere *ad latus unum*; quia שטר iis eſt *latus*. Si *Schin* deſideras, Arabes dabunt; ii شطر שטר *latus* vocant. Alcor. Sur. 2: 139, 144. ول وجهك شطـــر المسجد الحرام *obverte faciem ad latus templi Meccani.* Lxx. μέρος. Vulg. *partem* dederunt. Et hic uſus in Arabiſmo notus eſt. *Hiſt. Sar.* pag. 18. ان يسير اليهم بشطر من معه *ut ad eos proficiſceretur cum* שטר *parte eorum, quos ſecum habebat.*

Verſ. 25. *Sanctos Altiſſimi* יבלא

Lxx. παλαιώσῃ. Vulg. *conteret*, nempe ut veſtem detritam. Revera בלא eſt παλαιῶν· commodior tamen forte hic ſignif. Arabica verbi بلا fuerit. Arab. بلا eſt *ærumnam, calamitatem immittere*, & *Balaon* بلاء *ærumna, miſeria, afflictio. Sanctos altiſſimi miſere perdet*; hoc commodius quam *vetuſtate atteret.* In *Hiſt. Tamerl.* aliquoties lego بلاه بعذاب *cruciatu miſere eum afflixit.* Et بانواع العذاب بلوهم *multifariis eos pœnis afflixerunt.*

CAP.

CAP. VIII.

Verſ. 12. *Et dejiciebat veritatem in terram* ועשתה והצליחה *& fecit & proſperavit.*

TUrbat Interpretes illud ועשתה *& fecit*, quod ſenſum minus planum reddit; quidam ſupplent *& fecit hoc*, ſcil. de quo antea. *Belgæ* noſtri etiam pronomen ſupplent, **en dede het.** Elegantiſſimæ locutionis ſenſum & verum uſum aperiam ex Arabiſmo. *Fecit & proſperavit* ex Arabiſmo nihil aliud eſt fere, quam ſimplex *proſperavit*, quo pleonaſmo nullus apud Arabes eſt frequentior cum verbo جعل *facere*, quod Hebræorum עשה reſpondet: *Hiſt. Sar.* pag. 146. وجعل يقول *& fecit dixit*, pro *& dixit*. *Hiſt. Tamerl.* pag. 342. وجعل يستشيره *Et fecit conſuluit ipſum*, pro *conſuluit ipſum*. Abulphar. *Hiſtor. Dyn.* pag. 187. وجعلت عايشة تنادي *Et fecit Ajesha & vocavit*, pro *& vocavit Ajesha*. Hariri. وجعل يودع من يشيعه *Et fecit valedixit, qui eum deducebant*, pro *& valedixit*; at quid exempla hic cumulem

lem? ex una *Tophaili* diſſertatione, libello haud magnæ molis, plus centum ejuſmodi locutiones proferri poſſent. Idem pleonaſmus occurrit 1 Reg. 8: 32. *Tu audies ex cœlo* ועשית ושפטת *& facies & judicabis ſervos tuos; facies & judicabis* pro ſimplici *judicabis.* Iterum hic hærent Interpretes. Adde etiam Judic. 9: 16. ועתה אם באמת ובתמים עשיתם ותמליכו את אבימלך. Solent hic עשיתם ſeparare a ſeq. ותמליכו hoc pacto: *Et nunc ſi vere & cum integritate feciſtis, quod Abimelechum regem conſtitueritis*; ego non dubitem עשיתם ותמליכו conjungere: *Si vere feciſtis & regem conſtituiſtis*, pro *ſi vere regem conſtituiſtis.* Tandem huc refero Dan. 11: 7. *Et veniet contra munimenta regis Aquilonis* ועשה בהם והחזיק *Et faciet ea & capiet*, pro *& ea capiet.* Vulg. עשה בהם vertit *abutetur eis*: non recte. Alii *faciet contra ea*; quod non patitur Hebraiſmus. Eſt vir in Hebraicis ſubactus, qui ita rem inſtituit: *Suppleri videtur pronomen* aliquid, *facere aliquid* ועשה בהם *& faciet* aliquid *contra eos*; *aliquid ſcil. reſpondens negotio propoſito, cui opponeretur, nihil agere.* Belgice id exprimeres, **En hy ſal wat tegen haar uitregten.** Age vero, experiamur an id ferri poſſit. Sumam 1. Reg. 8: 32.

ועשית

ועשה והחזיק quod noſtro huic עשה והחזיק finitimum loquendi genus eſſe prima ſtatim fronte apparet; verte ea *& facies* aliquid, *& judicabis*, gy ſult wat uitregten en oordeelen / & intolerabilem eſſe enuntiationem facile concedes. Reſtat igitur ut locutio ad pleonaſmum reducatur, atque eo, quo feci, modo explicetur. Neque obſtat, quod illud נהם intercedat, cum potius ex mente mea dicendum fuiſſet ועשה והחזיק נהם *& faciet & capiet ea:* nunc cum נהם in medio ſit poſitum, alius videri poſſet ſenſus emergere. Nulla eſt difficultas, nam & ita Arabes ſolent. Hiſtor. Tamerl. pag. 263. وجعل الموغول ايضا يفعلون ذلك مع الجغتاي *& fecerunt Mogulenſes etiam egerunt ita cum Sjagatæis.* Clarius adhuc apud *Eutych. Alexandr.* in *Annal.* pag. 6. وجعل الفسق والجور وتهما عنهما *Et fecit injuſtitiam & impietatem & prohibuit utramque*, pro وجعل وتها عن الفسق والجور *& fecit & prohibuit impietatem & injuſtitiam.* Sicut ergo in hac locutione *fecit injuſtitiam & prohibuit* tantundem valet

ac *prohibuit injuſtitiam*, ita in loco Danielis *fecit ea & cepit* nihil aliud notat, quam quod ſimpliciter diceres *cepit ea*. Vid. quædam amplius ad Gen. 31 : 26.

ANI-

ANIMADVERSIONES PHILOLOGICÆ IN HOSEAM.

CAP. V.

Vers. 13. יגהה מכם מזור

Hieron. ſolvere poterit à vobis vinculum. Nec נהה *ſolvere*, nec מזור *vinculum* notat. Ad radicem אזר reſpexit forte, vel זור ſynonymum habuit cum אזר. Arabice certe زور eſt *conſtringere*: زرت البعير *Camelum cinxi*, in *Camus*: زوار *cingulum*: Lexicon *Alcamus*. الزوار حبل يجعل بين الصدير والحقب Ziwar *funis eſt me-*

medius inter pectorale & posterius cingulum. In Lexico *Schindleri* legitur : זרא Chald. *genus phalerarum* (imo *cingulorum*, ait *Bochartus*) *quo cameli ligabantur.* זור *Hieronymo* esse *ligare* patet ex Esa. I: 6. לא זרו *non est circumligata*, ipso vertente. *Jerem.* etiam 30: 13. למזור *ad alligandum* reddit. Hinc *Boch.* explicat זרזיר מתנים *Prov.* 30: 31. *Cinctum lumbis.* Sed hæc hactenus. מזור hic *ulcus* est, & גהה *mederi*, uti videtur. Sed difficultas est in phrasi. יגהה מכם מזור *medebitur a vobis ulcus*; quapropter hoc positum dicunt pro *medebitur vos ab ulcere.* Jarchius hinc יגהה *amovebit* vertebat, tanquam pro יהגה. Quid si מזור מכם simpliciter *ulcus vestrum* dicat? מן nota est casus Genitivi. Job. 6: 25. מה הוכח הוכח מכם *qualis est redargutio, redargutio vestra?* **Het bestraffen van u lieden.** Frustra hic supplementa cogitant Interpretes, nam ita Arabes semper fere loquuntur, æque atque nos, uti ostendi ad Prov. 26: 7. Dubium movere posset, quod מכם præponatur; verum hoc ne quem detineat. Arabes ita frequenter faciunt. *Coran.* 69: 46. منه قطعنا الوتين *præcidimus venam ejus* מנה ותין *ab eo venam*, pro *venam ab eo*, sic alias etiam in *Corano*: in Histor. *Tamerlan.* fre-

frequentiſſime idem obſervari poteſt. p. 66. منه علي المر *in tranſitu ejus*: In Arabico eſt; *ab eo in tranſitu.* Ibidem iterum. حتي اتي منهم علي الاول والاخر *Donec ſupervenit omnibus ad unum*: In Arab. eſt, *ab iis primo & ultimo*, id eſt, *primo eorum & ultimo.*

CAP. VII.

Verſ. 5. יום מלכנו החלו שרים חמת מ״ין

LXX. החלו *cœperunt* reddunt, ut & *Hieron.* חמת illi θυμῶσθαι, hic *furere.* Videntur pro infinitivo ſumſiſſe a חמת. Etiam *Chaldæus* החלו per שריאו *cœperunt* exponit. At punctatores & Rabbini החלו a חלה *ægrotare* acceperunt, חמת autem alii tanquam pro חמה *ardorem*, alii, retenta propria vocis ſignificatione, *utrem* explicant. חמת hic omnino *uter* eſt. At quid tum חמת מין? Explico ſimpliciter: *utrem vini.* Ut Arabes كاس من شراب *poculum vini.* מן notam eſſe Genitivi caſus multis exemplis oſtendi ad Prov. 27: 7. Vide etiam annotationem præcedentem. Alicubi in Obſervationis L. *de Dieu* conſimiliter חמת מין explicaſſe memini.

CAP.

CAP. VIII.

Verſ. 6. שבבים יהיה עגל שמרון

VUlg. *in aranearum telas erit vitulus Samariæ.* Audi Hieron. in Comm. *Nos ab Hebræo didicimus* שבבים *proprie nominari aranearum fila per aerem volitantia* &c. Sed ut Hebræus iſte *Hieronymo* impoſuerit vereor; talis enim ſign. in Hebræorum libris non invenitur. Si שבכים mendoſe legiſſent, poſſet hæc ſignif. exſculpi ex Arab. شبك *intexere*, unde *Bochartus* etiam עכביש derivabat; vel reſpicere tunc potuit Hebræus ille ad *Thalmud.* של בוכיא. Lxx. nihilo rectius: πλανῶν ἦν ὁ μόσχος σε Σαμάρεια, reſpicientes verbum שובב. De *Japheto* teſtatur *Ab. Eſra* eum eodem modo locum intellexiſſe ואינו נכון *haud recte. Chaldæus, Rashi,* & *Kimchi fragmenta* per שבכים indicari putant. Hos ſequuntur fere omnes. *Bochartus* etiam & *Hottingerus*; utrique autem rad. ponunt. *Thalmudicum* שבב *frangere:* pace dixerim tantorum virorum, ea ſignif. firmis rationibus ſtabiliri non poteſt. Exemplum enim unicum, quod profert *Buxt. in Lex. Thalm.* ab aliis aliter ex-

exponitur, & revera exponi debet. שינא quidem eſt *fragmentum*, ſed alterius eſt originis. Quid ergo? recte cenſeo שבבים *fragmenta* exponi, ſed originem aliunde repetendam. Nempe שביב Hebræis eſt *ardor, flamma;* hoc alibi oſtendi eſſe ab Arabico شبّ שבב *excitare flammam, ignem.* Ab hac eadem rad. eſt שבבים pro *fragmentis, ſcidiis*, quibus ſcil. ignis foveri & ſuſcitari poteſt; Arabice شبب & شبوب. Sic وقود ſunt *fragmenta ligni*, a verbo وقد *arſit:* سجور a Golio exponitur *parvula ligna*, vel *omne id, quo accenditur clibanus.* Radix eſt سجر *accendere ignem:* ثقاب & ثقوب *fragmenta lignorum, lignula, ſtipulave* apud *Golium*; a verbo ثقب *ardere*; ſic *cremia* apud Latinos a *cremando* & φρύγανα Græcorum ἀπὸ τ῀ φρύγειν. Ceterum ut de *Hieron.* explicatione aliquid addamus, fieri potuit ut *aranearum fila per aerem volitantia* שבבים dicta ſint ab ardore & æſtu, quo excitari ſolent; quemadmodum لهب eſt *pulvis per aerem volitans* in *Camuſo* ab لهب *ardere;* ſed hoc plane incertum eſt, & licet non eſſet, tamen alteram ſignif. *fragmentorum* tanquam longe convenientiorem præ-

præhaberem. Interim patet hinc, quam absque ratione שביב vulgo & male *scintilla*, cum *flamma* sit, a שבב *frangere* significatione nihili, deducatur.

CAP. IX.

Vers. 6. הנה הלכו משד

VUlg. *Ecce profecti sunt a vastitate.* Sequitur מצרים תקבצם מף תקברם. Putant plurimi ex Interpretibus prioribus verbis fugam *Israëlitarum* ex terra sua indicari, posterioribus locum quo se recipiant: *Ægyptus recipiet eos* vel *congregabit*, ut habet *Vulg.* Hoc sensu *Chaldæus* etiam vertit. At Lxx. aliter hæc conceperunt, quum vertunt; πορεύονται ἐκ ταλαιπωρίας Αἰγύπτου. Certe si vs. 3. hujus cap. inspiciamus, fuga ex terra *Israël* hoc vs. denuntiari non potest; nam vs. 3. jam dixerat: *Non habitabunt in terra Domini, Ephraim in Ægyptum revertetur, & in Assyria pollutum comedent.* In *Ægyptum* ergo fuga jam delapsos eos hoc vs. videt Propheta, non tamen Dei vindictam eos effugisse sic indicat: הלכו משד *Ecce intereunt fame, Ægyptus colligit eos* in sepulcrum, *Memphis sepelit*

lit eos. Ita totum locum vertendum puto, cujus nunc ſingulatim rationem reddam. הלך *Abire* ſæpe de morte ſumi apud Latinos, Græcos & Hebræos probationis fere non indiget; videat tamen, ſi quis addubitet, Pſalm. 125: 5. ubi הולין eſt *exitio dare.* Confirmat uſus Arabum. Arab. هلك eſt *periit*, *interiit*, & ſimplic. *mori.* Alcor. 40: 36. *Venit ad vos Joſeph cum ſignis evidentibus, at addubitare non deſtitiſtis.* حتى اذا هلك *donec mortuus eſt:* Sic הלך Gen. 15: 2. Alias هلك eſt *perire*, *interire*, *in exitium lethale cadere:* porro שר reddidi *famem* ex *Kimchii* auctoritate, & ſenſu ita poſtulante: *Kimch.* כובד הרעב *gravitas famis*, quam notionem qui Hebræo שר contineri probatum cupit, adeat not. m. ad *Jobum* cap. 5: 22. quæ hic non repeto: Tandem מצרים תקבצם expreſſi, *Ægyptus terræ mandabit*, ob ſequens תקברם *ſepeliet*; & quia in Ægyptum *congregatio* vſ. 3. jam erat prædicta. נקבץ *ſepeliri* notat abſque controverſia Ezech. 29: 5. Eodem modo quo נאסף, quod *colligi* proprie cum notet ſæpiſſime pro *ſepeliri* ponitur, ut 2 Reg 22: 20. & Jer. 8: 2. L. *de Dieu* in hanc mentem capiebat illud אקבצם *Hoſ.* 8: 10. Ubi mihi

omnium maxime arridet *Belgarum* verſio; valde autem dubito, an קבץ *colligere* pro *ſepelire* poſſit dici, quia extra paſſivum in *Niphal* non invenio: ſi tamen ם in אקבצם ad Judæos referendum quis putat, quomodo *Chaldæus* fecit & *Salom. Jarchi*, ſenſu vicino quidem, at non eodem cum Cl. *de Dieu* vertam; *jam nunc letho eos dabo.* Sic אסף *colligere* non ſemel *perdere* notat & *morte afficere;* unde & huic verbo לשון כלין *notionem exitii* tribuunt Rabbini. Vid. Pſalm. 26: 9. & ibid. not. Belg. ubi multa exſtant exempla. Parilem uſum קבץ habuiſſe videtur, quod Arabum lingua confirmat. *Hiſt. Tam.* p. 340. بعد قبض تيمور *poſt mortem Timuri* Hiſtor. Sar. يوم قبض النبي *Die quo Propheta mortuus eſt.* Abulphar. 165. دفنوه بحجرته حيث قبض *In eodem, ubi mortuus eſt, conclavi eum ſepelierunt.* Tamen, ut dixi, potior mihi eſt *Belgarum* verſio, quomodo & *Kimchius* locum intelligebat.

Verſ. 7.

Verſ. 7. *Venerunt dies viſitationis*, באו ימי השלום ידעו ישראל *venerunt dies retributionis, noſcent Iſraël.*

Quid noſcent? דהוו מתנבן להון נביי קושטא *Quod Prophetæ ipſis vera prædixerunt, & quod falſi Prophetæ dementes ſunt* &c. Sic *Chaldæus* & *Vulgat.* nempe ſequentia connectunt: Sic *Kimchius* & Noſtri vulgo. Ego ex collatione *Jobi* 21: 19. fere non dubito aliud hic notare ירש. Verba *Jobi* noſtris plane ſimilia ſunt: ישלם אליו וירע *retribuit ei*, Deus, *pœnam*, ex priori membro, *dabit* שלם; *& noſcet* impius. Ad hunc locum ex Arabiſmo idoneis auctoribus demonſtravi, *noſcere* eſſe *pœnas dare*; quæ conſuli poſſunt. Certe in iſto *Jobi* loco רע aliter exponi nequit, & in hoc noſtro ita ſumtum percommodum & liquidum dat ſenſum, eoque magis in id inclino, ut quemadmodum in *Jobo*, ſic hic primo habeamus שלם deinde ירע. Lxx. habent κακωθήσεται Ἰσραὴλ qui ירעו per *Resh* legiſſe videntur.

CAP. X.

Verſ. 7. *Exciſus eſt rex Samariæ;* כקצף על פני המים.

VOx inuſitata & obſcurior קצף diſtrahit Interpretes. Vulg. *ſpumam* intelligit. *Chaldæus* דוותא *fervorem* dedit; hic autem *Eſcume* id notat, ut vult *Raſchi Gallus & Kimchius.* Sic hodierni Interpretes fere omnes קצף *ſpumam* habent, ut & *Belg.* noſtri, qui ſchupm; neque difficile eſt divinare unde hanc notionem excogitaverint; ſcil. קצף eſt *iraſci* & quidem *ira effervеſcere*, uti vulgo creditur, ac ſi קצף primaria ſignif. nihil aliud diceret quam *effervеſcere;* ab *effervеſcentia* autem aquarum *Spuma* exiſtit; quod eo magis placuit, quod adderetur על פני המים. Hiſce ſequentia oppono: primo קצף *iraſci* ab *effervеſcendi* metaphora dici incertum eſt, &, ut mox oſtendam, falſum; *fervoris* ergo ſignif. ſublata, *ſpumæ* illa vehementer labefactatur: Secundo apud *Joelem* cap. 1:7. ubi itidem קצף ſeu קצפה occurrit, *ſpumæ* ſignif. non convenit; unde *Vulg.* parum hic conſtans, *decorticationem* vertit; *Chald.* &

Raſhi

Rashi inepte *iram*, rectius Græci κλασμὸν & συγκλασμὸν, ut oſtendam. Tertio auctoritati *Vulg.* oppono Lxx. qui קצף non *ſpumam*, ſed φρύγανα *cremia* expoſuerunt; nec abſimiliter *Kimchius*, qui ſibi conſtans hic & apud *Joëlem* קליפת העץ *cortices ligni* intelligit. Ex Arabiſmo rem extricabo. Arabice קצף ſeu قصف eſt *frangere*, *rumpere*. Abulphar. pag. 240. مـــا بينكم وبين ان ينقصف ظـــاهـــر انقصاف الشجر مـــن الـــريح *Nihil impedit quominus Dhaherum frangatis, ut arbor a vento diffringitur.* ريح قـاصف eſt *ventus frangens* in *Corano*, quam locutionem alibi explico. אלקציף apud *Zjauhar.* & *Ibno Maruph* eſt *fractus arboris ramus.* Hinc patet Græcos optime apud *Joëlem* קצפה συγκλασμὸν reddidiſſe; & Syrum & Arabem פושחא & كفسيخ, id eſt, *diſcerptionem.* Neque minus recte in hoc loco noſtro φρύγανα dederunt, quam veram vocis קצף ſignif. eſſe mihi vero maxime eſt ſimile, quod quomodo a קצף *frangendo* derivetur palam eſt; atque æque vox hæc vocibus על פני המים *ſuper aquas*,

quam *ſpuma* conjungetur: Similem metaph. adhibet *Moham.* in *Corano Sur.* 23: 43. فاخذتهم الصيحة وجعلناهم غثاء *Pœna ipſos corripuit, eoſque quiſquilias fecimus* aqua aſportandas. غثاء teſte *Zjauh.* ſunt *quiſquiliæ, arborum folia, feſtucæ, quæ deferuntur ab aquæ fluxu.* Ab hac *frangendi* aut *rumpendi* primaria notione קצף *iraſci* potuit dici, quaſi *ira rumpi* dicas, quæ locutio & Latinis nota eſt & Græcis. Arabes ita loquuntur: مير *rupit, fregit, diſſecuit*; inde in paſſ. eſt تمير من الغيظ in *Hiſtor. Tamerl.* & *Alcorano* Sur. 67: 8. *Ruptus fuit ira.* Qui קצף *iraſci* a *fervendo* dici volunt, fruſtra ſunt; in nullo enim Orientis dialecto *fervere* קצף eſt; neque ſi חרה, יחם & *iraſcendi* alia verba *fervorem* denotant, inde ſtatim aſſumere licet, idem in קצף accidiſſe; illa enim exemplorum agmine ſe defendunt, quæ *fervoris* notionem iis evidenter tribuunt; at קצף nuſquam pro *fervere* invenitur; neque linguarum peritis ignotum eſſe poteſt, variis ſæpe metaphoris verba in eandem conſpirare ſignificationem.

Verſ. 10.

Verſ. 10. באותי ואסרם ואספו עליהם עמים באסרם לשתי עינותם.

Cum pleraque omnia, quæ in Prophetia *Hoſeæ* continentur, tam quoad res, quam quoad verba, haud exigua obſcuritate premuntur, tum locus hicce in primis: in quo explicando quot fere Interpretes, tot diverſæ proveniunt Interpretationes.

Primum monendum eſt mihi, *Maſorethas* pro עינותם *fontes eorum*, quod eſt in textu, legendum proponere עונותם *iniquitates eorum*; in quem ſenſum jam olim *Hieronymus* Lxx. ſecutus vertit: לשתי עינותם *propter duas iniquitates eorum*, quem non pauci ſequuntur. Verum infeliciter valde ac contra ingenium linguæ mutatio hæc inſtituta eſt: genus enim repugnat, cum שתי *duæ* fœminini ſit, at עונות maſculini generis, neque hic ad enallagen generis recurrendum eſt, cum iſta figura abſque ſumma neceſſitate admittenda non ſit. Mirum autem fortaſſe videbitur quod עונות fœmineum genus terminatione præferens, maſculinum eſſe dicam; ita tamen omnia, quæ obſervavi exempla, docent, neque diverſum ullum animadverti. Pſalm. 38: 5. עונתי יכבדו Pſal.

79: 8. עונות ראשנים Eſai. 59: 2. עונותיכם היו מבדלים ne plura nunc enumerem. Et quis neſcit quam plurima apud Hebræos maſculina pluralem habere terminationis, non poteſtatis fœmininæ. Jam vidimus, mutationem illam haud bene ſuccedere, neque bene legi עונות a עון *iniquitas*.

Minori ſtudio ii refelli poſſunt Interpretes, qui עונות *habitationes*, *manſiones*, quaſi a מעון exponunt; aut *ſulcos*, quaſi a מענית ſeu potius מענות ut legitur in textu, quæ mens eſt *Ab. Eſræ* & *Kimchii*, & hiſce aſſentientium Belgarum: **Als ihſe binden ſal in haar twee bozen.** באסרם לשתי עונותם. Huic verſioni, quia pleroſque in ea acquieſcere video, haſce oppono rationes: Primo מענות unquam *ſulcum* notaſſe valde dubitem; unico enim in loco, ubi tantum occurrit, convenit ea quidem notio, neque tamen plane neceſſaria eſt, Pſalm. ſcil. 129: 3. Unde nec ea a Veteribus Interpretibus agnita fuit. Convenit etiam *afflictio*, aut ut Vulg. *prolongaverunt iniquitatem*: id eſt, iniqui in me fuerunt, affligunt me diu multumque. Vides hoc pacto fundamentum, quo עונות *ſulcos* reddunt, non leviter ſubrui ac moveri. At detur eum eſſe vocis מענות ſignificatum, quid voci huic commune

mune cum עינות, quod & alterius eſt formæ, & aliam præfert radicem. Sed & hoc concedatur עינות eſſe *ſulcos*, quis tandem iſte erit ſenſus? *Quum ligabo eos ad duos ſulcos eorum.* Quid hic *ſulci?* quid *duo ſulci?* aut quo tandem pacto *ſulcis alligabuntur?* Quam aliena hæc interpretatio, quam longe petita, quam parum ad rem! Mitto jam באסרם coacte reddi, *cum ligabo eos*, quod eſſet באסרי אתם: illud tantum addam, cum textus Hebraicus legat עינותם *fontes eorum*, non עינותם, id eſt, ut illi volunt, *ſulci eorum*, vel hac ſola ratione receptam verſionem immenſum labefactari, tutiuſque multo τῷ *Chetibh* quam τῶ *Keri* poſſe adhæreri. Huic ergo viæ inſiſtens R. *Salomo* ita verba extricare conatur: *Ad ligandum eos* לשתי עינותם *ad duos eorum oculos*, inſtar vitulæ aut vaccæ, cui inter arandum oculos utrimque religare ſolent. Atque in hanc mentem *Jonathan* paraphr. habet; כמיסר פרגא על תרתין עינוהי *Sicut ligatur par boum ad duos eorum oculos.* Aliter tamen exemplaria noſtra verba Jonathanis præferunt. L. *de Dieu* hoc pacto rem expedire conatur: *Et congregabuntur adverſum eos populi* באסרם *conſpirantes, in ambos ipſorum oculos;* conſpirant ut ambobus eos oculis privarent,

quod extremæ eſt miſeriæ. Hæc vir Doctus. Quod ſi ſenſus hicce placeret, nec quid impediat video, commodiore longe ac Hebraiſmo convenientiore modo verba explicarem. Illud enim in *L. de Dieu* verſione incongruum videtur, quod primo non verbum אסר de *liga*, id eſt, *conſpiratione* uſu veniat, ſed verbum קשר: tum, ſi concederetur illud hujus naturam imitari, conſtructio repugnaret, dicendum enim fuiſſet על שתי non לשתי; denique durius videtur & inſolens: *Conſpirare in oculos.* Limpida magis & naturalis, ac Hebraiſmo propior erit dictio, ſi ita verba exprimas: *Et congregabuntur adverſum eos populi, ad duos eorum oculos ligandum;* eodem, quo Vir Doctus, ſenſu. *Ligare* enim *oculos* eſt *excæcare.* Ita dicunt Arabes شمل عينيه *ligavit oculos ejus*, id eſt, *lumine privavit*, cujus locutionis exempla quædam ex *Abulphar.* & *Hiſt. Sar.* dedi in ſpecim. meo *Obſerv. ad Gen.* cap. 3. Sic & a verbo كف *ligare* dicunt كف بصره in paſſ. *ligatus fuit viſus ejus*, id eſt, *occæcatus* & *extinctus fuit. Toph. Diſſert.* p. 9. تخيل حال من خلق مكفوف البصر *Animo finge ſtatum cujuſdam, qui cæcus natus*

tus ſit. In Arabico eſt *ligatus viſu.* Fundamento etiam interpretatio hæc non deſtituitur ex Hebraiſmo: phraſis enim illa quæ bis apud Eſai. legitur, עצם עיניו *excæcavit oculos ejus*, vera ac propria verborum ſignificatione notat, *ligavit oculos ejus*, prout loco citato aperui. Magis tamen huc faceret, ſi vera eſſet, quam ibidem loci propoſui conjecturam, אסורים *ligatos* apud Eſai. cap. 61: 1. nihil aliud eſſe quam *cæcos.* Eſt tamen, quod tum hanc, tum *Jarchii* etiam expoſitionem labefactat & evertit, quod linguæ conſuetudo perpetua ferat, ut עינות *fontes* ſint, *oculi* עינים dicantur; neque diverſum unquam exemplum obſervavi. Itaque & hic, ſi accurati interpretis officio defungi velimus, illud עינות de *fontibus* erit explicandum, quod ut juſto procedat modo, שתי non capio pro voce numerica, quid enim *duo* eſſent *fontes?* verum deduco a verbo שתה *bibere*, unde eſt שתי *potatio* Eccleſ. 10: 17. Hinc talis evadet ſenſus: *Ad potationem fontium eorum.* Vel, ſi omnino puncta retinenda ſunt, *ad potationes*, formæ pluralis τῶν מִשְׁתֵּי כְלֵי ac ſimilium. *Fontes eorum* vocat, terræ Iſraëliticæ abundantiam, ac rerum omnium affluentiam, inexhauſtaſque & perennes mellis, ut loquitur

tur Scriptura, ac lactis ſcaturigines. Ad has epotandas hoſtes Iſraëlis congregarentur. Unicum eſt, quod negotium mihi juxta cum ceteris Interpretibus faceſſit, ſermonemque liquidum alias ac leniter decurrentem turbat; באסרם nimirum, quod hiſce לשתי עינותם conjungi ſolet, ac eo quidem, quod *Lamed* ל poſt אסר id denotet, cui quid alligatur, ut Gen. 49. עירה אסרי לגפן *viti alligans pullum ſuum.* Incommodus vero hoc pacto reddetur ſenſus, nec juſte procedens, ſi illud באסרם cum ſequent. copuletur; qua enim ratione dici poſſit *ad alligandum eos potationi fontium*, equidem non video. Coactus igitur ad Arabiſmum confugio, atque לו באסרם non ſequentibus aggrego, ſed cum præcedenti עמים conjungo. עמים באסרם elegantiori Arabum locutione, ſunt *populi univerſi:* امم باسرهم. *Abulphar. pag.* 150. Hiſt. Dyn. *Apparuit in cœlo ſignum mirum* وبردت حرارة الشمس السنة باسرها *Remiſſuſque toto anno fuit calor ſolis.* In Arabico pro *toto anno* eſt אלשנה באסרהא. Et pag. 428. ان الارض باسرها اعطيتها لتموجين *Univerſam ego terram Tamusjino dedi* ארעא באסרהא. Iterum pag. 130. *miſitque eos* الي

الي بلاد المشرق بـــاسرهـــا

per universum orientem, Indiam usque & extremos Sinas. Sic in *Histor. Sar.* pag. 220. وملك الجبل باسره *imperioque universam regionem montanam subjecit:* ומלך אלגבל באסרה, id est, partem *Persiæ* ita dictam, *Parthiam* alias appellatam. Non recte *Erpenius.* Plura ac luculentiora suppetunt exempla, verum hæc sufficere puto. Unicum tantum addo ex *Locmanni Fabul.* أن العالم باسره يحب الحياة الدنيا *Mundus profecto universus vitam diligit mundanam* עולם באסרו. Ita & *Hoseas* עמים באסרם *universi populi.* Totus ergo locus ita vertendus: באותי ואסרם *voluntas mea est* (proprie, in voluntate mea est, quem Arabismum, cum alii, tum ego ad Jobi cap. 23: 13. aperui) *ut castigem eos; itaque congregabuntur adversus eos* עמים באסרם *populi universi*, alias כלם dicunt Prophetæ, לשתי עינותם *ad epotandos eorum fontes;* quod quo modo intelligendum sit, jam supra declaravi. Ne tamen contentione magis, & dissentiendi insana libidine (quam invidiam toto animo deprecor) quam veritatis studio duci videamur, diffiteri nolo, locutionem hanc, licet sensum perfacilem reddat atque

que perſpicuum, non ſatis genuinum Hebraiſmum redolere; mihi hoc ſaltem, aliis ſecus judicare licet; quapropter ita libentius, coactius licet nec æque fluide, verba exprimerem: *Itaque congregabuntur adverſus eos populi, ad ligandum eos*, quid tum? *ut epotent fontes, ad fontium epotationes.* Non poſſum hic non addere, ſi ita באסרם capere velis, percommode illud ac Prophetiæ ſcopo convenienter intelligi poſſe de *abductione in captivitatem*, quum enim Deorum *Iſraëlis* deportationem in *Aſſyriam* vſ. 5, 6. Regis etiam vſ. 7. prædixiſſet, hoc vſ. univerſam totius populi calamitatem & exilium ab *Aſſyriis* imminens denuntiat. Magis hoc etiam orationis ſeries poſtulat, hoſtium enim irruptionem in terram captivæ multitudinis deportatio conſequi ſolet. Hoc uſu verbum אסר ſeu اسر Arabibus frequens eſt, ſcil. *captivum abduxit in bello*, ut *Golius* exponit. Sexcentis hoc ex Arabum Hiſtoricis petitis exemplis confirmari poſſet; verum ex multis pauca hæc ex *Abulphar.* habeto. *Hiſtor. Dynaſt.* pag. 381. وقتل من عسكرهما جماعة واسر جماعة *Multique ex eorum exercitu cæſi, multi etiam capti ſunt.* Iterum pag. 378. *Cæſaque eſt magna*

magna eorum multitudo, decem paraſangarum ſpatio inſequentibus ipſos Gorgianis يقتلون ويأسرون *cædentibuſque & capientibus,* وقتل اكثرهم واسر اربعة الف رجل *occiderunt autem eorum plerique, captivi vero abducti quater mille.* אסר ארבעה אלף. Et p. 473. ودخلت عساكر المغول الي المدينة ونهبوا واسروا البنين والبنات *Exercitus autem Mogulenſes urbem ingreſſi, ea direpta, pueros & puellas captivos abduxerunt.* אסרו *ligarunt* in Arabico eſt. Adde *Hiſt. Tam.* p. 282. واخرجوا مالهم قبالة وحريمهم سبايا واولادهم اسارى *Opes eorum in prædam, uxores captivas & liberos vinctos abduxerunt.* Unde patet אסר idem eſſe quod שבה; Hebræis etiam ita אסר veniſſe monui ad *Jeſai.* 22: 3.

ANIMADVERSIONES PHILOLOGICÆ IN OBADJAM.

Cap. I.

Vers. 3. שכני בחגוי סלע

Interpretes τὸ ι in שכן mere habent paragogicum. Ego vim affixi hic & alibi retineri oſtendi ad Geneſ. 49: 11. חגוי quod vulgo abſque probatione, *fiſſuras* notare docent, vi vocis *aſyla*, *refugia* ſignificare ex Arabiſmo palam feci ad Eſai. 19: 17. ubi ejus ſingulare exſtat. Sequitur מרום שבתו & אמר בלבו, quæ pro לבך & שבתך ſunt poſita; Arabes ſic ſolere monui ad Jobum cap. 18: 4. ubi exemplum habes ex eloquentiæ apud Arabas facile principe *Hariræo*. Recte ergo

go *Vulg.* utrobique *tuum*; neque hoc nomine taxandus.

Verſ. 7. לחמך ישימו מזור תחתיך

Novum licet hic incipiat colon a priori membro per *Atnach* diſcretum, tamen Interpretes illud לחמך ad antecedentia rejiciunt: *prævaluerunt tibi viri pacis tuæ* אנשי שלמך; *qui comedunt panem tuum.* Ita לחמך vertit Vulg. Sic *Chald.* אכלי פתורך *qui ad menſam tuam comedunt.* Supplent אכלי prout plene exſtat Pſalm. 41 : 10. quapropter hæc rejicere non auſim. Difficultas tamen eſt, ut dixi, novum hic incipi ſenſum; quæ tollitur, ſi ita vertas: *Carnem tuam ulceroſam tibi ponunt.* לחם eſſe *carnem* quandoque, diu eſt quod Eruditi monuerunt. Quibus addo *belli* ſignif. ſub hac radice hinc repetendam eſſe, tanquam *faire du carnage.* Lxx. & *Vulg.* מזור *inſidias*, vertunt; ut & Chaldæus, qui תקלא habet; qua ratione aut fundamento non video.

Verſ. 16. לעו והיו כלא היו

Occurrit verbum obſcurius לוע, ut vulgo ponitur; quod *abſorbere* notare putant

:erpretes Judæi & Chriſtiani; vel in-
ınſitivam potius ei tribuendam volunt
nificationem nonnulli: *Abſorberi.* Tria
univerſum exſtant loca, ubi verbum re-
:ritur; ſcil. præter hunc Jobi cap. 6: 3.
Prov. 20: 25. Non præfracte rejicere
:lim receptam hanc ſignificationem: val-
: tamen incertam eam video. Lxx. qui-
:m & Hieron. hic *abſorbere* vertunt, ſcil.
uia שחו præcedebat, ut & Chald. qui בלעם
abet, quod Raſchi tamen aliter explicat,
:tourdiſſon ſcil. hodie *étourdiſſement.* At
liis in locis ſibi non conſtant. Job. 6: 3.
.xx. לוע explicant φαῦλον εἶναι. Vulg. *do-*
)re plenum eſſe: Chald. אישתלהי *fatigari.*
'rov. 20: 25. קדש ילע reddunt Lxx. ταχὺ
, τ ἰδίων ἁγιάσαι. An Arab. ولع, quod
ſt *avide & leviter rem aggredi*, reſpexe-
unt? num potius rad. لغ *temere aliquid*
ffutire. Chaldæus רנריר לקודשא *qui votum*
oncipit Sanctitatis. Vulg. ſui hic ſatis ſimi-
is: *Devorare Sanctos.* Sic fere hodie: *De-*
vorare Sanctum; hoc ſenſu: *Laqueus eſt ho-*
mini, devorare Sanctum; ואחר נדרים לבקר
Et poſtea votis requirere. Locus eſt perquam
difficilis, cujus diverſiſſimæ ſunt Eruditō-
tum expoſitiones. Cauſa eſt, quod לוע *ab-*
ſorbere hic reddendum putant. Revera ſi

ילע

ילע בקרש *abſorbet Sanctum* notat, quia tandem via ſenſus explanetur non video. Quid enim? an Sanctum, ſeu caro, ut volunt, Sacrificiorum contra legem devorata requiri poteſt votis? nihil tale in Lege. Hæc difficultas alios verba אחר נדרים לבקר a priori ſententia disjungere coëgit, & duplicem ponere laqueum: *Devorare Sanctum:* &, *poſt vota inquirere*, num ſcil. ſolvere velis, an potius ea diſſolvere. Referri hic poteſt, ſatis manifeſto duo cola ſibi reſpondere, neque duplicem ſententiam eſſe fingendam, alias enim ut in priori ילע dixerat, ſic in poſteriori יבקר dixiſſet. Tum hoc adde, בקר non eſſe *inquirere & ad examen revocare* aliquid. *Kimchius* putabat לוע hic poſſe ſumi בלשון דבור hoc ſenſu: *Laqueus eſt homini temere ut nuncupet; Sanctum eſto: Atque tunc de votis inquirere.* Huic ſuffragaretur Arabiſmus ubi لغي eſt *temere effutire*; attamen rejicio hanc interpretationem, quia ſignif. iſta omnibus locis non quadrat; tum etiam quod בקר non notet *ad examen revocare.* Vidimus jam ſignif. *abſorbendi* nec certam eſſe adeo, nec commodam, & a ſuis auctoribus deſeri. Arabicum לעה لغي eam poſſidet ſignificationem, qua tribus locis convenientior nulla inveniri poſſet alia.

Nempe لغي exponitur per خاب & بَطل *Vanus, irritus, fruſtraneus fuit.* Videamus loca. Job. 6: 3. על כן דברי לעו. Lxx. Chald. & Vulg. *abſorbendi* ſign. hic non agnoſcunt, ut ſupra vidimus. R. Levi נשחתו *perduntur.* Raſchi מגומגמים *ſubmiſſe pronuntiantur;* non a לוע *abſorberi*, quod *abſorbeantur* quaſi, uti videri poſſet, citat enim Obad. vſ. 16. ubi *ſtuporem* eum explicare monui; hic autem *ſtuporem* ſe debilitatemque, *linguæ*, qualis ebriorum eſſe ſolet, intelligere declarat. Huic iterum faveret Arabiſmus, ubi لغي eſt *temere effutire*, & أخطا *errare in dicendo.* Hæc a *vani* notione, quam verbo לעה tribui poſſe conjicio, non longe abſunt; ſtrictius tamen retinere eam volo hoc pacto: *Ideo verba mea vana ſunt*, φαῦλα ἔσι, quod varie præc. vel conſeq. aptari poſſet. Prov. 20: 25. *Laqueus eſt homini* ילע קדש ואחר נדרים לבקר *quum Sanctitas vana eſt & inanis, votis eam quærere.* Hic eſt ſenſus: Quum vera quis ſanctimonia deſtitutus eſt, eamque in votis ſuis & cultu externo quærendam putat, atque ita in cortice hæret religionis, ſalutemque ſibi ex operibus iſtis externis promittit, illud equidem laqueus eſt miſere animas irretiens, & in certiſſimam trahens damnationem.

Quid

Quid clarius hoc effato, quid verius? Arabs id diceret ان بطلت القدس. contra τῷ حقت quum *vera est*, nam بطل *vanum esse* & حق *verum esse* sæpissime opponuntur. Tandem videamus de loco Obad. ubi etiam convenientissima est signif. nostra ולעו והיו כלא היו *Et vani erunt*, id est, *in vanum, in nihilum recident, & erunt tanquam qui non fuerant.* Verba خاب *frustra esse* & بطل *vanum esse*, per quæ לעה declarari dicebam, sæpe hunc usum assumunt. Apud Metaphysicos بطل *vanum esse* constanter notat *annihilari*, apud Historicos frequentissime, *aboleri, exstirpari, perire.* Sic خاب usitate in Corano. Sur. 20: 64. يسحتكم بعذاب وقد خاب من افترى.

Perdet vos pœna, & frustra est, qui Deo mendacia assuit. Frustra est, est *exstirpatur, perit:* sic sæpe alibi. Negotium non facessit בלעך Prov. 23. unde לוע *gula* esse dicitur, quid ni enim ad בלע quod indubie *absorbere* notat referatur, unde בלוע *gula.* Arabice certe بلع & مبلع *gula* est a בלע بلع. Idem sensisse videntur

Iben Eſra & *R. Levi*, בית הבליעה expo-unt, nulla mentione radicis לוע facta, ed clare ad בלע reſpicientes. Raſchi ex Chald. vocis ſignif. לחיים *maxillas* intelli-it, nam לוע in Targum לחי reſpondet.

ANIMADVERSIONES PHILOLOGICÆ IN NAHUM.

Cap. I.

Vers. 12. *Sic ait Dominus* אם שלמים וכן רבים וכן נגוזו ועבר.

LXX. κατάρχων ὑδάτων πολλῶν, καὶ ὅτως διασαλήσονται. Legerunt המשל מים וכן רבים. Rectius *Vulg. Si perfecti fuerint, & ita plures,* וכן נגוזו *sic quoque attondentur & pertransibit.* Eodem modo illud נגוז sumunt cum aliis Interpretibus *Belgæ;* quasi a rad. גז & opportune conferri jubent *Esai.* 7: 20. Alii a גז *avel-*

tentur, vel *abſcindentur*. LXX. Ἀφαλήσονται; quod non ſpernendum. Radix enim נוז hoc ſenſu potiſſimum venit, uti oſtendi ad *Pſalm.* 90. *R. Salomo* ſimiliter locum explicuit hic, & ad *Num.* 11: 31.

CAP. II.

Verſ. 7. *Et Hutzab in exilium acta eſt*
ואמהתיה מנהגות כקול יונים
מתפפות על לבבהן.

Non una Interpretum de verbis hiſce mens eſt. *Vulg. verſ.* ita habet: *Et ancillæ ejus minabantur, gementes ut columbæ, murmurantes in cordibus ſuis.* מנהגות vertit *minabantur*, id eſt, *agebantur pecorum ritu.* Feſtus. *Agaſones equos agentes, id eſt, minantes.* Certum eſt נהג ſæpe eſſe *minare*, ut Pſ. 80: 2. נהג כצאן יוסף *Qui minat ut oves Joſephum;* tamen ea ſignificatio hic non convenit, quia מנהגות eſt tranſitivum & vim habet activam, unde male in paſſivo expreſſum fuit a *Vulg.* Supplet dein ante כקול *gementes*, quod in Hebraico, ubi ſemel נהג pro *minare* ſumſeris, non apparet. Alii מנהגות vertunt *deducentes*, & duplici ſupplemento ſenſum expediunt, hoc pacto: *Et an-*

ancillæ ejus deducentes (ſupplent *eam*) *inſtar columbarum voce* (ſupplent iterum *gementes*) *& pectora pulſantes.* Belgæ noſtri duplex etiam ſupplementum immittunt, pronominis ſcil. *illam;* **ſullenſe geleiden**/ cum in Hebraico tantum ſit; **ſullen geleiden**; & dein כקול **als** [met] **een ſtemme der duiven.**

Supplet & paraphraſtes *Chaldæus* cum *Aben Eſra* verbum *gemere* in hoc loco. אמהתהא מרברן אולן בתרהא מנהמן כקל יוניס *Ancillæ ejus ducunt & incedunt poſt eam, gementes inſtar vocis columbarum.* Nec ſine ratione ita ab Interpretibus fuit repoſitum, nam & ſenſus omnino hoc poſtulabat, & naturæ columbarum apprime conveniebat. Nihil enim frequentius omnibus in linguis, quam ut *gemitus* columbis adſcribatur. Eſai. 38: 14. אהגה כיונה *gemebam ut columba.* Lxx. ὡς χελιδὼν οὕτω μελετῶ· quod non recte *Vulg.* expreſſiſſe videtur, *meditabar ut columba; meditari* enim, quod ſciam, de columbis querulis non dicunt Latini, ut Græci de iis μελετᾷν· ſed in viam: Arabibus columbæ ſpecies *Onun* اذن audit, quam ita dictam teſtatur *Demirius* a verbo ان. *gemere.* Græcis τρύγων *turtur* dicitur ἀπὸ τοῦ τρύζειν· & verbum γέμειν *gemere* (ſtennen

Belgica voce :conſonante) columbarum etiam proprium eſt, unde apud *Theocr.* ἔϛενε τρύγων. Tandem *gemere* apud Latinos peculiariter de columbis dicitur. Auctor *Philomelæ*:

Et caſtus turtur atque columba gemunt.

Hiſce adducti viri quidam Eruditi, & ut ſupplementa evitarent pro מנהגות *ducentes* legi volebant מהגות *gementes*, una literula exemta. At temere mutatio inſtituitur; conſtanter enim in omnibus Codicibus lectio מנהגות retinetur, & a vetuſtiſſimis Interpretibus ita lectum fuit. Quid ergo? dico מנהגות omnino reddendum eſſe *gementes*, at nulla facta mutatione textus; Arabice enim נהג ſeu نهج notat *ſuſpirare gemere*, *ſuſpiria ducere*, ut ſenſum ab omnibus Interpretibus expetitum ſine ullis ſupplementis hoc pacto ex Arabiſmo habeamus.

Et ancillæ ejus gementes tanquam vocem columbarum, &c.

Maxime proclive eſt a ſignificatione *ducendi*, qua נהג gaudet, *gemendi* alteram illam derivare; *gemere* enim nihil aliud eſt quam *ſuſpiria ducere*. Alcoran. Sur. 35: vſ. 9. لا تذهب نفسك عليهم حسرات

Ne ducat anima tua propter eos ſuſpiria. Exemplo plane ſimili res clara fiet. Verbum נגר eſt *ducere*, unde נגיד *Dux*, *antiſtes*; hinc Hebræi poſteriores & Arabes ſignificationem *gemendi*, *ſuſpiria ducendi* efformarunt. *Thalmud Babyl. Berach. cap. 9.* נגר רב חסדא ואתנח *Duxit Raf Chaſda & ſuſpiravit; duxit*, intellige *ſuſpiria*, *gemuit*. Eſt & alius locus a *Buxtorf. in Lex. Thalmud.* citatus ex *Megill. fol.* 16: 1. אינגיד ואיתנח *Duxit* ſuſpiria *& ingemuit.* Arabice etiam נגר ſeu نَجَرَ notat *angi*, *ſuſpirare.*

CAP. III.

Verſ. 18. *Conſopiti ſunt paſtores tui; ô rex Aſſur, decubuerunt magnifici tui.* נמשו עמך על ההרים ואין מקבץ

VAriant Interpretes in expoſitione verbi נמשו quod ἅπαξ λεγόμενοις merito accenſemus; licet enim ad radicem נוש plerumque referri ſoleat, ſignificationem tamen aliunde petere coacti fuerunt. Scil. quum מוש *abundantiam* & *affluentiam* bonorum, ſaltem ex mente Interpretum, notet, ſignif. hanc plane huic loco non convenire facile animadverterunt.

Re-

Recurrerunt ergo ad rad. פוץ quod eſt *diſpergi* ut *Lud. Capell.* qui ita ad locum hunc: „ נפשו videtur poſitum pro נפצו ob litera- „ rum *Schin* & *Tzade* ſoni affinitatem: „ ſunt enim ambæ ejuſdem organi: פוץ au- „ tem eſt *diſpergi*, *diſſipari* huc & illuc. “ Eodem etiam plane modo rem inſtituit *L. de Dieu.* Alii tamen, quum viderent *Schin* & *Tzade* apud Hebræos non eſſe literas permutabiles, ſatis duxerunt ex ſenſu, quem locus poſtulat, reddere: *Diſſipatus eſt populus tuus ſuper montes, & non eſt qui congreget*, vel *diffugit populus tuus*, vel *diffudit ſe*, vel *latitavit*, & ſimilia veram verbi notionem & originem ignorantes. Ipſe etiam *Kimch.* in *Libr. Rad.* locum hunc explicare auſus non eſt, contentus monuiſſe a *Jonathane* redditum eſſe אתבדרו עמך *diſperſi ſunt populus tuus.* Ut tandem certi aliquid Eruditis proponam, relicta rad. פוש recurro ad Arabicum נפש ſeu فشش, quod ſignificationem habet egregie adeo loco huic convenientem, ut eam hic admittere proclive ſit. Scil. نفش نفس dicitur de *gregibus* ovium, camelorum &c. *quum ſine paſtore divagantur & neglectui habentur, nemine curante aut dirigente.* Ita dicunt نفشت الغنم נפשת אלענם *ſine paſtore vagata*

gata fuit & neglectui habita grex. Annotant etiam *Lexicographi* peculiariter dici נפש ſi *noctu* id fiat; nam המל همل dicitur de *grege*, quæ libere *evagatur* ليلا ونهارا بلا راع *noctu & interdiu ſine paſtore;* at verbum נפש دغش, quum *noctu tantum* ليلا فقط *Sjauharius.* Alcoran. Sur. 21 : vſ. 78. وداود وسليمان ان يحكمان في الحرث اذ نفشت فيه غنم القوم *Et Davidem & Salomonem, quum judicarent in agro, quum in eo libere divagaretur grex populi.* Optime Gallice expreſſit *Ryerius*: *Dans le champ ou les troupeaux du village étoient entrez la nuit ſans bergers.* Vides eum omnem ſignificatum verbi נפש دغش exprimere. Dicunt porro ابل دغش *Ibil Naphaſch noctu ſine paſtore divagantes cameli*; & تركه دغشا תרכה נפשא *relinquit eum incuſtoditum, ejus nullam gerit curam.* De nihilo non eſt, quod verbum נפש ſpecial. *noctu evagari* notet: nam hoc cum præced. convenit, ubi *paſtores dormire* dicuntur, & difficultatem *congregationis* adauget, quæ noctu non æque facile atque interdiu fieri poteſt. Totus ergo locus noſter ita vertendus: *Somno ſopiti ſunt paſtores*

ſtores tui, ô Rex Aſſur, decubuerunt magnifici tui ποίμνες λαῶν, *populus tuus* tanquam *grex ſine paſtore noctu divagatur per montes, nec eſt qui eos congreget.* Ubi inſuper notari meretur, קבץ etiam eſſe paſtorum proprium, quum oves diſperſas *congregant;* patet id ex Ezech. 34: 12. ubi Deus, poſtquam Iſraëlem gregi diſperſæ comparaſſet, addit ſe eos tanquam paſtorem eſſe congregaturum וקבצתים מן הארצות *eoſque* ait *ex terris congregabo* ורעיתים *& paſcam eos in montibus Iſraëlis.* Non putem cuiquam hanc expoſitionem improbatum iri eo nomine, quod *Cholem* in נפשו *Napoſchu* occurrat, ac proinde radicem פוש potius poſtulet: nam quis ignorat etiam apud Hebræos multa verba in Kal Cholem poſſidere, ut יכל *Jachol*, יגר *Jagor*, קטן *Katon* & ſimilia; apud Arabes autem omnia fere verba *Cholem* in prima conjug. recipere poſſunt. Ceterum פוש in cujus ſignificatione ponenda fluctuant Interpretes, proprie *ſuperbire* dicere, ut فاش ex conjectura aperio ad *Jerem.* cap. 50.

Ibid.

Ibid. verſ. 18. נמו רעיך מלך אשור ישכנו אדיריך *dormitant paſtores tui, ô Rex Aſſur,* ישכנו *magnifici tui.*

Turbat hic Interpretes illud ישכנו; nam cum שכן *habitare* notet, ſignificatio ea cum prioribus non recte cohærere viſa eſt; non enim apte hæc fluunt, *dormitant paſtores tui, habitant magnifici tui.* Unde *Vulg.* maluit ישכנו reddere *ſepelientur*, quem ſecutus eſt *Kimchi* in *Comment.* ſuo: *Erant quaſi jacerent in ſepulcro*, & in *Lex. ad h. l.* והוא מנוחת המות *intelligenda eſt quies mortis*, atque ad hoc adducit locum Pſ. 94: 17. Certum eſt verbum שכן aliquoties in Sacro Codice eam vim habere, quam ei hic tribuunt *Vulg.* & *Kimch.* quod pluribus etiam ex Arabiſmo illuſtravi ad Jeſ. 22: 16. quo minus tamen hoc loco שכן ita capi poſſit, hiſce efficitur rationibus. Primum, שכן abſolute poſitum non ſignificat *jacere in ſepulcro*, ubi autem ita ſumendum ſit circumſtantiæ loci indicant; ut Pſ. 94. quem citat Kimch. ad eam ſignif. reſtringitur שכן quia conjunctum ſit cum דומה *ſepulcro* ita ab *ſilentio* dicto. Eodem modo Eſai. 26: 19. cum עפר conjungitur itidem *ſepulcrum* lo-

notante: conf. not. meas ad Job. 17: 16. in Pſ. 16: 9. Chriſtus tanquam ex ſepulcro loquitur: *Caro mea* ישכן *ſecure*. Verum hic nihil tale quicquam apparet, quod ſignif. hanc admittendam indicet.

Deinde ne quidem ea loco noſtro recte convenit, quid enim *ſepultos* & *terræ mandatos* neceſſe erat dicere paſtores, ut inde gregis divagatio oriatur, cum ſufficiat eos vel *mortuos*, vel lenius adhuc, *ſomno ſopitos* dixiſſe; proinde inconcinne valde *ſepulturæ* mentio hoc loco fieret. Poſtremo aliud exigit conjunctio cum verbo נמו *dormitaverunt*. Refutatione ſententiæ hujus viam aperire volui Arabiſmo, ubi enim *Vulg.* verſionem non convenire conceſſeris, nulla huic loco explicando ratio ſupererit, niſi ex Arabica lingua. Examina enim ſenſum, quem dant Interpretes, qui a Vulg. recedunt, & coactum admodum aut obſcurum eum animadvertes: *Et habitant magnifici tui*, quod cum præced. non cohæret; rectius paulo *Gallic.* verſ. *ils ſe ſont tenus en leurs tentes*; ſed & illud coactum, neque ſatis apte antecedenti נמו *dormitarunt* reſpondet, neque etiam ישכן recte ita exponi poteſt: eſt quidem *habitare in tentorio*; σκηνῶν Græca voce conveniente; at plane id differt

fert a *reſter dans les tentes.* Et ſane adeo difficile eſt hoc loco illud ישכנו convenienter orationis ſeriei explicare, ut non dubitarint audaciores Critici ex Lxx. virali verſione novam procudere lectionem, ut ſcil. pro ישכנו legatur ישכבו *cubabunt, dormient*, quia Lxx. hic κοιμίζειν dederunt. „ Eſt au-„ tem (ſunt verba *L. Cap.*) illa τῶν Lxx. „ lectio hodiernæ hoc loco præferenda, „ hodierna enim coactum admodum & „ obſcurum parit ſenſum, illa vero pla-„ num & apertum &c. Ut ergo hodiernam lectionem probam eſſe oſtendam, ſimulque veram verbi hujus ſignificationem in hoc loco eruam, noto radicem שכן quæ *habitare* fere ſemper notat, primario ſignificare *quieſcere;* ita ſcil. Arabum Lexicogr. ſignificationem verbi hujus سكن ordinant; primo *quieſcere;* dein *habitare;* habitatio enim quies eſt; jure autem me ſignif. *quieſcendi* primariam ſtabilire patebit ex 1 Chron. 17: 9. ubi שכן & רגז *commoveri* opponuntur. Conferri etiam velim *L. de Dieu* ad Pſ. 68: 19. unde videbis idem eum mecum ſentire. Ab hac prima ſignif. *quieſcendi* proclive eſt ſenſum loci hujus planum reddere & apertum, hoc pacto: *Dormitant paſtores tui, ô rex Aſſur, quieſcunt ma-*

gnifici tui; quietem autem *ſomni* hic intelligas neceſſe eſt, ut cum anteced. נמו conveniat; nempe idem mutatis verbis repetitur a Propheta. Verbum שכן ſeu سكن ab Arabibus ad *quietem nocturnam ſomni* notandam uſurpari duobus exemplis ex Alcorano docebo. Surat. 40: vſ. 63. الله الذي جعل لكم الليل لتسكنوا فيه *Deus eſt, qui fecit vobis noctem, ut in ea quietem ſomni capiatis* לחשכנו פיה. Iterum Sur. 28: 72. قل ارايتم ان جعل الله عليكم النهار سرمدا الى يوم القيامة من اله غير الله ياتيكم بليل تسكنون فيه *Dic, videtiſne ſi Deus continuum vobis protenderet diem uſque ad reſurrectionem, quis eſſet Deus prater Deum verum Alla, qui noctem vobis immitteret* לחשכנו פיה *ut in ea ſomno reficiamini.* Alia ſuppetunt exempla, ſed hæc ſufficere puto. Non parum roboris obſervationi hinc accedit ex eo, quod duo *quieſcendi* verba נוח & שכת in ſimilem uſum adhibeantur ad Hebræis; ſcil. *ad quietem ſomni* notandam: illud Eſai. 57: 2. ינוחו על משכבותם *Quieſcent in cubilibus ſuis;* hoc Pſ. 127: 2. uti ibi ex Arabiſmo oſtendo; ſic & سبات de *quiete nocturna* uſurpatur, ne Græcorum ἀναπαύεσθαι & Lat. *quieſcere* nunc memorem.

ANI-

ANIMADVERSIONES PHILOLOGICÆ IN HABACUK.

Cap. I.

Vers. 4. לא יצא לנצח משפט

LXX. οὐ διεξάγεται εἰς τέλος κρίμα. Vulgat. *Non pervenit usque ad finem judicium.* At נצח nunquam rei *finem* denotat. Vulgo sumitur sensu, qui etiam verbis τῶν Lxx. tribui potest, *duci lites nec dirimi: In æternum non prodit judicium.* At tunc potius dicendum fuisset; לא יצא משפט לנצח. Adde mox subjungi יצא משפט מעקל. Ergo aliquando יצא. Commodissime exponetur: *Verum non exit judicium, sed* מעקל *perversum.* נצח sumo ut Arab. نصح *veritas, non fucata sinceritas.*

Hanc explicationem confirmare videtur Esai. 42: 3. ubi eadem est locutio לאמת יוציא משפט. Quod Esaiæ est לאמת, in Habacuko לנצח est. Sane loca quædam occurrunt, ubi נצח *veritatis* potius quam *æternitatis* notione sumetur. 1 Sam. 15: 29. נצח ישראל לא ישקר. Quidam: *æternitas Israëlis*. Alii: *Victoria*, νῖκος. Alii: *Robur Israëlis non mentitur*. Magis puto apposite & oppositе: *Veritas Israëlis non mentitur*. Thren. 3: 18. אבד נצחי ותוחלתי מיהוה. Non convenit hic *æternitas*, unde multi iterum *robur*: Quidni potius? *Veritas mea & spes periit apud Dominum*, id est; spes quam ex integritate & sinceritate mea conceperam. Sic videmus Jehizkiam ad אמת *veritatem suam* provocare Jesai. 38. Itidem נצח *veritatem* dicere videtur Job. 34: 36. uti ad illum locum monui in Animadv. in Jobum. Tandem sic sumi potest Prov. 21: 28. Adeoque certa videtur significatio hæc, ut putem non male eam hujus radicis primariam statui posse, unde *inconcussa firmitas*, indeque *æternitas* deducantur. Ita in אמן fit. *Monendi* etiam & *urgendi* significata commode hinc derivabuntur.

Vers. 6.

Vers. 6, *Ecce ſuſcitabo Chaldæos* הגוי המר והנמהר *gentem acrem & velocem.*

Ita verto, quia ut Latinis *acer* dicitur, qui *fortis eſt*, teſte Servio & Non. Marcel. ſic מר eodem ſenſu hic venire puto. Arabice certe radix مرر *amarum eſſe* ad *robur* & *virtutem* uſitatiſſime transfertur, unde مرة *Mirra robur*, *potentia*; & ذى مرة idem qui قوى in Zjauh. *fortis*, *robuſtus*, *validus*. Sic in Alcor. Sur. 53: 6. hæc duo conjunguntur قوى nempe & ذى مرة: Sic مريد *acris* eſt *validus*, *fortis*. Contra ע quod *fortem* proprie ſonat, de *amaro* ſumtum invenio Jud. 14: 14. in ænigmate Simſonis מעז יצא מתוק *de forte exiit dulce*, quæ non oppoſita videri poſſent, niſi acris & fortis notiones confundi conſtaret. Eodem modo Chald. תקף *fortem eſſe*, ad *acrimoniam* refertur in Thalmude; & Arab. مضر *acrem eſſe* videtur ab Hebr. מרץ transſumtum. Si tamen מר de *amarulentia* potius & *acerbitate* Chaldæorum hic capere lubeat, non multum repugnabo.

Ibid. הולך למרחבי ארץ לרשת משכנות לא לו.

Vulg. *ambulantem ſuper latitudinem terræ, ut poſſideat tabernacula non ſua.* מרחבי ארץ quomodo hic ſumi poſſit, quædam videri poterunt ad Deut. 33 : 20. משכנות quod *domos, tabernacula* ſtricte ſumtum denotat, moneo latius extendi poſſe ad *ditiones, regna, dominationes.* Arabicum مسكن משכן *domus* eſt; pro *regione* ſumtum invenio in Corano Sur. 34: 14. لقد كان لسبإ في مسكنهم اية جنتان عن يمين وشمال *Erat Sabiis in domo ſua ſignum: Paradiſi duo ab auſtro, & ſeptentrione. Domo*, id eſt, *ditione.* Sic Sur. 28 : 58. & 29 : 37. & 20: 128. Abulph. Hiſt. Dyn. p. 3. de Sinenſibus مساكنهم محيطة باقصي مشارق المعمورة *Cingunt territoria eorum* (in Arab. *domus*) *qua longiſſime ad Orientem ſpectat terra habitabilis.* Sic pag. 34. ubi de Hebræis كانت مساكنهم بلاد الشام *Sedes eis erant regiones Syriæ.* Pari modo دار *domus regionem* denotat. Abulph. p. 79. الفرس اوسط الامم دارا *Perſæ mediam inter*

inter ceteras nationes domum habent. Sic in Alcorano etiam. Hujus plur. ديار *Diâr* unice fere *regiones, regna* designat. Mesopotamia hodie *Diâr becir* audit, Arab. ديار بكر *Domus Becri.* Sic ديار التاتار *Domus Tatarorum:* ديار المصرية *Domus Ægyptiacæ;* ديار الرومية *Domus Rumææ*, pro *regionibus*, nec umquam aliter. Ad Persas etiam usitatissime transiit hæc significatio. *Sadio* nihil frequentius: Poëta Persa de Viro incomparabili.

اورا دبودي قريں در ديار

Ei in terris æqualis non fuit. Pers. *in domibus.*

Græcos etiam οἶκον *dominationem & regnum* dicere, docuit Casaub. in Exerc. contra Baron. ex *Herodot. Thucyd. Josepho.*

Vers. 8. *Leviores sunt pardis equi ejus*
חדו מואבי ערב.

Vulg. *Velociores lupis vespertinis.* Lxx. ὀξύτεροι ὑπὲρ τὰς λύκους τῆς Ἀραβίας. Idem dicunt; sed Græcorum versio ideo præferenda, quod Hebrææ vocis vim aperiat, nam חדר ὀξὺν εἶναι est. Ὀξεῖς autem sæpe

Græcis ταχεῖς *celeres* dicuntur. Proprie autem aves ſunt ὀξεῖς nimirum ἐν τῷ ἱπτάσθαι Scol. Hom. ad Iliad. P. Latina tamen verſio hoc nomine potior eſt, quod ערב *veſpertinum* non *Arabicum* dederit. Alii Interpretes חרו *acuti ſunt*, aliorſum referunt. Belgæ ad *oculorum & viſus* ὀξύτητα, quod quibuſdam ideo improbatur, quod verbum חרר *oculorum acumen* non indicet; tum quod equos viſu acutos eſſe non conſtet. Sed utrumque ratione non caret. Quod ad verbum חרר *acutum eſſe*; Arabibus id uſitate de *acuto viſu* venit, teſte *Golio*. احد البصر *viſum intendit* legitur apud Zjauhar. & البصر الحديد *viſus acutus*. Alcor. Sur. 50: 21. كشفنا عنك غطاءك وبصرك اليوم حديد *integumenta quibus involutus eras reteximus, acrique nunc polles viſu.* Alterum quod pro Belgarum ſententia afferri poteſt, hoc habeo; Latinis licet & Græcis equi ab oculorum acie non celebrentur, Arabibus tamen hanc eorum virtutem cognitam eſſe ſatis. Hoc docet Proverbium apud eos vulgatum ابصر من الفرس *Equo oculatior. Boch.* etiam ex *Damirio* profert, *equum* يوصف بحدة البصر *deſcribi eſſe*

i *viſus*. Hinc Arab. تفرس eſt,
aliquid oculis intentis contemplari;
فراسة *phiraſa* vocatur *phyſiognomo-*
s per ſigna externa judicandi de
veritate. Hiſtor. Tamerl. pag. 398.
يفرق بين المحق والمبطل
rum & fictum acerrime diſcernebat
nes. Nil mirum, nam de ſe ipſe
pag. 37. ان فراستي ايـاشية
monia Ijaſum refero. Reſpicit pro-
Arabum افرس من ايـاس
μονέσερ & *quam Ijas*, in regione
dictus Judex, qui ex ſignis exter-
ılpa aut innocentia hominum feli-
ıdicabat. Has ſignif. فرس indue-
r a فرس *equum* notante, quaſi
:quinam dicas contemplationem.
c pacto viſus ὀξύτητα tribui vide-
lupis res clara eſt & probatione
iget; hoc autem magis חרו ad *vi-*
re placet, quod additur ערב *Acu-*
: *viſu, quam lupi veſpertini;* id enim
v immenſum auget, quod *noctu*
Lupos autem in tenebris cernere
ſtantur Scriptores. Adi ſis *Hieroz.*
. *de Lupis.* Interim moneo Boch.
referre ad animum, & tam lupos

quam equos hic ὀξεῖς & *acres* dici, quia quidquid agendum ſibi proponunt acriter exſequuntur, & ſumma contentione. Virgil.

Et genus acre luporum:

Atque iterum

—— *acri Gaudet equo.*

Hanc animi ὀξύτητα in verbo חרד contineri ex Arabiſmo docuit Vir Magnus.

Ibid. ופשו פרשיו ופרשיו מרחוק יבאו

Vulg. *Et diffundentur equites ejus, equites namque ejus de longe venient.* Lxx. quibus repetitio illa odioſa videbatur, unum פרשיו ex verſ. ſua omiſerunt: פשו autem reddunt ἐξιππάσονται, an quod פרשו legerint? quia فرس Arab. eſt *equitare.* Vulg. qui *diffundentur* vertit, ad rad. פוץ videtur reſpexiſſe. Hodie vel *abundabunt*, vel *multiplicabunt*, vel denique *ſani erunt.* Ego nove: *Et ſuperbia exultant equi ejus.* Verbum פוש, in cujus vera ſignif. non conſentiunt Interpretes, nullam æque omnibus in locis ſignif. admittit, quam *ſuperbiæ*, quod ad Jer. 50: 11. late oſtendi: פרשיו *equos* verto, non *equites*, quia tautologiæ ſpeciem haberet oratio, ſi utrumque פרשיו *equites* verteremus; neque obſtat quod in præced.

jam

jam סוסים dixerat, nam eſt ענין אחד במלות שונות quod Scripturæ familiariſſimum eſt. פרש *equitem* eſſe & *equum* docuerunt jam *L. de Dieu* ad Eſai. 22: & *Boch. Hieroz. p.* 1. *L.* 2. *c.* 6. Sic Arabicum فرس utrumque notat. Apud Latinos idem uſu venit: *Macrob. Saturn.* Lib. 6: cap. 9. *Omnes antiqui Scriptores, ut hominem equo inſidentem, ita & equum quum portaret hominem,* equitem *vocaverunt* & equitare *non hominem tantum ſed & equum dixerunt.* Ex Ennio citat *Boch. quadrupes eques.* Quæ ad ulteriorem hujus explicationis intellectum faciunt ad Jer. 50: 11. videri poſſunt.

CAP. II.

Verſ. 15. הוי משקה רעהו מספח חמתך

VÆ *potanti amicum ſuum*, id eſt, *tuum*, ut Job. 18: 4. ubi vid. not. m. *Qui infundis venenum tuum, quin & inebrias.* Ita verto מספח a ſignif. verbi ספח شفع apud Arabes. Vulg. illa מספח חמתך vertit; *mittens fel ſuum:* Lxx. ἀνατροπῇ θολερᾷ. Quid viderint non video. Ex noſtris alii vertunt: *Addens venenum tuum*, alii a חמת *adjungens lagenam tuam.* Sed hoc potius

tius esset מוסיף: sensum etiam minus clarum efficit. Ex Veteribus Theodotion *fundendi* signif. in hac radice agnovit, quum hic vertit ἐκ χύσεως מספח. In hac Interpretatione confirmor ex Jobi cap. 14: 19. אבנים שחקו מים תשטף כפיחיה עפר ארץ *Montes cadentes defluunt, saxa transferuntur de locis suis. Lapides comminuunt aquæ;* addunt Interpretes vulgo, *& pulvis terræ inundat sponte nascentia sua:* quæ infra majestatem præcedentium longe subsidunt, quod jam monui ad Jobum. Addo in hac exposit. multipliciter impingi. Primo תשטף fœmin. jungitur cum עפר quod semper mascul. est, unde hic עפר naturam vocis ארץ imitari comminiscuntur Interpretes: Secundo כפיחיה quod naturaliter ad proxime præcedens referri debuit מים scil. cum subsequent. nectitur. Tertio nulla reddi potest ratio, cur terræ desolatio & eversio, quam his verbis describi consentiunt Eruditi, ad *sponte nascentia* determinetur, præsertim cum non quævis *sponte nascentia* dicat כפיח, sed *frumenti* tantum, scil. quæ ex præcedentis anni resectis aristis sponte renascuntur. Tandem שטף metaph. hic, non proprie accipere coguntur. Hæc omnia evitantur si כפיחים intelligamus de *effusionibus, fluxibus.*

La-

Lapides comminuunt aquæ, eorumque fluxus inundant pulverem terræ: pulvis terræ pro *terra* uſitatus eſt Hebraiſmus; qui etiam in Dan. occurrit. תשתף כפיהיה eſt ut רגנים תעזב Job. 39: 14. & לא תמעד אשריו Pſ. 37: 31. Et ſic forte Jer. 22: 22. רעיך תרעה רוח *Paſtores tui ventum paſcunt*, non ut vulgo ſolet. In Arabiſmo nihil eſt frequentius. Lxx. in hoc loco Jobi כפיחים ὑπλὰ reddunt. Nonn multum differt Arab. سفح quod *imum montis pedem* dicit. Tertius locus, ubi כפח *fundere*, *effundere* notare videtur, eſt Eſai. 5: 7. quem vide ſuo loco. Quartus hiſce adjungi poteſt, at non adeo evidens, Job. 30: 7. *Effunduntur* יספחו forte *præ mœrore*; ut mox inf. vſ. 16. cum השתכן. Sed נפש hic deeſt; quod tamen ſemper adeſt. Vir Doctus *vulnerantur*: An *fuſio* hic *ſanguinis* reſpici poteſt? hæreo, nec quicquam ſatisfacit. Commoda etiam eſt *fundendi* notio ad vim & naturam derivatorum explicandam: כפיח *ſponte renatum*, quaſi, quæ terra fundit: מספחת *abſceſſus*, *apoſtema*, *ſuppuratio major*, eſt locus quo humores purulenti confluunt: Eſai. 3: 17. שפח quod multi *decalvabit* exponendum cenſent, *defluvium* dicet *capillorum*, *vertice defluere faciet capillos*; quamquam *malignorum humo-*

morum effluvia ſatis etiam commode hic intelligi poſſint. Hæc ab *aggregando*, quam vim vulgo nunc τῷ ספח attribuunt, *incommodius* & violentius multo deducerentur. Quid ſi tria illa loca, ubi *aggregare* vertunt, ad ſignif. *fundendi* revocare poſſimus. Veteres certe Interpretes hanc ſignif. ignorarunt, & ubique ex ſenſu & varie reddiderunt. Primus eſt locus 1 Sam. 2: 36. ספחני נא אל אחת הכהנות *Aggregatio* hic convenit, fateor; non tamen ita Veteres. Lxx. παράρριψόν με ex ſenſu. Vulg. *dimitte me*: Chaldæus מניני *præfice me*. Forte, *effunde mihi unum ex Sacerdotiis*, id eſt, *largitor*. Arabibus, aliiſque linguis, *fundendi* verba ad *largitionem* transferuntur quod ſatis notum eſt. 1 Sam. 26: 19. מהסתפח בנחלת יהוה Lxx. μὴ ἐξηλίχθω. Vulg. *ut non habitem*: Sic Chald. מלמידר *ne habitem*. Tento: *Ne effundam me cum Domini hæreditate*. Varie id poſſet explicari; intelligi poteſt de *effuſione ad templum*, de qua Pſalm. 42. quorſum ducit, quod mox ſubjungitur. Hanc uſum in Arab. فاض obſervare eſt, quod in 4. *effundere* uſurpatur ad *confluxum* & impetum, quo ad ſacra feruntur homines, indicandum. Vid. Alcor. Sur. 2: vſ. 193. Atque ſic tandem נספחו Jeſ. 14: 1. po-

poterit exponi *effuſi feruntur*. Sic Arabice *effundi* eſt *præcipitem ferri* inſtar torrentis; in verbis دفق & فاض aliiſque poteſt etiam *confluunt* reddi. Ignoſcant Eruditi ſi peccatum fuerit; in re obſcura & difficili omnes veri inveniendi vias tentare licet. Plene hæc ſatisfactura non confido, & multa opponi poſſe video; atque *aggregandi* ſignif. in tribus hiſce locis retineri poterit, donec aliunde certiora doceantur.

ANI-

ANIMADVERSIONES PHILOLOGICÆ IN ZEPHANIAM.

CAP. I.

Vers. 14. קול יום יהוה מר צרח שם גבור

LXX. φωνὴ ἡμέρας κυρίου πικρὰ καὶ σκληρὰ τέτακται. צרח σκληρῶν reddunt: שם ipsis est a שום ultimum: גבור ad vs. seq. rejectum est. Vulg. צרח ex sensu reddit *tribulabitur*. L. de Dieu totum locum sic vertendum putabat: *Vox diei Domini amara est, clamat; ibi est fortis*, seu: *En fortem*, qui te bello petat. Videtur Vir Doctus vim verbi צרח ignorasse, quæ non

plic. *clamare* eſt, ſed *auxilium*, *imare.* Hanc vim verbo huic ſub- iiſſe docet nos Arabiſmus; ubi t *exclamare* ut auxilium feratur; استنصر ſæpe apud Hiſt. *opem im-* *auxilium advocare:* inde صريخ s Alcor. Sur. 36: 43. لا صريخ لهم وهم لا *Non eſt qui opem neque liberabuntur.* In 4. conj. הצליח eſt cum clamore *in auxi-* ; βοηθεῖν. Alcor. Sur. 14: 27. ما انا بمصرخكم وما انتم *ego, nec vos mihi opem feretis.* oco Jeſai. 42: 13. יצריח quod *anquam auxiliator victorioſus ex-* Inde ratio etiam conſtat nomi- od *arcem, propugnaculum* notat; um ſcilicet expetas contra ho- tantem.

ANIMADVERSIONES PHILOLOGICÆ IN ZACHARIAM.

CAP. I.

Vers. 17. עוד תפוצנה ערי מטוב.

IRe non possum in eorum sententiam, qui פוץ *dispergi* hic explicant, & de *dilatatione* & *extensione* intelligunt: *Et extendentur adhuc urbes meæ propter bonum.* Minus etiam eorum arridet Interpretatio, qui פוץ *superspergi* exponunt. Proba omnino est & sequenda vers. *Vulgat. Adhuc affluent civitates meæ bonis.* Verbum פוץ فاض Arabice est *affluc-*

fluere, abundare, exundare: فاض الما
In *Camus* كثر حتي سال كالوادي
Crevit aqua, donec fluxerit torrentis inſtar.
Hanc puto primariam eſſe radicis hujus notionem, unde ſecundo *diſpergi* quaſi *effundi, diffundi.* Certe פוץ *effluere, effundi* notaſſe, patet etiam ex Prov. 5: 16. ubi vide n. m. & Job. 40: 6. quod alias oſtendi. Non moror, quod *diffringi* quandoque ſignificare dicatur vox, ut Jer. 23: 29. יפוץ Hab. 3: 6. יתפוצצו & Job. 16: 12. יפצפני quæ ſignif. ab *exundando* derivari nequit; nam ad radicem פצץ hæc referenda puto: فض Arabice eſt *diffringere.*

CAP. III.

Verſ. 9. משתי את עון

VErti ſolet: *Amovebo, removebo iniquitatem.* Senſus eſt ſatis commodus, at duplex in Hebraiſmum peccatum. Primo מוש *recedendi* ſignif. ſemper eſt intranſitivum & *amoveri* notat. Secundo, *amoveri* non denotat, niſi cum præpoſ. מן conſtructum, unde proprie *amoveri* aut *recedere* deſignare non puto, ſed *moveri, mutari.* Confirmat hanc conjecturam Arabiſmus,

in quo radix מוש مـاس *inconſtantiam* dicit & *mutationem*. Ex *Micha* etiam quodammodo firmari videtur Cap. 2: 4. ubi המיר *mutare* & המיש conjunguntur; notandum vero illic loci non cum מן conſtrui, unde illa לי ימיש איך vertenda ſunt: *Quomodo mutat mihi?* Nunc ad rem. Lxx. ex altera verbi מוש vel משש ſignificatione, hic vertere maluerunt: ψηλαφήσω τὴν ἀδικίαν. Quo ſenſu id intellexerint, nunc non diſputo. Mihi etiam *palpandi* ſignificatio hic perplacet, ſeu *palpando manum ducere ſuper aliqua re*, & id explices licet *delere*. Arabica radix משש مش & pro eo مسح utraque *delere*, *abſtergere* eſt, quæ ab Hebr. *palpandi* ſignif. profluxiſſe puto. Sicut autem Græci & Latini *palpandi* verbo, propter convenientiam, *inquirendi* illi, hi *demulcendi*, & *deliniendi* notiones ſubjecerunt, ſic Hebræos *delendi* eidem verbo tribuiſſe exiſtimo. Sic مسح eſt *manum duxit ſuper re*, *palpavit*, & *delevit*. Vertere ergo licet: *Et delebo iniquitatem terræ*, &c. *Delere peccata* dici ad ſtylum Spirit. S. notiſſimum eſt.

CAP.

CAP. VII.

Verſ. 5. הצום צמתני אני

'mquid jejunium jejunaſtis mihi ego. 'leonaſmus eſt ἐμφατικὸς, ab Eru-itis nondum recte ſatis perceptus; ut affixo ſubjungatur pronomen onæ. Exemplum primæ hic habe-ic 1 Sam. 25 : 24. בי אני אדני העון , *Domine, peccatum eſt.* Ex Ara-:enta talia obſervari poſſunt. *Hiſt.* . 53. كاني انا كنت الحاضر *ſi me ego præſentem vidiſſet.* Sic اين نصيبي انا *Ubinam eſt ego.* Abulphar. p. 43. *Filii Iſraëlis* لم يعصوك انت لكن لي ا *ebelles non fuerunt, verum in me* etiam exemplum ſecundæ, qua-pag. 221. مـــا يدريك انت *t te tu.* p. 54. انك انت الله *Sciant populi, te tu ſolum eſſe Deum* ıac phraſi in Corano eſt frequen-انك انت الو Sur. 3 : 6. & 2 : انك انت الـ vſ. 122 & 123.

iterum, & infinitis aliis in locis. Vid. nunc quæ notavi ad Pſalm. 9: 7. ubi conſimilis eſt pleonaſmus, quem non intelligebant Interpretes. Aliquando pronomen præponi ſolet, ut Geneſ. 49: 8. *Jehuda*, אתה יודוך אחיך *Tu laudabunt te fratres tui.* Exempla ex Arabibus ad iſtum locum dedi. Hinc explica 2 Chron. 28: 10. הלא רק אתם עמכם אשמות variant Interpretes. Belgæ: *An non vos*, eſtis illi? Vobiſcum *ſunt reatus.* Propius aliquanto *de Dieu: An non profecto vos* eſtis, *quibuſcum reatus ſunt.* Suppleri vult אשר. Nihil eo opus eſt. Verte abſque ſupplementis: *An non profecto*, vel *tantummodo vos vobiſcum ſunt reatus*; pro ſimplici, *an non vobiſcum ſunt reatus.*

Verſ. 11. אזניהם הכבידו משמוע

Locutio quæ etiam Jeſ. 6: 10. invenitur, & Jeſ. 59: 1. כבדה אזנו משמע Arabes eadem plane ratione, niſi quod pro כבד habeant radicem יקר Alcoran. Sur. 6: 25. جعلنا في اذانهم وقرا *Aures eorum graves fecimus.* Sur. 41: 44. الذين لا يؤمنون في اذانهم وقر *Qui non credunt, eorum aures graves ſunt.* Ceterum

יקר

יקר Hebræis primario *gravem* etiam notaſſe oſtendo ad Prov. 17: 27.

CAP. IX.

Verſ. 13. דרכתי לי יהודה קשת מלאתי אפרים.

PLerumque hoc ſenſu iſta exponi ſolent: *Tetendi mihi Jehudam arcum, implevi Ephraimum* tanquam pharetram ſagittis. Disjungunt quæ copulanda erant. Scilicet מלאתי ad præcedens דרכתי קשת pertinet, vimque ejus & ſignificationem intendit. *Tetendi arcum, implevi* Hebraiſmus eſt, pro *valide attraxi*: ſic Jerem. 4: 5. קראו מלאו *Clamate, implete*, id eſt, *clamate fortiter*, uti vertit *Hieron.* Sic Arabes loquuntur. املا النزع في القوس *Implevit attrahere arcum*: ſed & abſolute dicunt املا في القوس *implevit arcum*, plane uti Hebræi. 2 Reg. 9: 24. מלא בקשת. Locutionem ellipticam eſſe dixi ad iſtum locum, & ſubintelligendum eſſe דרך, ut apud Arabes نزع. Fieri tamen poteſt ut alia adhuc loquendi ratio fuerit. In *Camuſo* legitur اتاق

اتاق في القوس *implevit arcum*, id eſt, *attracto nervo incurvavit ad longitudinem ſagittæ.* An arcum tanquam lunam ſemiplenam conſiderant, quem validiſſime attractum, ut cornua utrimque coire videantur, *impleri* dicunt? Dicunt etiam اغرق في القوس *ſubmerſit arcum*, quod *Golius* exponit: *Quoad potuit tetendit, traxitve arcum.* In *Camus* in radice تاق diverſa paulo ratione. اغرق السهم في القوس *Demerſit ſagittam in arcum*, ſcilicet *tam valide arcum extendit, ut ſagitta in eo demergi videatur.* Utramque locutionem in Sacris Literis invenire mihi videor; Pſalm. 18: 35. נחתה קשת נחושה זרעותי quæ verto: *Deſcendere fecerunt brachia mea arcum æneum* Et Pſalm. 38: 3. נחתו בי חציך *deſcendere factæ ſunt contra me ſagittæ tuæ:* ſed ulterius hæc ſuis locis examinare viſum eſt. Adi Animadverſ. noſtras ad loca citata. Interim hæc noſtra ita reddenda videntur: *Tetendi mihi Judam arcum, valide attraxi Ephraimum.*

CAP. XI.

Verſ. 8. ותקצר נפשי בהם וגם נפשם בחלה בי:

DIſquirunt Interpretes de vera ſignif. verbi בחל. Lxx. προσῶζ vertunt: *Vulgat. variare*: Recentiores *aſpernari*, *faſtidire*. Id eliciunt ex præced. קצר נפש quod *faſtidire* exponunt; atque huic Synonymum volunt בחל, propter illud גם *etiam*. Non ſatis attendunt, nam קצר נפש quod proprie *anguſta*, *contracta eſt anima* ſignificat, nunquam eſt *averſari*, *faſtidire*, ſed *tædere*, *tædio premi*, *contrahi*, *angi*. Vid. exempla Jud. 10, 16. & 16: 16. Num. 21: 4. Inde, ſi idem dicit בחל, *tædere* potius notare dicerem. Arabice radix بخل unice & uſitatiſſime *avarum eſſe* notat; libenter equidem eam ſignif. Hebræo בחל adſignarem, quia radix ea non alia convenientiore ſignif. in ulla vicinarum linguarum invenitur. Convenientiſſima eſt notio ea Prov. 20: 21. ubi MSS. & Codices antiquiſſimi conſtanter מבחלת legunt. Vid. quæ ego ad locum iſtum. Ut & huic loco eam aptem, cum Hieron. ותקצר נפשי בהם

Et contracta eſt anima mea in eis verto, quod explicari poteſt *avara fuit.* Fateor קצר נפש ſæpe aliter, & de *tædio* ſumi; at nihil impedit, quo minus aliter hic intelligamus. Sic Latinum *contractus* ex locorum circumſtantiis *ægritudine preſſum* dicit & *avarum.* Arabicum ضاق *anguſtus fuit* itidem *tædio premi* alias notat, alias *avarum eſſe.* Eo autem facilius קצר נפש hic *avaritiam* dicere intelligi poterat, quod cum verbo בחל conjungeretur. Exemplis res illuſtrari amplius poteſt. רחב לבב *Pſalm.* 101 : 5. malum eſt, & *ſuperbum* notat. At 1. Reg. 4 : 29. רחב לב eſt *ſapientia.* Phraſis נשא חרפה aliter ſumi debet in Pſalm. 15 : 3. aliter vero Pſal. 69 : 8. quod loca conferenti patebit. נשא עון pro vario ſitu, nunc *tollere peccata & condonare*, nunc *pœnam eorum portare* denotat. Similia plura in Hebraiſmo omnibuſque linguis oſtendi poſſent. At forte neceſſe non eſt, tam accuratam inter קצר נפש & בחל convenientiam quærere. Vertamus: *Tædet me eorum, nam & illorum anima avara fuit in me.* Qui Chriſtum 30 ſiclis, אדר היקר *pretium ingens!* vendiderunt, an non avari in eum fuerunt? Fateri tamen debeo τὸ גם expoſitionem hanc ægre pati; ideoque quæro an non

non *avarum esse*, *parcum esse* in aliquem, fastidium aut tædium, satietatem indicare possit. Certe in Alcorano أشحة عليكم *Avari sunt in vos*, vicino sensu usurpatur. Tentabo adhuc aliter: Phrasis est usitata Arabum بخل بالشيء *tenax fuit rei*, id est, *magni fecit ejusque curam habuit.* Inde est מבחלה *id, cujus quis tenax est, quod magni facit.* Ita dicunt الولد مبخلة *Proles res est, cujus tenaces sumus.* Hinc verto: *Et tædium eorum cepit animam meam, quin etiam anima eorum,* בחלה בי *an tenax mei fuit?* Interrogatio est, quæ vehementer negat. Nequaquam & illi mei tenaces & cupidi fuerunt, sed satias eos & tædium mei cepit. Per interrogationem sensum sæpissime extricandum esse infinitis exemplis demonstratur. Videantur *L. de Dieu* Animadv. eandem etiam interrogationem, fortissimam esse apud Hebræos negationem nemini ignotum esse existimo.

Vers. 16. *Ecce ego suscito pastores, pereuntes non visitabit* & הנער לא יבקש *confractæ non medebitur.*

Hebræa illa הנער לא יבקש diversimode capiunt Eruditi Interpretes. נער centies in Sacro

Sacro Codice *puerum* ſonat. Illud hic loci non quadrat. Hinc Rabbini, ut aliquid quod ad rem facere videatur, dicant, *pueri* nomine intelligunt *oviculam*, ſeu ut quibuſdam ex iis placuit, *tenerum* e grege *agnum*. At præterquam quod נער non alibi uſpiam niſi de hominibus ſumatur, illud maxime in hac Interpretatione deſidero, quod נער *oviculam*, vel *agnum tenellum* ſi notare poſſe detur, non ſatis hoc orationis inſtituto convenire videatur; quum enim de נכחדות *pereuntibus*, de נשברת *confractis*, de נצבה *laſſis*, ut mox dicam, è grege loquatur, נער abſolute poſitum nullo modo convenit, & vitium quoddam deſignare hoc verbum omnino vero eſt ſimile. Hoc *Ab. Eſram* נער exponere coëgit שה אובד הקטן *Oviculam perditam*: Et *Jarchium* השוטות שאינן יודעות לבא אל הדיר *Stultas oves, quæ caulam adire neſciunt*. Hos ſequuntur noſtri. Veterum Interpretum alia de hoc verbo mens fuit, quod verſiones eorum palam oſtendunt. Lxx. enim ἐσκορπισμένον hic habent, Hieron. *diſperſum*. *Chaldæus* דאתטלטלו *quæ migrarunt*. Hanc veriſſimam eſſe puto Interpretationem, quam confirmat Arabum verbi נער uſus, & locus parallelus ex *Ezechiele*, Cap. 34, 4. ubi quod hic נער eſt, illiç

נדחה

נרחה vocatur, id eſt, *expulſa* ſeu potius *oberrans*, nam נרח ubi de *grege* ſermo eſt, non *vi ejici* & *diſpelli*, ſed *a caula aberrare* notat. Ita apud *Golium* verbum نرخ exponitur; *diſperſæ & longius a caulis ſuis digreſſæ ſunt oves*, uti fit *paſcendo*. Proinde qui Exod. 23 : 4. תעה erat, is Deut. 22 : 1. נרח appellatur. Idem notare noſtrum נער *errantem* ſcil. condocet Arabiſmus. Verbum نعر eſt *huc illuc oberravit*. In *Zjauhar*. النعر من الرجل *Naïron* de viro, *qui nullo loco quieſcit, ſed continuo oberrat*. Et apud *Giggejum* in *Lexic*. النعر *inſtabilis, ſedes mutans*. Addam aliam interpretationem, etiam ex uſu verbi נער apud Arabes. نعرة *aſilum* notat vel *tabanum*, verbum نعر *ab aſilis infeſtari* exponit *Golius*: النعر *æſtro percuſſus*. Hinc נער forte erit, *æſtro percuſſus*. Sed hoc incertum pono: prius ut ſimplicius præhabeo.

Ibid. הנצבה לא יכלכל

Duplex & oppoſita eſt Interpretum de his verbis mens. Una *Hieron.* eſt & Lxx. & *Syri* Interpretis. Vertit *Hieron. id quod ſtat*

ſtat non enutriet. Syrus: דקימן לא יתרמא *ſtantes non alet;* per *ſtantes* videntur *ſanos* ὁλοκλήρους, ut Lxx. habent, intellexiſſe, ut contra *jacens* eſt *ex morbo decumbens.* Alia plane eſt *Chaldæi* Interpretis mens, qui נצבה hic ſenſu contrario ſumit, de iis *quæ immobiles ſubſiſtunt, loco ſe movere non poſſunt.* Hoc ſequuntur *Jarchius* & *Kimchi* qui in *Lexico* נצבה declarat השה החולה העומדת במקומה שלא תוכל לזוז *Ovis morbo languens, ſubſiſtens, quæ loco ſe movere non valet.* Sic Belgæ: *Stantem*, id eſt, *laſſam non feret* לא יסבול uti *Kimch.* ſed כלכל in *ferendi, portandi* notione nuſquam occurrit. Ceterum נצבה de *laſſa* & *ægra* hic accipi, perplacet; nam id ſeries & ordo verborum poſtulat. Collatio etiam loci paralleli id confirmat. Ezech. 34: 4, 16. eſt primo אבדת *perdita* quæ hic נכחדה, tum נדחה, quæ hic נע; deinde נשברת utrobique, tandem החולה *ægrotans*, quæ hic הנצבה. Arabiſmus dubitare amplius non ſinet. Verbum نصب נצב Arabice eſt *ſtare.* Ita & Hebræis notaſſe palam eſt ex derivatis נציב *ſtatua* & *ſtatio*, & נצב *capulus*, ut Arab. نصاب السيف a *ſtando.* Sic قايم itidem *capulus* a قام *ſtare.* Secundario נצב *ſtare* apud Arabes

rabes *laſſum eſſe* notat. Ratio in propatulo eſt. *Alcoran.* Sur. 18: 61. فلما جاوزا قال لفتيه اتنا غدآنا لقد لقينا من سفرنا هذا نصبا: *Quumque trajeciſſent, dixit puero, affer quo veſcamur, nam ex hoc itinere noſtro ſubiit nos defatigatio, laſſitudo* נצב.

Hunc locum ideo cito, quia laſſos cibo refici & ſuſtentari opus habere indicat; atqui id Hebræis כלכל eſt. Verto ergo: *Laſſam non ſuſtentabit.* Verum quia in *Ezech.* חולה *ægram* huic voci reſpondere vidimus, *ægræ* ſignif. & hic admittenda videtur. Hanc etiam exhibet Arabiſmus, nam נצב a *laſſi* ſignif. etiam *ægroti* notionem aſſumit: نصب *morbo laboravit.* نصب eſt مرض *morbus* in *Camus.* نصب eſt مـــارض *ægrotans* מרע, per quam vocem *Chaldæus* חולה apud *Ezech.* cap. 34: 16. reddidit. Radix etiam יצב vicina, ad quam נצבה noſtrum ſolent referre, apud Arabes & *ſtandi* primariam poſſidet notionem, & *ægrotandi* alteram. Apud *Golium* יצב وصبن *ægrotavit:* in 4. conj. اوصبن *morbum intulit* Deus. Nomen وصبن *morbus* وصبن *plur.* وصاب & وصابي *ægrotus, morbidus.* موصبن

מוצב

מוצב *morbo affectus*, proprie *consistere factus*. Hinc non dubitandum est, quin נצבה hic *lassam* & *morbidam* dicat. כלכל non expono *portare*, sed *sustentare*, & חזק quod in *Ezechiele* legitur, quomodo & *Kimchius* in rad. כול, & *Chaldæus* qui hic יסובר vertit, eodem verbo quo apud *Ezech.* loc. cit. חזק reddiderat. Verbo addendum est, radices, quæ primam *Nun* & *Je* habent, sæpissime apud Hebræos æque atque Arabes permutari aut confundi. Exemplum in נצב & יצב vidimus. Sic נקש & יקש. Et נקע pro יקע, & נקף pro יקף, sic נפח cum יפח. Apud Arabes وكب cum تكب, & وصف cum تصف, & وكتة pro تكتة, & تتاش pro وتش, & وبة pro تبة consimilia sexcenta, si id ageretur, colligerem.

Ibid. בשר הבריאה יאכל ופרסיהן יפרק

Lxx. καὶ τὰ κρέα τῶν ἐκλεκτῶν καταφάγεται ταὶ τὺς ἀςραγάλυς αὐτῶν ἐκςρέψει. *Hieron. Carnes pinguium comede, , & ungulas eorum dissolvet.* Lxx. בריאים alibi etiam ἐκλεκτὺς reddunt a rad. ברה. Alii ςερεμνίυς *solidos*. At rectius *Hieron. pingues*. An *robustos* proprie aut *sanos* signat vox, quia Arabice برا

crea-

creare, ſecundario eſt *ſanare?* Incertum eſt; mihi potius a rad. ברה *alimentum capere*, unde בריה *alimentum*, nomen traxiſſe videntur, quaſi *altilia*. Huc facit quod 1 Reg. 4: 23. בקר מראים & בקר רעי diſtinguantur; utrumque *pingues* dicit, at hoc *paſcuales*, illud *domi ſaginatas* & *altiles*. Ezech. 34: 20. שה בריה *ovis pinguis* manifeſta ab radice ברה origine. Sequentia פרסיהן יפרק *ungulas frangit* verti ſolet, quod noſtri exponunt, malum paſtorem oviculas ſuas per aſpera & invia acturum, quo pedes diffindantur. Pro hac Interpretatione advocari poſſet locus ex *Thren.* cap. 3: 11. דרכי סורר ויפשני *Viæ meæ rebelles ſunt*, id eſt, *aſperæ*, *iniquæ*, prout ego ad iſtum locum, *& diſcerpſit me.* Ordini tamen verborum convenientiorem fore puto hanc Interpretationem: *Carnes pinguium devorat, etiam ungues earum avellit.* Hyperbole eſt, quæ ne quidem minimum a rapacibus iſtis lupis verius quam paſtoribus relinqui indicat. Sæpe ita Arabes loquuntur. *Alcamus.* اخذ الشي بظلفه *totam cepit rem:* proprie *rem cum ungula ſua.* In *Golio* etiam ex *Zjauhari* legitur: *Cepit rem* بظلفه *totam* (ad verbum *cum ungula*) *nullam relinquens*

partem. Sic & بظليفته الشي *tota res, res cum ungula ſua.* Neſcio an notari mereatur, Arabicum ظلف idem eſſe præciſe, quod Hebræum פרסה, unde Arabs *Levit.* 11: 3. מפרסת פרסה dat مظلفة بظلف. Sic dicunt porro حتي الظفر *ad ungulam uſque* pro *pleniſſime*; itidemque cum حافر חאפר, quod proprie *ungulam equinam* ſignificat a חפר حفر *fodiendo*, quia ungulæ crebro motu terram fodit, atque atterit equus. Job. 39: 20. de equis: יחפרו בעמק *Fodiunt in valle.* Vana ergo eſt *Jarchii* expoſitio, qui per *equos fodientes* hic *inſidiantes* in valle *equites* intelligebat. Sed in viam. Dicunt ergo cum hac voce Arabes حتي الحافر *ad ungulam uſque equinam*, id eſt, *ne minimo quidem excepto.* Commode nunc & peropportune incidit locus *Exod.* 10: 26. *Greges noſtri nobiſcum ibunt* לא תשאר פרסה *ne ungula quidem relinquetur.* Græcorum etiam & Latinorum linguas tales ἀνηβείας habere, notius eſt, quam ut ego oſtendere debeam.

CAP.

CAP. XII.

Verſ. 10. והביטו אלי את אשר דקרו וספדו עליו:

TUrbat hic Interpretes τὸ עליו quia non concordat cum præcedenti אלי. *Et reſpicient ad me, quem transfixerunt, Et plangent ſuper illum*; potius *ſuper me* dici debuiſſet. Hoc magni nominis Viros ſentire coëgit, Deum Patrem eſſe, qui loquitur hic, & ſenſum ſic ordinare: *Et reſpicient ad me* patrem, *cum eo quem transfixerunt* filio, *& plangent ſuper eum.* Vitabitur inconvenientia hæc, ſi ו illud in עליו non de *perſona* ſed de *re* capiamus: *Et reſpicient ad me quem transfixerunt. Et plangent ea de re*, nempe converſi ex Judæis, ſuper quos *Spiritus gratiæ* effuſus erit, plangent ſuper horrendum illud peccatum, quod Dominum gloriæ cruci affixerint. De Judæis convertendis hæc dici, præter ea quæ de effuſione Sp. S. in eos dixerat Prophe-ta, comprobat etiam τὸ והביטו אלי quæ phraſis *amorem* & *fiduciam*, ſeu potius *ſpem reperiundæ in aliquo ſalutis* conſtanter indicat. In Arabiſmo affixum *He* Hebræorum *Vau* uſu referens, *rem* non minus deſignat

quam *perſonam*. At longe utilius fuerit verſionem noſtram ex ipſa ſcriptura confirmaſſe. Job. 36: 33. עליו plurimi Interpretes *ea de re* exponunt. Et Amos 1. אשיבנו *avertam illud*. Similiter explico Eccleſ. 8: 15. *Non eſt bonum homini, niſi edere, bibere, gaudere*, והוא ילוננו בעמלו vertunt: *Nam hoc adhærebit ei*, id eſt, *hæc ſola erit portio ejus*; vel, ut *Vulg. hoc ſolum ſecum auferet*. At primo לוה in *Kal* conſtanter eſt *mutuo accipere*. Secundo לוה *adhærere* non notat, ut alias docebo. Verto: *Nam hoc eſt quod mutuo capiet ex labore ſuo*. Sic ſuppleo אשר. At nec eo opus eſt: *Nam hoc mutuo ſumet illud ex labore ſuo*: *Hoc illud* pleonaſmus uſitatus. Eadem ratione עליו explicandum videtur Job. 14: 22. *propter id, ea de re*, vſ. præc. memorata. Ceterum Belgæ non alieni fuiſſe videntur ab eo in hoc loco noſtro ſenſu, quem tribuo עָלָיו, nam in notis עליו explicant: *Propter deteſtandum peccatum*. Et quid lugerent eum, quem vivum vident, & gloria & honore coronatum?

CAP.

CAP. XIII.

Verſ. 1. מקור נפתח

FOns *patens* habet *Vulgat.* & Lxx. πᾶς τόπος διανοιγόμενος. מקום legerunt. Scio quæ hic de fonte aperto & cuivis patenti dici poſſunt, cui opponitur גל נעול & מעין חתום ad quem nemini niſi ſolo ſponſo aditus patebat, in *Cantico.* Hæc ex Orientalium ritibus immenſum illuſtrari poſſunt. Ambigo tamen an non alius ſit verborum ſenſus; nam & hoc pacto commode ſatis exponi poſſunt: *Scaturiet fons.* Et ſic forte nativa vis vocis מקור magis ſervabitur. מקור נפתח plane uti Eſai. 35: 6. נבקעו מים ונחלים Orientalium ſolennis eſt locutio, ut *fontes*, *aquas findi*, *aperiri* dicant quum *erumpunt.* Verbum פתח in multis verba *findendi* imitatur. Eſai. 28: 25. eſt *findere* terram *aratro* quod alias Hebræis eſt פלח *findere.* Cant. 7: 13. פתח כמרר *fidit groſſulus*, id eſt, *prorupit*, locutione Arabibus uſitatiſſima. Verbum פתח ad *ſcaturigines* adhibitum fuiſſe, confirmat Arabum uſus in voce فجّ, quod exponitur *aqua è fonte manans.*

ANIMADVERSIONES PHILOLOGICÆ IN MALACHIAM.

CAP. II.

Vers. 16. וכסה חמס על לבושו

Locus est qui forte nullum Interpretationum finem inveniet. Vulgo vertitur: *Et tegit, celat violentiam veste sua.* Recte id improbat *L. de Dieu*, neque Hebraismum id pati demonstrat, על enim post כסה non *id quo tegitur*, sed *rem tegendam* semper denotare docet. Hinc explicandum foret, ut Lxx. & *Vulg.* fecerunt: *Operiet iniquitas vestimentum ejus.* Hoc iterum diversissime intelligunt. Cel. *de Dieu*, *vestem* hic de *fide conjugali* explicat: *Et operit violentia vestem ejus*, id est, *adversus fidem conjugalem violenter agit.* Mirari satis non possum Viros Eruditos tam diu in hoc loco hæsisse, nam cum phrasis כסה חמס aliquoties in Sac. Script. exstet, verus ejus sensus hic latere eos non debuisset. Non notat ea locutio, *celare violentiam*, quod ferri nequit, nec כסה חמס על לבוש est *operit violentia vestem*, quia hic על a כסה non

propiori חמס, ſed כסה חמס
: *Operit violentiæ pœna.* כסה,
veſtis, *veſtit*; Arab. كسي
veſtitus, كسوة *amiculum.*
n habuit uſum. 1 Reg. 11:29.
nam, *maledictionem* homini
ſime Spiritus S. *veſtire* dicit &
Vid. Pſalm. 109: 18, 19.
e ſæpe notat, ut חטאת *pecca-*
tis pœna, aliaque conſimilia.
ut veniat violentia, id eſt,
monent *Belgæ*. Phraſin כסה
ſu ſumi patet ex Hab. 2: 17.
ntiæ contra Libanum pœna
: 6. *Benedictiones in caput*
ופי ר. *At os improborum ope-*
violentiæ in eos recidit. Et
os eſt vitæ, puta, *ſibi ipſi*
At os impiorum operit iniqui-
adeoque *mortem* (ad Rom.
dimus illud כסה חמס red-
inſtar veſtis *iniquitatis pœ-*
על לב a חמס regi dicendum
על conſtruitur. Job. 21:
me violenti eſtis. Quid er-
lentia contra veſtem? Ni-
video, quam ſi לבוש *uxo-*
Arabice لبوش لباس
Sur. 2: 183. احل لكم
ليلة الصيام الرفث ا
iejunii permiſſus vobis eſt

con-

congreſſus cum uxoribus הן לבוש לכם *ſunt enim eæ veſtis veſtra.* Apud *Golium* لباس *conjugem* exponi reperias. Similiter لحاف & ازار *veſtem* notant & *uxorem.* Eo hoc mihi veroſimilius videtur, quod verbum etiam לבש *veſtire* in *Pſalm.* 65 : 14. *φιλότητι μιγῆναι* ſignificare videatur. Confer not. mea in eum locum. Totum ergo *verſ.* hoc pacto commodiſſime verto: *Quia odio habet* (Deus אלהים ex vſ. præc.) שלח *Sjallach repudiatorem* (formæ *gallab*, *gannab* quæ frequentativa fere ſunt, ut & apud Arabes) *Et operiet* eum *pœna violentiæ in veſtem ſuam*, ונשמרתם. *Ideo caveatis vobis.* ו ultimum hic *ideo* eſt; ut 2 Reg. 15: 16. כי לא פתח וין & Geneſ. 3 : 19. כי עפר אתה ואל עפר תשוב. Duplici ratione diſſuadet a *Divortio* & חמס *in* לבוש *uxorem*, quod vſ. præc. dixerat בגד באשתו. Aliquando exponere tentabam: *Operiet* eum *pœna violentiæ* על לבושו *pro veſtimento ſuo*, uti Pſal. 109. תהי לו קללה כבגד יעטה. At ſtare hoc non poteſt, quia על ita nunquam apparet. Si לבוש de *uxore* ſumi diſplicet, cape illud cum *L. de Dieu* de *fide & protectione conjugali*, at alio quam ille ſenſu: *Et operiet* eum *iniquitas contra fidem matrimonialem.* Sic Arab. ثوب *veſtis* eſt ثمة in *Camus*, id eſt, *protectio.*

FINIS.